


0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16





10

a - g



1
25-142

Del Colegio de la Comp^a de Jesus de Granada B.2
COMPENDIUM A.633

PHILOSOPHICUM.

PRÆCIPUAS PHILOSOPHIÆ
PARTES COMPLECTENS.

Nempe
RATIONALEM, NATURALEM,
ET TRANSNATURALEM,
Sive
LOGICAM, PHYSICAM,
ET METAPHYSICAM.

AUCTORE
THOMA VINCENTIO TOSCA, VALENTINO;
Sacra Theologiæ Doctore, ejusdem Archiepiscopatus
Synodali Examinatore, Congregationis Oratorii
S. Philippi Nerii Presbytero.

AD SERENISSIMUM, AC POTENTISSIMUM
DOMINUM
DON LUDOVICUM BORBONIUM,
HISPANIARUM PRINCIPEM.

TOMUS QUINTUS.

VALENTIAE:

Ex Typographia ANTONII BALLE; Anno M.DCC.XXII.
Habentur venales apud Joannem Baeza.

INDEX

TRACTATUUM, LIBRORUM, ET CAPITUM.

In hoc quinto Tomo contentorum.

TRACTATUS X.

De Animalibus, sive de rebus vitâ, & sensu
præditis.

LIBER I. De Anima, & Corpore animato in com-
muni. 2.

Caput Unicum. De Animæ notione, ac Corporum
viventium. 2.

LIBER II. De Anima sensitiva, & corporibus vitâ
sensitivâ præditis. 7.

Caput Unicum. De His quæ ad sensitiva pertinent. 8.

LIBER III. De partibus animalium corpora compo-
nentibus. 35.

Cap. I. De partibus corporis animalis in communi.
35.

Cap. II. De Ossibns. 41.

Cap. III. De Musculis. 52.

Cap. IV. De Nervis. 76.

Cap. V. De partibus, quæ in magnis cavitatibus, &
in ambitu corporis continentur. 82.

Cap. VI. De mirabili Cordis structura, & Vasorum
sanguinem continentium. 108.

LIBER IV. De Humoribus in corpore animali con-
ten-

tentis. 134.

Caput Unicum. De Humoribus in communi, & in particulari. 135.

LIBER V. De Facultatibus, quibus Animalium corpora reguntur, ac speciatim de Vegetativa. 156.

Cap. I. De Facultate naturali, quæ est prior pars facultatis Nutritivæ. 158.

Cap. II. De Facultate vitali, quæ est secunda pars Nutritivæ. 171.

LIBER VI. De Facultate animali, ac sensitiva. 181.

Cap. I. De Partibus facultatem animalem constitutis, in genere consideratis. 183.

Cap. II. De Sensibus in particulari, præcipue exter-
nis. 194.

Cap. III. De Sensibus internis in particulari. 225.

Cap. IV. De Vigilia, Somno, & Insomniis. 238.

LIBER VII. De Ortu, seu Generatione Animalium.
247.

Cap. I. De His, quæ ad Generationem Animalium in communi spectant. 248.

Cap. II. De Oviparorum Generatione. 259.

Cap. III. De Generatione Viviparorum. 272.

LIBER VIII. De Interitu, seu Corruptione Animalium. 288.

Cap. I. De Aëstatibus, & Interitu Animalium per se-
num. 288.

Cap. II. De Morbis. 292.

Cap. III. De Febribus. 305.

TRACTATUS XI. ET ULT.

De Metaphysica Reali.

LIBER I. De Spiritu Hominis, seu Anima humana.

320. Cap.

Cap. I. De Spiritu in Genere. 320.

Cap. II. De Anima Rationali, ejusque attributis. 327.

Cap. III. De Potentiis, & Operationibus Animæ ra-
tionalis. 340.

Cap. IV. De Anima rationali in statu unionis cum
corpo, & in statu separationis ab ipso. 375.

LIBER II. De Angelis, seu Intelligentiis separatis
completis. 384.

Cap. I. De Angelorum Existentia, Natura, Potentiis,
& Operationibus. 385.

Cap. II. De Daemonibus. 404.

LIBER III. De Deo. 418.

Cap. I. De Deo secundum se spectato. 418.

Cap. II. De Deo in ordine ad creaturas. 433.

FEE DE ERRATAS.

Pag.7.lin.19. *confluentiam*, lege *confluentium*. Pag.15.
lin.13. *corruptibilem*, lege *incorruptibilem*. Pag.21.lin.
24. *tenetur*, leg. *tenentur*. Pag.26.lin.9. *constant*, leg. *constans*.
Pag.29.lin.7. qui *meditis speciebus*, lege *que meditis speciebus*.
Pag.33.lin.4. *cōponentibus*, lege *cōponentium*. Pag.38.lin.20.
validus est, lege *valida est*. Pag.41.lin.12. *qua offa*, leg. *qua
offa*. Pag.51.lin.19. *sinuatus*, leg. *sinibus*. Pag.55.lin.22. *decur-
ratio*, lege *decurtatio*. Ibidem lin.ult. superfluit ly est causa.
Pag.70.lin.23. *perluntur*, lege *petuntur*. Pag.78.lin.29.
nuncupatur, lege *nuncupantur*. Pag.109.lin.22. *quem me-
dium*, lege *quod medium*. Pag.192.lin.15. *obiectibus sensibili-
bus*, lege *objec*tis* sensibili*bus**. Pag.256.lin.12. *eodem*, lege
eadem. Pag.273.lin.3. *Mas*, lege *Marem*. Pag.295.lin.23.
invadunt, lege *invadit*. Pag.350.lin.22. *possibilis*, lege *possi-
bilis*. Pag.370.lin.9. *carentiam*, lege *carentia*. Pag.393.lin.
9. *distributi*, lege *distributos*. Ibid.lin.14. *pote*st**, lege *patet*.
Pag.396.lin.14. ergo *Dominus*, lege *ego Dominus*. Pag.402.
lin.27. *aliisque*, lege *aliaque*. Pag.427.lin.24. *necessariis*,
lege *necessarii*. Pag.435.lin.2. *in quorum*, lege *in qua*rum**.

HE visto el Tomo quinto del *Compendium Philosophi-
cum*, &c. su Autor el Dr. D. Thomás Vicente Tolosa,
Presbítero de la Congregacion del Oratorio de San Feli-
pe Neri de Valencia, y corregidas estas erratas concuerda
con la original. Madrid, y Mayo à 15. de 1721.

Licenciado Don Benito del Río
y Cordido,
Corre*ctor General* por su Magestad.

COM-

(1) *



C O M P E N D I I PHILOSOPHICI.

TRACTATUS X.

DE ANIMALIBUS, SIVE DE REBUS VITA, ET SENSU PRÆDITIS.



OSTQUAM in precedenti Tra-
ctatu de Plantis egimus, seu de
corporibus illis, in quibus mo-
dica illa vita degit, quam *Vege-
taticem* appellamus, reliquum
est, ut jucundissimam simul, ac
utilissimam Physices partem ag-
grediamur, in qua de corpori-
bus vita sensitiva præditis est nobis agendum: quorum
speculatio haud dubiè maximè digna censenda est, ut in
ea sedulam operam impendant Philosophi. Quamplu-
rima autem in ea offendit scrutatu difficultima, haud dif-
fiteor; operose tamen investigationis molestia, pul-
cherrima rerum varietate, in hac valiissima rerum sylva
occurrentium, plurimùm sublevabitur. Hic autem tra-
ctatus diversi libris est distributus: quorum primi ea
Comp. Phil. Tom. V. A quæ

quæ communiora sunt exhibebunt; in reliquis vero cuncta, quæ ad sensitivorum vitam pertinent in homine potissimum exponentur, ex cuius consideratione, cuncta quæ de ceteris animantibus ratione parentibus dicenda peculiariter forent, satis aperte patebunt.

L I B E R L

DE ANIMA, ET CORPORE ANIMATO IN
COMMUNI.

LIBER hic veluti proemialis est : de **Animâ** enim, & corpore animato, seu viventi in communi pertractat. **Triplex** autem distinguitur **vita**, nempe **vegetativa**, **sensitiva**, & **rationalis**: & in plantis quidem tantummodo vegetativa reperitur ; in **Brutis**, vegetativa, & sensitiva ; in **Homine** verò triplex vita genus concurrit, nempe **vegetativa**, **sensitiva**, & **rationalis**. Quid itaque circa communem vita, & Animę conceptum dicendum videatur, breviter est nunc resolvendum.

CAPUT UNICUM.

De Animæ notione; ac corporum viventium.

PROPOSITIO I. *Anima in communi sumptu quidditas, & essentia explicatur.*

Ut

UT Anima in communi sumptu notio, corporum
ve vita præditorum quidditas, & essentia probè
percipiatur, omnisque quæstio de voce procul fiat,
supponendum est, duo distinguenda esse genera opera-
tionum, transcendentium scilicet, & immanentium: ope-
rations transeuntes illæ sunt, quæ non perficiuntur in
operante, à quo ipse eliciuntur; sed potius extra illud
complentur; quales sunt projectiones, quæ à proj-
ciente quidem oriuntur, sed extra ipsum perficiuntur,
in medio scilicet, quod à corporibus projectis percur-
ritur: operations verò immanentes illæ dicuntur, quæ
in eodem subiecto, sive operante, à quo fiunt, rema-
nent, & peraguntur, tales sunt corporum viventium
accretiones, nutritiones, &c. quæ non alibi, quam in
ipsis corporibus, seu intra eorumdem molem complen-
tur, ac perficiuntur. His suppositis.

Omnis communiter Philosophi operationes immannentes *vitales* appellant, & corpora ipsas elicientia dicunt esse *viventia*; cæteras verò actiones, non vitales, sed simpliciter *naturales* nomine solent. Ad id autem evidentius percipiendum memorari oportet id, quod alibi de Natura juxta Aristotelis mentem asserimus, esse nempè *Principium motus, & quietis ejus, in quo est, primo & per se, & non secundum accidens.* Omnim itaque corporum naturalium formæ Natura sunt, cum omnes sint principium, & causa suarum operationum, ut in terminis sibi debitibus consistant, ac quiescant: & consequenter forma viventium, seu *Anima*, Natura etiam est, imò ceteris perfectior; est enim etiam principium, & causa motus, & quietis, five operationum vitalium, qua ordinis superioris sunt, ac ceteris perfectiores, que nempè in ipsis agentibus, à quibus oriuntur, remanent, & quiescent. Hinc rursus

apertè colligitur omnem Animam esse naturam; non verò omnem naturam esse Animam: quemadmodum & omne corpus animatum est naturale; non verò omne corpus naturale est animatum; si quidem omnes actiones vitales sunt naturales, non tamen omnes actiones naturales sunt vitales, sed tantum illæ, quæ immanentes sunt, prout ad vitæ dignitatem requiriuntur.

Hinc ad Anima in communi notionem proximiùs accedentes, convenienter juxta nostra principia dicere possumus, animam in rebus purè corporis nihil aliud esse, quam peculiarem illam dispositionem, ac particularum combinationem, qua posita, exercere valent certa quædam genera actionum vitalium, seu immanentium: omnis enim rerum purè materialium forma juxta nostra principia, si generaliter sumatur, non in alio consistit, quam in dispositione, & harmonia partium componentium, qua posita corpora illa idonea evadunt ad determinatas actiones vitales elicendas: ergo & forma vitalis, seu anima in prefata partium harmonia consistit, qua corpora actiones vitales elicere possint.

Verum his non obstantibus, quoniam in compositis naturalibus, sicut in perfectioribus, qualia sunt viventia, partem aliquam corporis perfectiorem, & actiuiorem, quæ ceteras actuat, ac movet agnoscamus, quamvis illius compositi formam esse dicimus: ita similiter in viventibus, assertimus cum communi sententia, partem illam corporis animati, quæ ceteris perfectior est, & actiuisior, quæ ceteras actuat, regit, movet, ac sibi quasi famulas subicit, esse animam, ac peculiarem corporis viventis, qua tale est, vitalem formam. Cunque in quolibet vivente multiplices sint actio-

5
actiones exercenda, ingens valde partium organicarum multiplicitas requiritur. Hinc totidem in corpore viventi ductus, vasa, fibræ, ac reticulationes observantur: totidem enim ad tam multiplices operationes vitales requiriuntur. Hinc jam apertè conspicitur rectè Animam ab Aristotele lib. 2. de Anima, tex. 4. &c. 6. fuisse definitam, cum dixit: *Animam esse actionem corporis physici, & organici potentia vitam habentis.* Quam definitionem, omnibus relictis, facilimè explicamus afferentes, animam esse primam, ac nobilissimam perfectionem illius corporis physici, quod sua organizatione, ac partium etherogenearum dispositione, aptum est, ac potens elicere operationes illas, quas vitales appellamus, quævis corpus illud actu elicere virtute Anima, quæ illarum est proximum principium, ac inter ceteras illius corporis partes actuosius. Unde illa corpora viventia appellantur, quæ cum organica sint, præstatum in se principium continent. Hinc actiones vitales ab intrinseco procedunt; & consequenter vita in motu ab intrinseco profecto consistit, quo nempe vivens operationes immanentes elicere, quæ propriæ vitales sunt, ut suprà diximus.

PROPOSITIO II.

Aliqua ex predicta Anima expositione colliguntur.

C Olligitur 1. In corporibus viventibus tres potissimum distinguiri Anima species, nempe Vegetativa, Sensitiva, & Intellectualis. Ratio est, quia tres notæ sunt species operationum immanentium, nempe Vegetationis, Sensationis, & Intellectionis: cumque operationes immanentes vitales sint, tres quoque erunt vitæ species; & consequenter tria principia immanenter

ter operativa specie diversa , seu anima specie distincte vegetativa scilicet , sensitiva , & intellectualis. In homine tamen unica anima , nemp̄ rationalis , h̄c tria munia pr̄stata , ut postea patebit.

Colligitur 2. Nullum corpus esse vivens , nisi sit mixtum : nam omne corpus vivens debet esse organicum : sed corpus simplex organicum esse nequit : ad organizationem enim requiritur , ut ex partibus heterogeneis substantialiter coalescat : ergo nullum corpus potest esse vivens nisi sit mixtum.

Colligitur 3. Rationem vitæ , si metaphysicè sumatur , pro principio scilicet immanenter operativo , univocam esse respectu omnium viventium , qualia sunt corpora viventia , & spiritus : seu plantæ , Animalia , Anima rationalis , Angelus , & Deus : omnia enim immanentes operations , aut actus eliciunt ; si vero prædicta vita ratio physicè consideretur , modo valde diverso convenit corpori , & spiritibus immaterialibus : vita enim in corpore compositionem supponit ex partibus substantialibus heterogeneis ; quam spiritus immateriales nec habent , nec habere possunt.

PROPOSITIO III.

Plantæ corpora viventia sunt , earumque forma est Anima vegetativa.

EX dictis in præced. propos. aperte colligitur decisio illius questionis , an nemp̄ plantæ propriè vivant ; qua ut verum fatear , potius de nomine censenda est , quam de re. Assero itaque plantas propriè vivere , & anima vegetativa informari. Ratio est quia id , cui competit esse principium immanenter operativum , seu quod ab intrinseco exercet operationes immanentes , verè vivens est , & forma vitali , seu anima

ma donatur : at plantæ sunt principium immanenter operativum , seu ab intrinseco excercens operationes immanentes : ergo verè vivunt , & forma vitali , seu anima donantur. Major constat ex dictis. Minor patet nam accretio , nutritio , &c. quæ à plantis fiunt , in eisdem recipiuntur , ac terminantur : & consequenter sunt actiones immanentes. Unde plantarum forma anima est : est enim actus primus corporis physici , & organici potentia vitam vegetativam habentis. In quo autem h̄c planta forma physicè consistat , diximus Tract. præced.lib. i. prop. 16.

L I B E R II.

DE ANIMA SENSITIVA , ET CORPORIBUS VITA SENSITIVA PRÆDITIS.

HÆC præstantissima Philosophia naturalis pars , quæ de Animantibus , seu corporibus sensitivis pertractat , ingentem adfert jucunditatem , cum incredibili utilitate conjunctam : quisquis enim concinnam illam partium , in unum finem confluentiam , compagem , attentius intuebitur , qua animantium corpora sunt constituta , ac fabricam illam , in minutissimo etiam animalculo , tam mirificè architectam contemplabitur , ingenti voluptate procul dubio afficietur , simulque tanti operis Opificem mirabitur , ac eundem in egregio hoc sua Sapientia portento jugiter laudabit. Sic Galenus in Libris de usu partium , postquam humani corporis structuram ex-

posuit, hymnum se Deo cecinisse testatur; ita ut ad probandam supremi numinis sapientiam, potentiam, ac bonitatem, nullo alio opus esse argumento putaret. In hac tamen materia quanta occurrant difficillima, ex dicendis patebit, ac apertere colligi potest ex ingenti partium varietate, ex quibus animalium corpora coalescent, & ex multitudine functionum, quibus sunt destinata, quorum causa in intimis naturae recessibus, quasi sub signaculo sunt conclusa: quid tamen verosimilius videatur, Deo juvante exhibebimus.

CAPUT UNICUM.

De his, quæ ad sensitiva pertinent;

PROPOSITIO I.

Aliquæ circa animam brutorum sententiae referruntur.

PRIMO autem ingens, si quæ alia, in Philosophia, se se offert difficultas, in Brutorum anima physicè constituenda, quæ Philosophorum mentes insigniter torcit, & torquet, ita ut in diversas abierint sententias: licet enim omnes agnoscant in viventibus, partium solidarum mirabilem quandam structuram, simulque varia humorum per fistulas, seu canales fluitantium genera; ac præterea quoddam functionum, ac motionum principium, quod ut dixi definiunt *aëlum primum corporis physici*, & organici potentia vitam sensitivam habentis: quamvis, inquam, in his communiter convenient; cum eo perverniunt, ut accuratius expendant, quid rei physicæ sit

illa

illa anima, seu actus primus, præsertim in Brutis, in oppositas scinduntur sententias.

Prima sententia in Scholis receptissima tenet, animam brutorum esse substantiam quandam materiale, à materia tamen realiter distinctam, sensationis, & aliquuj cognitionis participem, quæ principium sit omnium earum operationum, quas in brutis experimur. Secunda sententia defendit in brutis nullam esse substantiam ab omni materia realiter distinctam, quæ sit principium earum functionum; sed ad eas omnino sufficere quosdam materiæ motus ac modificationes: quandiu enim hæc per meatus corporis physicis, & organici fluitat, ac convenienter movetur, animal vivit, ac proprias vitæ functiones exequitur: ita tenent omnes qui physicæ res, non per abstractas Metaphysicæ abstractiones tantum pensant; sed ad physicum, ut par est, scrutinium adducunt. Hi tamen in alias sententias subdividuntur. Aliqui enim tenent bruta machinas quasdam esse, seu automata Divino artificio fabrefacta, quæ ab obiectis extrinsecus moventur, sive per species immisias, sive per alias motionum species; tum ab spiritibus vitalibus, seu animalibus intra animalium corpora existentibus: idque ita esse volunt, ut sint omnis sensationis, ac cognitionis expertiæ: alii vero tenent bruta omni prorsus cognitione carere; non vero sensatione: ad idque sufficere materiale illud principium activissimum, quod suo motu, ac per canales decursu, vitæ sensitivæ actiones exequitur, mediantebus organis ad id destinatis. Verum hæc singulariter expendumus.



PROPOSITIO II.

Sententia Antonii Gomez Pereira, & aliorum circa Brutorum animas exponitur.

ANTONIUS GOMEZ PEREIRA natione Hispanus in sua Margarita Antoniana, primus his ultimis sæculis assertuit, nullam aliam in Brutis animalibus animam reperiri præter organorum dispositionem, ac partium, ex quibus coalescunt, configurationem, ac modificationem, adeo ut omnes motus, qui ab eis peraguntur, ac singulæ actiones, qua vitales vocantur, à solo spirituum influxu, per organa debitè disposita recurrentium, proveniat: ideoque bruta animalia esse machinas quasdam, ac veluti Automata, talibus partibus, taliterque dispositis constantia, ut in se habeant principium motus, sicutque omnino apta ad cunctas, quæ in animalibus observantur, actiones exequendas, accedente præsertim in quamplurimis motione ab obiectis externis profecta, qua machinam illam ad hos potius motus, quam illos efficiendos, determinant.

Hanc sententiam tenuit postea, & amplius explicuit Renatus Descartes, Antonius Legrand *Phil. part. 7. art. 18.* & alibi. Roaltus, & cæteri ejus discipuli. Eandem sententiam jam olim aliqui expriscis Philosophis tenuerunt, ut videri licet apud Plutarchum *lib. 5. de Placitis Philosoph. cap. 20.* ubi Diogenem Cynicum pro hac sententia adducit. Stoici item ferè omnes in eo conveniunt, quod scilicet brutis per similitudinem quandam cum homine, sensations convenient. Hanc ejusdem sententiae antiquitatem testatur S. Augustinus *lib. de Quant. Anime. cap. 30.* Nec à prædicta Gomezii, & Cartesianorum sententia omnino dissentit

Do-

LIBER I. CAPUT UNICUM.

11

Doctissimus Caramuel in sua *Metalogica lib. 10.* De severa argumentandi methodo, part. 3. ubi post alia concludit: *Præter animam rationalem posse omnes alias non solum substantiales animas, sed etiam substantiales formas, liberè, & securè negari.* Hæc autem assertio organi pneumatici exemplo quamoptimum explicatur.

Organum pneumaticum tali artificio conditum est, ut tota ejus moles innumeris, fistularum ordinibus componatur, tum & quamplurimis pneumaticis canaliculis, & ductibus, per quos aër ita liberè excurrere possit, ut per fistularum ora subintrans, vocem efformare valeat: his tamen præcisè positis, adhuc filet organum, donec ab organèdi manibus palmula premantur, qua pressione, jam per has, jam per illas fistulas, aëri pateat aditus, qui per illas decurrentes voices efformat, ita diversas, ut innumeræ melodias earum combinatione prodat. Similiter itaque Animantis machinam conflatam esse cogita; innumeris nempe musculis, nervis, cartilaginibusque compositam: tum & quamplurimis ductibus, venarum scilicet & arteriarum, aliisque similibus, per quos tum liquores, tum spiritus decurrere possint, ac machinam illam ad diversos motus concitare. Nondum tamen machina hæc motionem aliquam efficit, donec spiritus prædicti actu per muscularum fibras, ac fistulas excurrant: excitantur autem, ac determinantur ad hunc, aut illum determinatum motum, ad hanc potius quam ad illam partem, multoties à particulis elasticis, quæ in corporis animalis recebis conduntur; sèpius verò à motionibus, quæ in sensibus externis pasivè recipiuntur, & ab obiectis externis profiscuntur, mediis speciebus in eos immisis, aut alio quovis ipsis speciebus affini:

jux-

juxta enim harum specierum in sensu appulsus , diversa moventur fibræ , tum & eadem diversis motionum generibus concitantur ; diversi quoque ac diversimode patefiunt ductus , ut per eos spiritus recurrentes , ea motuum , ac functionum diversitas oriatur , quam in brutis animantibus conspicimus . Hæc ita universim dicta sufficient , ut aliqua hujus sententia notitia exhibeatur .

Probant 1. Prædicti Auctores hanc assertionem , auctoritate Aristotelis , qui lib. 2. de Gener. Animal. cap. 1. post medium ait : *fieri autem potest* , ut hoc ab hoc moveatur , & hoc ab hoc , sicut perinde ac admirabilis illa automata . Quod idem docet lib. de Motione Animalium cap. 7. item lib. 8. Phys. text. 20. negat animalia se se mouere , ait enim : *Quod enim prius quiescebat , postea ambulat , nullare externa movente , ut videtur . Sed hoc est falsum ; videmus enim semper aliquid innatum moveri in animali : cur autem hoc moveatur , non ipsum animal causa est , sed fortasse id quod ambit .*

Probant 2. Auctoritate Sacra Scriptura Deuteronom. 5. v. 23. *Hoc solum cave ne sanguinem comedas ; sanguis enim eorum (scilicet pecudum) pro anima est , & idcirco non debes animam comedere cum sanguine .* Idem habetur Levitici cap. 17. v. 14. *Animæ omnis carnis in sanguine est , unde dixi filiis Isræl , sanguinem universæ carnis non comedetis , quia anima carnis in sanguine est .* Quod optimè ex his S. Scripturæ verbis confitemat S. Basilius Homil. 8. in Hexameron , ubi ait *Christianum ignorare non posse quid sit anima brutorum , cum Sacra Scriptura toties dicat nihil aliud esse quam sanguinem .* Qualiter autem his auctoritatibus obiectis repondeant communis sententia Au-

ctores postea patebit .

Probant 3. Ratione eandem conclusionem , nam Deus , & natura nihil frustra faciunt : sed potuit Deus ita constituere bruta , ut per solas machinas , automatum more , omnes suos motus , & functiones exequentur , eo nempè modo , quo supra explicatum est , absque forma aliqua cognoscitiva : ergo ita factum esse censendum est . Minor videtur certa ; si enim arte humana tales fieri possunt inanimes machine , que sua veluti sponte moveri , ac incedere videantur ; ita ut quandoque vitam habere creditæ sint : quid non infinita Dei artificiis sapientia architectari non poterit : ergo potuit Deus perfectissimas brutorum machine ita construere , ut absque alia forma , omnes eorum functiones exequantur . Et confirmatur , nam nulla est assignabilis contradic̄tio in præfatis brutorum machineis , vi sui artificii omnes eorum actiones efficientibus : ergo earum impossibilitas non est ascenda ; cum quoties nulla appetet contradic̄tio , sit pro Dei potentia omnino standum : innumera enim potest Deus facere , que nos agnoscere non valemus .

Pater Joann. Vincentius. P. Buchardus Lingen , & alii communis sententia Auctores prædictam possibilatem negare non audent ; respondent tamen 1. Ex eo quod Deus potuerit ita bruta animantia construere , ut sine anima cognoscitiva motus omnes , & actiones exercerent , non inde sequi Deum ita fecisse : de potentia enim ad actum non valet consequentia . Sed contra hanc solutionem instabunt adversarii : licet de potentia ad actum simpliciter non valeat consequentia ; valere tamen aliis adjunctis : dicent enim quoties iidem effectus possunt fieri per pauciora , dicendum esse actu ita fuisse à Deo instituta : atqui per solas ma-

chinas , & automata fieri possunt actiones brutorum, absque superaddita anima sensitiva , & cognoscitiva: ergo dicendum erit ita fuisse à Deo constituta. Respondent 2. Tot esse in brutis signa vitæ cognoscitivæ, & sensitivæ , ut absurdum sit penitus afferere fuisse ipsis à Deo negatam animam sensitivam , & cognoscitivam. Sed dicent Adversarii , nullum apparere absurdum in admittendo actu id , quod possibile esse conceditur; præcipuè cum ad finem ad quem fuerunt condita bruta , sufficiat ut quovis modo suas functiones exerant, eodem si quidem modo homini , cuius gratia condita sunt, famulabuntur.

Probant 4. Ea sententia est in hac re ceteris præferenda , qua magis aptatur decretis Æcumениci Concilii Lateranensis V. l. f. 8. ubi distictè præcipitur singularis Philosophiam docentibus , ut congruas adhibeant solutiones argumentis , qua ab Atheistis objiciuntur adversus Animæ humanae immortalitatem: hancque insuper suis discipulis manifestam efficiant: sed sententia docens bruta animalia machinas tantum esse , automatis similes , absque ulla anima cognoscitiva , magis aptatur decretis præfati Concilii : ergo hæc sententia erit ceteris præferenda. Minor probatur, nam si semel stabiliter principium quo formale cognoscitivum , non posse consistere in combinatione aliqua , aut coordinatione , ac nexus atomorum , seu particularum materiae : & aliunde omnes actiones , ac functiones , qua à brutis exercentur , à quadam tantum machina , seu automato procedere posse , absque ulla cognitione , aut anima cognoscitiva , certissimè infertur , homines animam habere , que sit cognitio- num , ac intellectionum , quas in nobis experimur principium ; & consequenter ab omni materia distin- etiam,

etiam , incorpoream , ac ex nulla partium materiae combinatione compositam; ac per consequens spiritualem, ac natura sua immortalem , & corruptibilem : Bruta verò forma corruptibili constare : cum enim hæc in sola partium materiae coordinatione , ac motu constat, hoc cesante , ac spiritibus ab invicem separatis , nulla ejus forma potest esse superstes , nihilque remanet præter partes materiae , qua fabricam illam antea componebant , nihilque jam sunt præter diruti ædificii rudera: quemadmodum & in horologio automato rotæ tan- tum , axes , &c. superflunt, ejusque forma deperiit, cum horologii fabrica casu aliquo fuit dissoluta : ergo hæc sententia maximè aptatur decretis à prædicto Concilio statutis.

Præterea sententia communis tribuens brutis animam cognoscitivam ab omni materia realiter entitati- vè distinctam , quantumvis eam auctores materialem appellant , hæc, inquam , sententia impii atheis oca- sionem tribuere videtur , ac argumentum ad denegandam animæ nostræ immortalitatem , ac præcipua no- stræ fidei dogmata ; si verò præfata anima cognoscitiva brutis denegetur, hæc omnia stabiluntur. Possent enim sic arguere impii : cognitio , & cogitatio reperitur in brutis ; & tamen anima eorum mortalis est : ergo licet anima humana cogitans sit , ac cognoscitiva , nihil ve- tet esse mortalem : si igitur afferatur brutis non inesse animam cogitantem , ac cognoscitivam , sed mera au- tomata esse , omnino enervatur atheorum ratio , via- que præcluditur atheismo : neque enim pestiferam hu- jusmodi gentem ab errore tam enormi , Sacra Scriptu- ra testimoniis , aut rationibus in moralibus deturbare possumus , cum ipsis nihil horum admittant : solum ergo impeti , ac debellari possunt rationibus physicis , qui-

quibus ostendatur positivè apertum , ac maximum dis-
crimen inter humanam animam , & brutorum : sed
nullum aliud efficacius videtur posse adhiberi , quam
predictum: ergo , &c.

Probant 5. Eandem assertionem , nam si bruta
animas haberent cognoscitivas , eorum animę ipsa ani-
ma humana essent prudentiores , ac sapientiores : ita
enim mirabilia sunt quamplurima brutorum opera , ut
omnem humanam industriam , & soleritatem superare
videantur. Quis enim imitari videatur aranearum te-
las , bombicum textrinam , apum favos , formicarum
providentiam , futurarum tempestatum præfigia , item
& aliorum animalium sensuum perspicaciam , qua ho-
minum sensus præcellunt , juxta illud.

Nos Aper auditū; Linx viſū; Simia guſſū;

Vultur odoratu, præcellit Aranea tactū.

Non ergo brutorum anima cognoscitiva est , nec præ-
fatæ operationes ex alio , quam ex machina quadam
procedunt , qua ita confituta à Deo est , ut necessariò
præfasatas operationes tam exactas eliciat : quemadmo-
dum & organum pñematicum sonoras reddit voces ,
cum ejus fistulis ad concentum perfectè sunt adductæ ; &
horologium automatum exactè horas ostendit , cum
recte , prout ad hunc finem requiritur , est archite-
ctum.

Probant 6. Si bruta cognoscunt , etiam judica-
bunt , & discurrent : sicut enim apparent cognitionis
alicuius signa , ita judicij , & ratiocinii quedam præfe-
runt indicia : sed hæc nullatenus sunt brutis conceden-
da : ergo neque cognitione. Hujus argumenti vi eo ali-
qui adducti sunt , ut vim quandam discurrendi brutis ,
saltim perfectioribus attribuerint ; sed ut recte P. Lin-
gen , nescio an satis id in fide , ac ratione firmum ,
ideo-

ideoque negandum est absolutè : expresse enim contra
Gnosticos definitum est , bruta rationalia non esse : &
si semel ipsis aliqua judicandi , ac discurrendi vis con-
cedatur , facile eisdem libertas , ac meritum aliquis
concederet , nihilque jam restaret , per quod homines
à brutis secerneremur , quod summum nefas esset omni-
no detestabile. Respondet itaque citatus Auctor , cum
communi præcedenti rationi , actiones illas , quæ in
brutis aliqua judicij , ac discursus præbent indicia ex
solo naturæ quodam instinctu fieri , quo à Creatore ,
non secùs ac sagittæ ad scopum , diriguntur , crita ul-
lum tamen judicium , ac discursum.

PROPOSITIO III.

*Argumenta , quibus prædicta sententia impugnatur ,
expenduntur.*

SEntentia prædicta asserens bruta animalia non nisi
machinas esse , meraque automata impugnatur
communiter 1. Auctoritatibus Sacré Scripturæ , in
quibus vita , & sensatio brutis tribuitur. Genef.1.v.31.
*Creavitque Deus Cete grandia , & omnem animam
viventem , atque motabilem , & v. 24. Dixit quoque
Deus , producat terra animam viventem in genere
suo , jumenta , reptilia , & bestias terre secundum
species suas , factumque est ita.* Accedit auctoritas
SS. Patrum communiter sensationes in brutis indubi-
tanter asserentium , quos longum esset recensere. His
tamen auctoritatibus respondere possunt oppositæ sen-
tentiae Auctores dicendo , loqui de sensatione incom-
pleta ; non verò de completa , quæ est etiam actio co-
gnoscendi , & cogitandi. Ut enim optime adnotavit
R.P. Saguenus *Phys. part. 2. disp. 2. art. 1.* Ad comple-
tam sensationem diversæ actiones concurrunt , quas

Cartesiani , & reliqui Autores pro hac sententia ad ducti non negant , una dumtaxat , quæ est actio cogitandi , seu cognoscendi .

Sit exemplum . Visio completa præter receptionem luminis emissi ab objecto visibili , & impressionem in oculo , ac præcipue in retina factam , importat ejusdem imprecisionis communicationem , seu translati onem ad interius organum cerebri per nervos opticos , ac præterea fibrarum ejusdem cerebri motionem , qua deinceps perducta ad nervos , musculos , tendines , ceteraque potentias motricis organa , totum animal moveatur , vel ad fugam objecti visi , vel ad ejus prosequitionem . Hæc autem & similia actionum genera non negant prædicti Autores , sed potius fatentur in esse brutis , utpote pro illis exercendis natura providit , ac efformavit organa tam plurima ; negant tamen ad præfatas actiones consequi actionem ullam , quæ sit obiectorum perceptio , aut cognitionis , ex qua sequatur eorum fuga , aut prosequutio , in qua cognitione simul cum predictis actionibus consistit sensatio perfecta , ac completa . His suppositis , dicere possunt Autores hujus sententie , supradicta Scriptura verba intelligi de sensatione incompleta ; non vero de completa , quæ obiectorum cognitionem includit .

Sed adversus hanc solutionem objici possunt verba illa Isaiae cap . 1 . *Cognovit Bos posseforem suum , & Asinus præsepe Domini sui ; Israel autem me non cognovit .* In quibus cognitionis brutis animantibus tribuitur . Tum & Ecclesiastici cap . 13 . *Omne animal diligit sibi simile :* ergo actiones cognitionis , amoris , & odii bestiis convenient . Huic instantia respondet Gomezius Pereira , ex præcedentibus Prophetæ verbis colligi , qualiter verba ab adversariis obiecta , sint intelli-

gen-

genda : dixerat enim Isaías , *Audite Cœli , & auribus percipe Terra , quoniam Dominus loquitus est ,* aitque Gomezius : *ubi per metaphoram homines spirituales Celum nominat , & brutales , Terram . Ubi facilè colligitur , Prophetam etiam per metaphoram inclinationem illam naturalem , qua bestia ab obiectorum speciebus ducuntur , cognitionem dicere .*

Impugnatur 2. eadem sententia : Nam talia apparent in brutis actionum genera , quæ manifeste indicant eis inesse potentiam , tum memorativam , tum appetitivam , tum denique obiectorum sensibilium cognoscitivam : Canes enim dominos suos ab eorum oculis sublatos , ingenti solicitudine , ac citatissimo cursu querantur : ac post multum temporis , cum ad eorum præsentiam redeunt , eisdem blandiuntur , ac veluti ingenti voluptate affecti tripudiant : quæ quidem actiones non per solas automatum dispositiones explicari posse videntur . Sed responderi solet , animalium machinas , & organa taliter esse disposita , ut eorum ductus per aspidos ejusdem obiecti aspectus , ac præsentiam , ad similes motus reddantur proclivia ; unde canis machina , cum iterum ad sui domini præsentiam revocatur , ab ejusdem domini speciebus ad antiquos motus denuo excitatur : similiterque in aliis discurruntur : & licet cuncta in particulari exponere sit difficile , veluti in aliis rebus , ac naturæ portentis nostræ imbecillitatibz accidit , non inde infertur falsitas præfata sententie , cum aliunde dicere non cogamus eas actiones sine cognitione per meras machinas , & automata à brutis exerceri non posse .

Impugnatur 3. eadem assertio : Si bruta tamquam mera automata à Deo fuissent producta , Deus nos falleret , quatenus nempè tribueret occasionem erroris ,

quo preventi judicaremus, inesse his automatis animam cognoscitivam, cum tamen mera automata sint, tali anima destituta: at Deus fallere neminem potest: ergo, &c. Hoc tamen argumentum debile est: quia Deus nullatenus ea produceret animo decipiendi; sed potius ostendendi sui Opificii mirabilem artem, ac infinitam ejusdem Dei potentiam: ubi autem absit animus decipiendi, nulla potest argui deceptio: alioquin etiam reputandus esset Deus fallax, & reus illius erroris, in quem plerique cadunt dum opinantur Lunam qualibet Stella fixa esse multo majorem. Hac dicta sunt, ut hujus sententiae fundamenta pateant; quid enim circa brutorum animas dicendum occurrat sequentibus propositionibus aperiam.

PROPOSITIO IV.

Anima, seu forma brutorum non est entitas absoluta ab omni materia prima entitativa distincta.

Probatur 1. Omnibus rationibus, quibus formas substantialies materiales ab omni materia prima entitativa distinctas rejecimus in Physica gener. quas hic non est opus transcribere.

Probatur 2. Nam omnes vita brutorum operaciones optimè explicari possunt absque praedicta anima, seu forma, quæ entitas sit absoluta à materia prima entitativa distincta: ergo frustra admitteretur: & consequenter venit rejicienda. Antecedens patebit infra.

Probatur 3. Nam si praedicta forma, seu anima sit aliqua entitas absoluta explicari nequit quomodo producatur: nulla enim causa assignatur, quæ facile non rejiciatur: non qualitas aliqua, nam qualitates omnes sunt

sunt infra substantiam, & consequenter eam producere sunt impotentes. 2. Gallina ex. gr. incubans ovum, formam, seu animam pulli non producit; alioquin etiam formam anserinam produceret, cum anserinis ovis incubare queat, ut aliquoties experimur: cum igitur in hoc casu formam anseris non producat, neque formam pulli producet, cum propriis ovis incubat. 3. Quia nulla causa assignatur ab Auctoribus opposita sententia, quæ formas insectorum, quæ ex putri oriuntur, producat, nisi recurrent ad Deum, quod licet pium sit; in effectibus tamen naturalibus est parum philosophicum.

Probatur 4. Nam si anima brutorum entitas sit absolute, explicare tenentur ejus assertores, qualiter talis anima suas operationes elicit: duas tamen proprie scilicet motum, & sensum. Quod ad motum attinet, concipi, nedum explicari potest, quomodo moveat nervum ver. gr. nisi ipsa anima virtute motrice polleat: si autem virtute motrice pollet, certe poterit se ipsam movere: ergo etiam per se ipsam movere poterit corporis membra: ad quid ergo tantus organorum apparatus: ex eo enim tantum quod anima illa producat in se motum, corpus, cui ipsa unita est, etiam necessariò movebit. Deinde explicare tenetur, quomodo anima illa in dies fortior evadat, cum animal adolescit, præcipue si ipsa entitas simplex sit. Quod verò ad sensum pertinet, inexplicabile est quomodo affici possit à corpore sensibili: si enim afficitur, certe vel ope divisionis, vel compressionis, vel tensionis afficitur: ergo ipsa capax erit ut dividatur, fecetur, ac comprimatur, &c. ergo corpus est: hujusmodi enim passiones non nisi corpori convenire queunt: ergo ipsa corpus erit: ergo partibus constabit, ilisque mi-

nuttissimis , quod recidit in atomistarum sententiam: tum si fecetur , quomodo ejus partes iterum uniuntur , si animal non intereat.

Probatur 5. Nam si anima brutorum entitas sit abso-luta à materia prima distincta , quæ possit se move-re , aut sentire per sectionem , aut pressionem , &c. non est cur seorsim à corpore persistere nequeat : pos-set enim seorsim à corpore se mouere , secari , compri-mi , &c. & consequenter non esset frustra : ergo non est cur destruatur , cum à corpore separatur. Scio hac in re alia ab Scholasticis vulgo dici ; sed quæ si medulli-tus scrutentur , difficultatem non solvunt : potius er-go dicendum censeo animas brutorum non esse entita-tes absolutas à materia prima distinctas.

PROPOSITIO V.

Anima brutorum dicit aliud respectivum , tum & aliud absolutum ; non tamen ab elementis , aut materia prima realiter entitativè distinctum.

Aspero formam , seu animam brutorum nihil aliud esse , quam particulas elementorum , seu mate-riæ , hoc vel illo modo ita dispositas , ut peculiari mo-tu , per organicas corporis animantis partes discurren-tes , totum animal ad suos peculiares motus , & fun-ctiones determinent , ac incident. Hinc animantium anima aliud entitativum dicit , nempe particulas ma-teriæ , seu elementorum , ex quibus conflatur : tum & aliud respectivum , nempe rationem illam , seu respe-tum ex predicta particularum elementarium conjugatione , ac combinatione resultans.

Explicatur amplius. Forma brutorū dupliciter con-siderari potest ; primò generaliter , ut in aliis entibus

na-

naturalibus corporeis , & hoc modo dicit talem com-binationem , conjugationem , ac dispositionem omniū partium , quæ animal illud componunt. Secundò su-mitur forma animantis pro parte illa nobiliiori , do-minante , actuosiori , &c. à qua cæteræ motum acci-piunt , atque per ipsam præcipuæ animalis functiones exercentur. Hęcque est anima , cui organa corporis animati subjiciuntur , ut ipsis mediabitibus operetur: ideoque est *Actus primus corporis physici , & organi-ci , potentia vitam sensitivam habentis.* Hæc autem peculiari forma , seu anima bruti constat etiam ex ele-mentaribus particulis , hac vel illa dosi acceptis ; hoc vel illo motu concitatis ; unde non est aliqua entitas à particulis elementorum distincta , solumque addit ordi-nem talem , ac peculiarem motum , quo per organicas animalis partes centur. Hæc autem satis constant ex dictis in Physica gener. Nunc autem exponenda re-stant , quæ ad hujus animæ materialis notionem ple-nius habendam requiruntur. Cumque anima bruto-rum sit principium motuum , ac sensationum animalis , si semel exponatur quid sit harum functionum prin-ci-pium , exposita manebit anima brutorum essentia: hoc igitur sequentibus propositionibus præstabimus.

PROPOSITIO VI.

Quid physicè sit illa entitas absoluta , quam anima brutorum dicit , determinatur.

SUPPONENDUM est 1. Duplex esse principium , aliud quod communiter appellatur *Principium Quod:* & aliud , quod dicitur *Principium Quo.* Principium *Quod* est illud , quod alias operationes , seu effectus producit : Principium verò *Quo* , est vis illa , seu vir-tus qua principium *Quod* prædictas operationes , seu effe-

effectus producit. Hinc in nostro casu principium *Quod*, tum motus, tum sensationum est animal: movere enim, & sentire operationes sunt, & actiones: sed ut ait Philosophus, actiones sunt suppositorum: ergo suppositum, seu animal vivens est principium *Quod*: animal enim est quod videt, quod sentit, &c. Principium vero *Quo*, seu in quo stat vis illa, ac virtus praedictarum actionum in brutis, est quod in praesenti inquiritur: hoc enim erit praeципua, ac dominans brutorum forma, ac eorumdem anima vivens, quod diversis affectionibus exponam.

Affero 1. Principium *Quo* operationum, que à brutis exercentur, seu eorumdem animam, esse aliquod corpus. Ratio est quia animæ brutorum, licet aliquid respectivum includant; sunt tamen aliquid absolutum, quod substantia est entitativè: sed ut alibi diximus, omnis substantia vel corpus est, vel spiritus: ergo forma brutorum vel corpus est, vel spiritus: sed non spiritus, ut est certum: ergo est corpus. Dices, esse posse quid corporeum, licet non sit corpus: quemadmodum & gratia quid spirituale est, licet non sit spiritus. Sed respondeo gratiam sanctificantem substantiam non esse, sed accidens subiecti spiritualis, seu quod spiritus sit, ut Angeli, & Animæ humanæ: non enim extra subiectum operationem aliquam habere potest, ideoque in subiecto necessario existere debet, ut persistat; extra illud enim esset frustra: in rebus vero corporis, nullum tale accidens reperitur, ut alibi dixi: hinc quidquid entitativè corporeum est, substantia est: & consequenter corpus: cum talis substantia corporeæ spiritus esse nequeat.

Affero 2. Brutorum animas divisibiles esse, & extensas. Ratio est, quia (præced.) Animæ brutorum sunt

sunt aliquod corpus: sed omne corpus extensum est, ac in partes divisibile, si singulas atomos excipias: ergo animæ brutorum divisibiles sunt, & extensa: non enim anima bruti in una, & solitaria atomo consistere potest, sed in quodam earum aggregato, ut statim dicam.

Probatur 2. Nam anima bruti eodem momento, multas simul vitæ functiones exercit: ergo in multis simul animati corporis organis existit: sed non est tota in singulis organis, seu partibus corporis animati: ergo alia pars est in uno; alia vero pars in alio: ergo extensa est, & divisibilis: aliter à re spirituali non differet, ver. gr. ab anima rationali, quæ licet in toto corpore, ac per totum corpus extensa sit, est tamen indivisibilis, totaque in singulis organis existit, licet non totaliter, ut suo loco dicam. Confirmatur, nam in iis animantibus, quæ insecta appellantur, ut sunt Lacerti, Viperæ, Vermes, & similes, experimur, adhuc post divisionem eorumdem in partes, vivere moveri, &c. ergo eorum anima quid extensum est, ac divisibile. Cur autem animalium perfectorum partes, ab invicem separatae, praefatos motus non exhibeant, suo loco patebit.

Huic nostræ sententiae suffragari videntur S. Augustinus, S. Thomas, aliisque Patres. Nam S. Augustinus lib. de Spiritu, cap. 23. ait, *Spiritum corporeum voco aerem, vel potius ignem, qui pro sui subtilitate videri non potest, & corporea interiori vegetando vivificat; quedam autem vivificat tantum, & non sensificat, sicut arbores, & herbas & universa in terra germinantia; quedam autem sensificat, & vegetat sicut omnia bruta animalia.* Ex his patet S. Augustinum nullum aliud admittere functionum principi-

cipium in plantis, & brutis, præter ignem elementarem; & consequenter nullam in brutis animam agnoscere, quæ sit à materia realiter entitativè distincta. Quod autem hujus animæ vi nulla excitentur in brutis cognitiones, sed tantum per affectiones in sensibus factas, quasdam ad motus animalium determinationes congruentes excitari, colligitur aperte ex his, quæ idem Sanctus asserit cap. 4. de cognitione veræ vite. Ait enim. *Vita brutorum est spiritus vitalis constans de aere, & sanguine animalis, sed sensibilis, memoriari habens, intellectu carent, cum carne moriens, in aera evanescens.* Idem non obscurè asserere videtur S. Thomas 1.2. quæst. 13. art. 2. ad secundum.

Affero 3. Animam brevi esse substantiam quandam subtilem, actuosam ab ignis elementaris natura non multum alienam. Ita tenet Auctor Philosoph. vet. & nov. *Phys. part. 3. Tract. 1. differt. 1. cap. 1.* P. Honor. Fabri lib. 5. de Gener. animal. prop. 60. & lib. 2. de Homine prop. 39. Gassendus, Uvillius, & que communis omnium illorum Philosophorum, qui Physico scrutinio animatum brutorum essentias perscrutantur. Ratio est 1. Quia anima brutorum est substantia illa, vegeta, & actuosa, & quæ in corpore animantis potissimum dominatur; ac consequenter est principium Quo functionum animantis, nempè motuum, ac sensationum, ut ex dictis in Physica generali constat: sed inter corpora, quæ sub sensus veniant, nullum est actuosius igne: ergo, &c. Min. patet ex tract. de Elem. Ignis enim ex particulis, seu atomis subtilissimis constat, jugi, & perenni motu agitatis, quæve versùs quantumlibet partem agillimè centur, ac præcipue versùs eas ad quas à loci, in quo continentur dispositione determinantur: ergo inter cetera, quæ corporis ani-

man-

mantis fabricam componunt, particulæ ignis sunt, quibus aptius, pleniusque convenientia ea, quæ ad functiones vitæ animalium perficiendas requiruntur. Hocque aperte confirmatur Auctoritate S. Augustini in præced. assert. adducta. Dicendum ergo est principium Quo harum functionum, seu animam brutorum esse particulas ignis, vel aliquid ipsis affine. Hinc animantium anima rectè appellatur flamma vita, ignis vitalis, lux vita, &c.

PROPOSITIO VII.

Qualiter motus vitales efficiantur à brutis, prædicta anima solium in ipsis posita, exponuntur.

SUPPONO ex dictis in Tract. de Elem. Ignis elementaris particulas, cum liberæ ab aliis particulis sibi ætherogeneis existunt, velocissimo motu quaquaversum cieri, determinari verò ad hunc motum præ alio à dispositione meatum in quibus includuntur, aut corporibus ipsis circumexistentibus, ut clarissime patet in igne intra cavam tormenti bellici fistulam accenso, qui ab ea determinatur, ut velocissimum suum motum potius horizontaliter, quam per alias lineas exerat: potius item versus ortum, quam versus occasum decurrat. Ignis itaque ille defecatisimus, ac vitalis, quem bruti animam esse diximus, in intimis, ac destinatis animantis recessibus constitutus, cum per determinatas fibras, fibulasque cietur, motus diversos in diversis animantis organis producit, quorum diversitas à distincta organi structura dependet. Sic eadem motoris vis trochlear polympastos applicata, alium motum trochlear rotulis, alium verò ponderi appenso impertitur, ob diversam scilicet eorumdem

po-

posituram : similiter igitur in nostro casu est discurrendum.

Sunt autem in animantibus distinguendi diversæ specie motus : aliqui enim sunt , qui dum animal vivit , jugiter perseverant, tales sunt motus cordis, respirationis , sanguinis , & humorum per venas , & arterias circulariter discurrentium , ut postea patebit. Alii sunt qui non jugiter , sed quandoque ab animanti fiunt, quandoque cessant : tales sunt motus progressivi , motusque peculiares, ut capitis conversio , inclinatio , cæterorumque membrorum hoc illucque diversio , qui dum animal dormit cessare solent : & ipso vigilante, non semper , sed aliquando efficiuntur. Qualiter itaque hujusmodi motus à brutorum anima , sen igne illo vitali , in quo illa præcipue consitit , perpetrentur , est nunc exponendum.

Posito in animantis corpore tali partium plexu , talique fibrarum deuscatione, communicatione , ac struttura , tali similiter osium in articulationibus convenienti positura ; positis inquam , his omnibus , quæ non eodem modo in omnibus animantibus , neque in singulis ejusdem animantis membris existunt , dum ignis ille vitalis abest , aut mente abesse concipitur, nullus in eo omnino excitatur motus : posito verò prædicto igne , cum exquisitissimè mobilis sit , liberaque eidem pateat via per illos corporis meatus , qui ad motus perennes , in quibus vita consistit sunt destinati , statim per ipsos excurrit , humoresque defert , ac per totum corpus motu circulari perducit. Hinc cordis motum incessanter efficit , sanguinisque per arterias , venasque perpetuo ducit , ac reducit. Hoc autem igne recedente , seu hac vite flamma extincta , quiescit sanguis , motusque prædicti cessant , certusque statim ani-

animalis interitus subsequitur. Vides igitur qualiter ignis ille , seu brutorum anima hujusmodi motus , in quibus vita consistit efficiat.

Cæteri autem motus , qui ab animante , non nisi in vigilia posito , exercentur , etiam ab hoc igne procedunt : determinant tamen communiter ad illos efficiendos ab obiectis externis , qui mediis speciebus , aut alio æquivalente , in sensu immisis , fibras movent , hoc que motu , jam hos , jam alios canales recludunt ; quo fit ut ignis ille simul cum spiritibus animalibus , ac vitalibus per eos magno cum impetu ruat , jamque hoc membrum , jam illud ; hoc aut illo modo moveat , vertat , convertat , &c. Hæc tantum in communi dicta sunt , suis enim in locis specialiter exponentur.

PROPOSITIO VIII.

Qualiter à prædicto igne vitali , seu anima brutorum sensations efficiantur , exponitur.

ITa in intimis naturæ recessibus latet modus , quo ab animantibus sensations fiunt , ut post tot Philosophorum labores , vix ac ne vix quidem captiatur. Ut tamen in re tam difficulti quid probabilius occurrat , exponam , aliqua priùs sunt præmittenda.

Supponendum est 1. Omnes operationes animæ sensitivæ dubio procul esse corporeas : cumque , ut scilicet diximus , omnis actio corporea nihil aliud sit , nisi motio localis , certè omnis sensatio quantumvis perfecta , nihil aliud esse putandum est , nisi motio quadam localis , immanens tamen ; cætera enim motiones , quæ immanentes non sunt , gradum vitæ non attingunt.

Supponendum est 2. Animam bruti , seu præcipiam ejus formam , quæ nèmpè est principium quo suarum functionum , si secundum se , & solitarie accipiatur , esse

esse sensationis omnis expertem, & incapacem; cum enim sit ignis, aut aliquid ei affine: ignis autem quemadmodum, & cetera elementa, sint omnino sensus expertia, certe anima bruti secundum se spectata, & solitariè accepta, neque sentit, neque sentire potest. Prout tamen in organis corporis animantis existens ab eisdem modicificatur, animal in esse viventis, & sentientis constituit: animal enim præfata anima donatum, actiones illas elicit, quas sensationes communiter appellamus: elicit autem illas vi illius animæ, non utcumque, sed quatenus ab organoru congrua dispositione modificatur, & ad tales motus determinatur. His suppositis, modum quo ab animantibus, vi animæ prædictæ sensations efficiuntur, expono.

Disposita in corpore animantis integra organorum supellecili, ita ut non modo affectiones sensibiles ab obiectis in sensibus externis recipiantur; sed eas in se dem sensorii interni traducant: disposito similiter hujus interni sensorii organo, ita ut motus illius fibris impressus, in reliquum corpus per nerveas fibras, aliasque subtiles vias derivetur, confestim ac ab obiectis externis sensus aliquis externus, & hoc mediante internus afficitur, ignis ille vitalis aliis spiritibus permixtus, tales motus in illis fibris excitat, ut animal sensationes actu eliciat, easque diversas juxta diversitatem affectionum, quas ab obiectis externis recipit. Vita itaque sensitiva, non in solo illo igne vitali utcumque consistit, verum in ipso prout aliis spiritibus permixto, & in talibus organis ad hunc effectum sensationis apprimè fabrefactis continetur, modificatur, ac ad talem motum determinatur.

In nervis itaque, ac nerveis fibrillis præsertim recipiuntur motiones illæ, quæ ab obiectis externis ad ex-

te-

teriores sensus, oculos scilicet, aures, &c. proveniunt: obiecta enim medio vel lumine, vel tremulo aere, aut aliter sensoria prædicta afficiunt, eorumque nerveas fibrillas movent: tum motus isti, mediis eisdem fibrillis, in sensorium commune transferuntur. Quemadmodum enim si chordam tensam, quacumque in parte si leviter percussis totus funis commovetur: ita similiter si quacumque in parte, nervus aliquis percutitur, aut alio quovis modo afficitur, vibrat, tremit, ac moveretur, illamque motionem mediis fibrillis ad ejusdem traducit originem, ubi nempè sensorii communis organum residet: ut autem postea patebit, & anatomica experimenta testantur, omnium nervorum origo existit in cerebro: ideoque ab illo omnis sensatio dimanat, ipsoque præoccupato, sensatio vel in parte, vel in toto corpore prohibetur, ac cessat: imò & præterea quædam est cerebri pars, ad quam tenuissimæ nervorum propagines protenduntur, quæ quidem sunt quasi tenuissimæ radices, ex quibus nervi procedunt, quo fit ut motiones omnes ab externis sensibus receptæ, ad illam cerebri partem reducantur, diversisque ibidem exerceant motus, & affectiones juxta diversitatem sensuum, à quibus proveniunt: hanc autem partem cerebri verosimile est esse eam, quam *apophyse vermiformem* communiter appellant, ita scilicet dictam, quod vermis figuram referat, vimque habeat se se paululum protrahendi, ae retrahendi: sed de hoc postea.

Præterea intra nervos, ac subtiles nervorum propagines prædictas quamplurimi sunt sinus, & pori, ita ut quasi fistulæ sint interius excavatae, per quas spiritus animales ubertim fluunt, ac refluent, ut scilicet inde in musculos irruentes, eos inficiant, & consequenter contrahant, suaque contractione tendinem illis annexam re-

tra-

trahant, partemque illam corporis, cui alligata est, movent, flectant, versent, &c. juxta ipsius ad hos motus mirabilem dispositionem.

Hinc aperte colligitur, præcipuum animæ sensitivæ sedem in capite esse, ac præsertim in ea cerebri parte, quæ ab Anatomicis *Apophysis vermicularis appellatur*; aut alia, de quo postea: inde enim omnes animalis motus originem trahunt, ac gubernantur. Quod ita est intelligendum, ut ex illis corpusculis igneis, in quibus anima prædicta consistit, quæve per omnes corporis actus sunt diffusa, præcipua portio partem cerebri prædictam occupet, indeque horum spirituum accursu, motus illi perpetrentur, quos sensationes communiter dicimus. Sit exemplum. Statim ac ab illustrato obiecto lumen ad oculum mittitur, eum ferit, & transgresso crystallino, retinam suo motu pulsat, ejusque fibras titillat, nervosque opticos commovet: hæc autem commotio eisdem nervis, eorumque dispersis fibrillis, ad supradictam cerebri partem transmititur, quæ simil est, ut dixi, nervorum omnium origo, ac præcipua animæ sensitiva, seu ignis vitalis sedes: hinc anima hæc, seu spiritus ignei, juxta majorem, aut minorem vehementiam hujus commotionis, ac juxta partem illam per quam ipsis accedit, & ipsis moventur: apertisque his aut illis nervorum tubulis, per eos ruunt in musculos, in quos influunt, eosque distendant, motusque illos efficiunt, quos in animantibus fieri experimur, juxta diversas obiectorum in sensus impressiones. Hinc sèpè totum animal se se moveret, vel accurrendo, aut refugiendo, aliisque similibus motionibus. Hæc nunc in re latissimis dicta sufficiant, quæ ex di-cendis ubiorem lucem sunt acceptura.

PROPOSITIO IX.

Hinc Brutorum animæ corruptibiles sunt.

Patet, nam anima brutorum consistit in quadam aggregato spirituum ignis vitæ flammarum componentibus, & in organis prædictis contentis, ac ibidem modificatis: ergo dissipatis, ac avolantibus spiritibus igneis, perit brutorum anima; non feciis ac flamma candelæ, cum extinguitur, & diruta domo, ejusdem forma deperit. Sed dices; anima brutorum ignis est, ut diximus: sed ignis est incorruptibilis, quemadmodum & alia elementa: ergo brutorum anima est incorruptibilis. Respondeo tamen brutorum animam non ut cumque, & simpliciter esse ignem; sed ex igneis particulis componi, taliter nempe modificatis, tali doni, ac quantitate conjunctis, talique motu per canales corporis organici deductis: unde dissipatis prædictis particulis, ac ab invicem sejunctis, anima bruti destruitur, eodem prorsus modo, quo flamma candelæ, quæ ex particulis igneis coalescit, ipsis dissipatis extinguitur, nemoque sanè mentis dicet flammarum remanere, licet particulae eam componentes per aërem diffatae, adhuc in rerum natura existant: similiter itaque extincta flamma illa vita, seu igne vitali dissipato, quem animam bruti esse diximus, moritur brutum, simulque ejusdem anima interit.

PROPOSITIO X.

Bruta anima carent cognoscitiva.

Ta tenent Auctores prop. 2. adducti, quibus in hac parte accedit P. Honor. Fabri tract. de Homine, lib. 2. prop. 21. & alibi. Prater rationes autem ibi ad id probandum adductas, sequentes adjicio.

Probatur 1. Nam bruta nullam aliam habent operationem, nisi eas tantum, quae sunt motu locali: sed cognitio non sit, nec fieri potest motu aliquo locali, ut suo loco ostendetur: ergo bruta non cognoscunt.

Probatur 2. Nam, ut vidimus, cunctæ operationes
brutorum à solo particularum ignearum, ac spirituum,
corpusculorumque motu provenire possunt: ergo ex
eorum operationibus minimè infertur vis aliqua co-
gnoscitiva: ergo absque fundamento poneretur in bru-
tis virtus ad cognoscendum: ergo non est admitten-
da. In bestiis autem non esse necessariam animam co-
gnoscentem ad eos motus exercendos, qui eorum con-
fervationi, ac nutritioni necessarii sunt, maximè suade-
tur ex variis motibus similibus, ac functionibus, que
anima inscia, in nobis peraguntur: neque enim quic-
que scit, quod in ventriculi officina geritur, & intesti-
nis, quomodo ibi dissolvantur alimenta, indeque distri-
buantur, &c. Similiter in incessu, aliisque plerisque
motibus plura interveniunt, que à sola corporis struc-
tura dependent, que anima omnino ignorat: non
enim novit, quibus muscleis uti oporteat, ut motus illi
perficiantur, neque cum periculum casus imminent, nos-
cit quoque extendere oportet manum, aut pedem, ut
corpus ita supra basim sustentationis locetur, ut in
æquilibrio consistat, & vitetur cassus: si ergo in nobis
anima cognoscitiva præditis, præfati motus absque ani-
ma præviis cognitionibus fiunt: cur ergo in brutis
absque anima cognoscitiva non poterunt elici prædictæ
functiones. Alias rationes hoc idem confirmantes vide
in prop. 2. Ubi etiam argumenta, quibus nostra hac
conclusio impugnatur, manent soluta.

L I B E R III

DE PARTIBUS ANIMALIUM CORPORA COM-
PONENTIBUS.

POST expositam animæ sensitivæ notionem, & quidditatem, agendum nobis est de corporum, prædicta anima vivificatorum partibus. Mirabilis enim hæc animati corporis fabrica, diversis, ac quamplurimis partibus mirifica arte dispositis componi debuit, ut tam varias functiones exequatur, quæ in animalibus observantur. Has itaque brevitate, ac claritate possibili percurremus, ut hinc animalium, & præcipue hominis quoad corpus structura conspiciantur: quæ enim ad anima rationalis naturam, vires, & operationes pertinent, in Metaphysica reali exponemus.

C A P U T I

De partibus corporis animalis in communione

DEFINITIONES.

- i.** *Corpus animale est corpus organicum conve
nienti quarundam partium structura com
positum, idonea scilicet ad facultatum functiones, ab
animali congruerter exercendas.*

- ## 2. Partes corporis animalis sunt illa corpora

quorum convenienti positura, ac nexus consurgit corpus animale, ita congruerter dispositum, ut facultatum functiones ritè possit perficere. Hinc pars non sumitur in praesenti in ea latissima significatione, in qua apud Geometras, à quibus cum Euclide def. 1. lib. 5. definitur: *Magnitudo magnitudinis, minor majoris, quando minor majorem metitur.* Nostra itaque definitio partium corporis animalis convenit ossibus, musculis, arteriis, venis, humoribus, spiritibus, &c. Ex horum enim convenienti positura corpus animalis consurgit.

3. *Particula est pars partis, seu minor majorem complens.* Sic vena est pars, peculiare munus gerens in animalis corpore; exigua verò venæ portio, cum nullum munus per se sola posse obire, non habet rationem partis, prout hęc fuit suprà definita; unde nomine particula donatur.

4. *Partes aliae sunt similares, alię dissimilares.* Pars similaris est illa, cuius particulae quantumvis parvæ, dummodo sensibiles sint, retinent naturam totius, ac ipsius sensibiles qualitates, ex missione elementorum provenientes. Cumque sint inter se, & toti similes, idcirco similares appellantur. Sic si Cartilago v. gr. dividatur in exiles particulas, sensu tamen perceptibiles, in singulis observabuntur color, densitas, &c. Cartilagineis, unde eandem naturam conservabunt. Pars dissimilaris est illa, quæ ex partibus constat, quarum quelibet in se similaris est; respectu tamen aliarum compartium, & totius sunt dissimiles. Sic Musculus pars est dissimilaris, quia componitur ex fibris carneis, membranis, fibris membranosis, & nervosis, ac tendinibus, quæ singulatum acceptæ, similares partes sunt; sed inter se dissimiles.

5. Par-

5. Partes aliae sunt organicae; aliae inorganicae. Pars organica est illa, que per peculiarem, convenientemque partium nexum, alicui corporis functioni exercenda est destinata. Sic Musculus ratione sue artificiose constructionis, ac nexus, quibus sit instrumentum idoneum ad motum animalis, pars est organica. Pars inorganica est illa, ad cujus functiones, conformatio partium ejusdem nihil confert; sed eas per solam particularum elementarium missionem perficit: talis est Pinguedo, quæ codem modo agit, sive expansa sit, sive sub quavis figura disposita.

Dices tamen partes illas, quas inorganicas appellamus, etiam constare ex peculiari nexo, ac textura partium elementarium: ergo etiam erunt organicae. Sed respondeo, in quæstione de sola voce à communi loquendi modo standum esse: consuetudo autem invalidit, ut ea quæ tantum immediate ex compositione peculiari aliorum mistorum coalescent, organica vocentur; illa verò, quæ ex sola missione elementorum, inorganica. Partes animalis ratione consistentiæ optimè ab Hippocrate dividuntur in Continentes, Contentas, & impetum facientes: continentæ sunt solidæ; contentæ sunt humores; & impetum facientes sunt Spiritus.

PROPOSITIO I.

Precipuae corporis animantis partes enumera-
rantur.

Quamplurima sunt in corpore humano, ac ceterorum animalium partes: quales sunt Os, Cartilago, Vinculum, Fibra, Tendo, Membrana, Cutis, Cuticula, Caro, Glandulæ, Parenchymata, Hepatis, & Lienis, pars villosa Ventriculi, & Intestinorum, Pinguedo, Ossium medulla, Substantia alba Ce-

Cerebri, & Spinalis medullæ, Cerebri cortex, humores Oculorum, Ungues, Pilus. Singula nunc breviter percurrentur.

Os est corpus densum, frigidum, siccum, & album. Sunt autem ossa frigida, quia modico sanguine perfunduntur: à sanguine enim animalium membra calorem accipiunt: sunt item dura, ac densa, ut toti corpori consistentiam concilient.

Cartilago valde ossi est affinis, ab ipso tamen discrepat, quatenus minus rigescit, majoremque molliorem, ac flexibilitatem habet. Cartilagine ossium extrema muniantur, ne mutua collisione atterantur: ideoque cartilaginis superficies levis est: quæ etiam non parum confert ad facilitatem motus; ejus enim levor in osium articulis motum expeditiorem reddit.

Vinculum, seu ligamentum est corpus densum, viscidum, flexile, album, frigidum, tractioni secundum longitudinem facile resistens, non agre scissibile in longum, fibris ad latera distractis. In singulis ligamentis fibris validus est particularum textura; fibrae verò inter se coherent, unde facilis est in longum scissio. Hac ligamenti constitutio, ideo sic est à natura constituta, ut ossa inter se firmiter colligaret, motusque facilitas in columis servaretur.

Tendo vix differt à vinculo ubi illius fibrae sunt, veluti in fasciculum collectæ: in hoc autem potissimum ab eo differt, quod Tendinis fibrae modò sunt in corpus densum collectæ, & tunc Tendo nuncupatur; modò verò dispersæ, in ventre scilicet musculi; ubi sua laxitate carnem musculi constituunt, ut ea vestiantur.

Membrana est corpus densum, aliquantulum extensem, album, modo substantiæ parum discrepans à vinculo:

culo: exilem habet crassitatem, ac in longitudinem, & latitudinem expanditur: deservit membrana ad partes aliquas custodiendas, colligendas, & ab aliquibus aliis separandas. Membrana sepè in cartilagine de generat, & cartilago in os mutatur; sunt enim in substantia valde affines, ita ut tantum penes majorem, aut minorem duritatem, ac visciditatem differre videantur.

Fibra dicitur quælibet in animali substantia cum insigni gracie: oblongum enim, & gracile corpus fibra appellatur.

Caro est corpus molle, & laxum, quod sanguinis effusione rubescit.

Nervus est corpus dissimilare cōstans ex membrana, aut membranis ex substantia medullari cerebri progressis. Nervi fibrillæ ambientur pèr meningis productionem; ita ut nervi sint quasi cerebri expansiones, aut cerebrum diffusum per eas corporis partes, quæ sunt motus, aut sensus instrumenta. Hinc singuli nervi instar canaliculi sunt medulla spongiosa repleti, & poris insensibilibus pervia, quibus spiritus defluunt, ut postea patebit.

Cutis pars etiam dissimilans est ex fibris nerveis composita, quibus inseritur alia quædam substantia veluti carneæ. Cutis est organum tactus, ideoque per totum ejus corpus diffunditur, ad arcenda scilicet in commoda, quæ ab ambientibus possunt provenire.

Cuticula est membrana densissima, & tenuissima, pellucida, sensus expers, nullis fibris saltim sensibili ter distincta, sed æquali tenuitate toti cuti extrinsecus obducta, eique firmiter adhaerens. Hac induitur organum tactus, ut ea quasi munimento, lasionem ab obiectis incurrentibus aliquatenus prohibeat.

Glandula est corpus subdurum, parum densum, & communiter album: Glandularū corpus miram habet texturam, de qua suo loco; in glandulis enim varii succi à sanguine non tantum secernuntur, verum & certas mutationes accipiunt.

Hepar est corpus densum, compactum, & glandulosum: & communiter rubescens, de quo suo loco.

Lien substantia constat adeo molli, ut videatur defluxura, nisi membranis, fibris, vasorumque canalisbus contineretur.

Ventriculi, & Intelinorū pars villosa, est corpus glandulosum suæ speciei, molle, album, è villis densissimè contextis, & subiectæ membranæ implantatis compositum.

Pinguedo est corpus oleosum valde molle, ita ut oportuerit, sacculis quibusdam membranaceis includi, & quamplurimis fibris, ne diffundat, fulciri. Frigore concrescit, calore liquatur. Pinguedo in duas species dividitur, in Adipem nempè, & Sevum, quæ in eo differunt, quod adeps etiam refrigeratus mollitatem conservat; Sevum vero duritatem induit.

Medulla ossium est certa pinguedinis species in eorum cavitatibus inclusa.

Substantia alba cerebri, & spinalis medullæ est corpus molle, de quo suo loco plura sunt dicenda.

Ungues mediocritatem habent inter cutem, & ossa, licet magis ad osis duritatem vergant: constant etiam fibris, & quidem inter se parallelis ab unguis radice ad extremum protensis.

Cornua quoad extimam partem unguibus sunt affinia, si ea, quæ in Cervis reperiuntur excipias, quæ ossa sunt, & ex craniī osse nascuntur, & si quæ alia sunt hujusmodi: interius autem corpus osseum inser-

tum habent cornua ex osse craniī deductum.

Pili partes sunt dissimilares: constant enim suo corcie, & medulla, ut patet si pilus transversim sectus Microscopio conficiatur. Hæc breviter dicta sunt, ut partium animantium aliqua notitia habeatur. Nunc autem de præcipuis peculiariter agemus.

C A P U T II.

De Ossibus.

ULT admirabilis animantium fabrica posset confistere, necesse erat, ut ejusdem partes, quæ molles sunt, à duris, ac rigidis sustentarentur, quæ ossa appellamus. Non autem unicum ad id muneric os sufficiebat, sed plura, eaque artificio nexo alligata, ac mito ordine ad invicem conformata, & conjuncta, requirebantur, ut sic animatum compages moveri, versari, inflecti, & extendi diversis modi facile posset: De quibus est in sequentibus propositionibus agendum.

PROPOSITIO II.
Ossium constitutio, & communes eorum affectiones explicantur.

Multa in præsenti propositione comprehenduntur, quæ distinctis numeris exponentur.

1. Ossa ex partibus constant, quæ fibrae fistulosæ sunt, conflatae scilicet ex particulis cavis, ac utrinque pertusis, ita in longum dispositis, ut conjunctione hiaticum subtilissimum tubum efficiant: quemadmodum

dum in plantis fibræ lignose, & corticales: nec mirum quod hanc habeant dispositionem, cum vita etiam vegetativa gaudeant. Hinc materia proxima ossium sunt partes prædictæ; forma verò ossium particularis est dispositio prædicta, nexusque strictus, quo invicem colligantur: materia autem remotior, seu ex qua præfatae partes, quæ sunt materia proxima coalescunt, sunt potissimum alkali volatile, partes item terreæ oleosæ, & aquæ, ut ex analysi distillatoria colligitur.

2. In ossibus tres potissimum partes solidæ considerantur. Prima est corpus oſis, quæ pars ejus durissima est, quæve in medio locari solet. Secunda dicitur Apophysis, idest projectura, seu protuberantia: estque pars oſis protuberans. Tertia est Epiphysis, hæc que propriè non est pars oſis; sed os ſpeciale alteri oſi additum: non enim cum eo continuatatem, ſed ſolum contiguitatem habet; quia verò validè cum oſe cohæret ideo eisdem pars appellatur. Apophysis uſus præcipuus eſt, ut ibidem musculorum tendines, & ligamenta inſerantur. Epiphysis verò in ossibus medulosis eſt inſtar operculi, ne effluat medulla: nec pa- rum ad firmitatem conſert; efficit enim latiorem ba- ſim.

3. Oſſa cinguntur extrinſecūs pellicula quadam, quæ Perioſteum appellatur: intrinſecūs autem illa non in- veſtiuntur: unde nec orbita interior oculi, nec oſſa pa- lati, nec aurium cavitates, nec interna calvarie peri- oſteum habent. Ipo etiam carent dentes, & oſcula ſefamoidea, & illæ oſſum partes, quibus tendines, & ligamenta inſeruntur; & illæ quæ in articulationibꝫ ſe tangunt, mutuoque ſe ſe atterunt, cum animal move- tur. Hæc pellicula ſenſu eſt exquitiſſimo prædita, cum oſſa illo caſeant.

4. Oſſum

4. Oſſum cavitates medulla implet, quæ corpus pingue eſt, ac continetur in ſacculis membranaceis te- nuisimis, ne diffiuat. Conflatur autem ex pinguibus, ac mollifſimis ſanguinis particulis, quæ per idonea fil- tra ſecernuntur. Vasa autem ſanguinea, quæ medullæ nutrimentum devehunt, per exiliſſimos oſſum poros traducuntur.

5. Oſſa mutuò mirifica arte connectuntur. Mutua autem, & artificiosa omnium oſſum coherentia Græ- cè ſkeleton appellatur. Dupliciter oſſa invicem conne- ctuntur, vel proportionate ad motum, & connexio- nem cum ipſo; vel per ordinem ad quietem, ſeu ſine motu manifesto: prior Diarthroſis appellatur; ſecunda verò Synarthroſis. Diarthroſis itaque eſt aptiſſima articulatio ad inflexionem in quacumque partes, ut patet in articulatione oſis femoris cum Iſchio, qua oſ femoris ad quamlibet partem in orbem fleſtitur, quam articulationem communiter imitantur artifices, cum Quadrantes circuli, aliaque ſimilia instrumenta, ut ad omnem partem verti, fleſtique poſſint, ita diſpo- nunt, ut manubrium globum quemdam æneum fe- cumferat, qui includitur plus quam media ſui parte in cavitate quadrantis, aut alio ex prædictis instrumen- tis affixa, quo fit ut liberè poſſit in quacumque par- tem veſſari. Ad Enarthroſin etiam reducitur ea articulatio, quæ Ginglymus nominatur, qua oſſa illa copulari dicuntur, quorum unum habet in ſua extremitate duos processus, protuberantias, ſeu projecturas, & unam cavitatem; alterum verò duas cavitates, quæ duos prædicti oſſis processus excipiunt: & inſuper unum processum, qui eisdem cavitate recipi- tur. Ex qua ſtructura patet, vi iſtius articulationis, oſſum inflexionem in duas tantum partes poſſe exerceri; mi-

nimè verò in orbem. Articulatio ossium, Sinarthrosis appellatur, respicitque quietem, tres continet species, nempe *Suturam*, *Harmoniam*, & *Gomphosim*. *Sutura* connectunt ossa, quæ denta sunt, ac mutua dentium, ac arearum insertione, sutura speciem referunt in illa articulatione; ut patet in ossibus Crani, quæ sutura junguntur. *Harmonia* est ea ossium conjunctio, qua eorum junctura simplicis linea speciem refert, ut patet in coniunctione ossium maxillæ superioris. *Gomphosis* est cum os alteri ossi instar clavi infigitur, quomodo dentes cum ossibus maxillarum connectuntur. Alias connexionum species minus præcipuas pretermittimus.

Ossium numerus non idem est in puer, & in senectute: aliqua enim quæ in puer distincta erant, dum sensim exsiccantur, in unum coalescunt. Numerus ossium communiter esse dicitur 304. alii enumerant 365. tot scilicet, quot Anni communis dies.

PROPOSITIO III.

Ossa capitis, ac Crani structura explicatur.

Corpus humanum communiter in tres præcipuas partes dividitur, nempe in caput, truncum, & artus: quarum partium ossatura singulatim est exponaenda. Caput itaque est corpus illud quasi globosum, quod cervici incumbit: compages autem ossium capitis dicitur *Cranius*, cuius figura non est perfectè sphærica; sed in anteriora, & posteriora aliquantulum protuberat: ad latera sphæram compressam refert, ac in parte posteriori magis latum est cranium, quam in anteriori: reliquæ cranii figure, quæ ab ista discrepant, vitiōse putantur.

Cranium non unico osse, sed pluribus conflatum

est

est, quodlibet autem ex illis duplice lamina coalescit: interior scilicet tenuiori, & densiori: & exteriore crassiore, ac rariore, inter quas substantia ossea spongiosa interjicitur, cuius exilissima cavernulae cruenta medulla sunt repleta. Hæc crani ossa sunt inter se futuris connexa, ut si forte aliquod ex illis magna percussione vi frangatur, cætera maneat illæsa. Ossa Crani octo sunt, sex propria, & duo communia. Propria sunt os frontis, os occipitis, duo ossa syncipitis, & duo ossa temporum: communia vero sunt os cuneiforme, & cribrosum, quæ ideo dicuntur communia, quia ad cranium, & ad superioremaxillam pertinent.

Facies in duas partes dividitur, videlicet in maxillam superiorem, & inferiorem. Superior continet partes inferiores, & laterales orbitæ oculi; tum & nares, palatum, ac dentum ordinem superiorem. Hæc superior Maxilla tegitur exterius lamina densa, sub qua latet substantia quedam cavernosa: componitur ex ossibus duodecim, utrinque scilicet sex. Maxilla inferior constat in adultis unico osse; in pueris duobus, aut quatuor. Os istud refert figuram litteræ V: ac ejus substantia exterior est densa, & dura; interior vero cavernosa, ac succo medulloso plena.

Utraque maxilla, superior nempe & inferior, alveolis ad dentes excipiendos excavata est. Alveolorum autem sicut & dentium non idem est in omnibus numeris; qualibet ut plurimum dentes habet sexdecim: nempe anterius dentes quatuor, qui incisoris dicuntur: his sequuntur canini, utrinque unus: deinde dentes molares, utrinque quatuor, aut quinque: postquam autem unus excidit, nisi alius renascatur, alveolus quo, continebatur, ita coalescit, ut nullus il-

lius

lius appareat vestigium , & adeo induratur , ut ad cibos frangendos dentis munere fungi possit. Dentium radix investitur pellicula tenui exquisiti sensus , & acuti.

Quæritur nunc causa , qua prioribus dentibus , vel sponte decidentibus , aut è suis alveolis violenter extractis , novi dentes generentur. Respondeo id verosimilius videri , quod nempe cum corpus primò effingitur , in quolibet alveolo duorum dentium rudimenta efformentur , quorum primum , cum adoleverit , sumمامque duritiem fuerit adeptum , totum alimentum cedat in secundi rudimenti nutritionem , & accretionem , redditio jam priori quasi inutili ad illud recipiendum ; vasa enim illud deferentia siccitate ocluduntur , hinc secundus priori succedit : imo aliquoties accidit , ut primo non excluso , neque sponte cadente , dens alter nihilominus sua capiat incrementa , caputque suum foras exerat , duoque dentes apparet , ubi unus tantum esse deberet.

PROPOSITIO IV.

Ossa Trunci expenduntur.

Pracipua Trunci pars est spina , cui veluti basi , ut in navibus carinæ , præcipua totius sceleti partes iunituntur. Spina , ut in varias partes commodè fleeti , ac contorqueri posset , ac capitis , & artuum motibus interfiri , ex pluribus ossibus , qui *Spondili* , ac *Vertebrae* vocantur coalescit. Singula autem vertebra ita sunt in medio perforatæ , ut ex omnium coniunctione fistula , seu canalis emergat , in qua medulla spinalis à crebro descendens , continetur. Vertebrae numero sunt viginti quatuor : septem scilicet colli ; duodecim dorsi ; & quinque lumborum , quarum ultimæ subne-

cti.

ditur os sacrum , ex quo os coxigis pendet : aliquando collum octo continet , & dorsum unam minus habet : illi autem quibus cervix , aucto vertebrarum numero , longior est , & consequenter thorax brevior , sunt Pthisi obnoxii , propter pulmonum compressionem in angustiore cavitate.

Ad spinæs vertebras sequitur os sacrum robore , ac magnitudine commendabile , quod basis instar vertebrarum compagem sustentat : constatque quinque , aut sex ossibus , ita firmiter media cartilagine unitis , ut in articulatione inflecti nullatenus possint. In hoc osse varia sunt foramina , per quæ trajiciuntur nervi ; ipsum verò cum ossibus ilium copulatur.

Os Coccigis ultimæ parti osis sacri copulatur: constatque ex tribus , aut quatuor ossibus cartilagine unitis ; antrosum icurvatur ad fissionis commoditatem. Ejus usus est ut intestinum rectum contineat.

Ossa innominata duo ossi sacro uniuntur , hinc unum , & inde aliud : quorum quodlibet ex tribus ossibus constat , intermedia cartilagine fortissimè unitis. Primù os est *Ilium* , ita appellatū , quia Ilium intestinū continet , etque superior , ac latissima pars ossis innominati. Secundum vocatur *Ischium* , aut os coxendicis , quod valde firmum est , & crassum : in hoc osse est ampla , & profunda cavitas , quæ *Acetabulum* vocatur , in qua os femoris caput globosum recipitur , ac duplice cum eo ligamento firmatur. Tertium est os pubis : habet hoc os foramen ovale occlusum membrana tendinosa. Hæc tria ossa simul juncta utrimque componunt illam cavitatem , quam *Pelvis* appellant , quæ Hypogaltrii partes continent.

Circa dorsi vertebras sequentes reperiuntur partes: Costæ , os sternum , & clavicula , quarum cum vertebris

bris posuit Thoracis cavitas determinatur. Dorso infra super imposita sunt scapulae. Costae in quolibet latere duodecim sunt, vertebris connexae; raro enim, quemadmodum & vertebre plures sunt, aut pauciores: sunt autem costae ossa curva; altero extremitate bina cum singulis vertebris connectuntur, una ex uno latere, altera ex alio: altero autem extremitate ad anteriora vergunt, & ossi sterno cartilagine uniantur. Costarum substantia intrinsecus est fungosa, quo sit ut si fractionem fuerint passae, faciliter reuniantur. Septem costae superiores appellantur verae; quinque vero inferiores dicuntur false, ac mendosae, quod scilicet minus inflectantur, quam septem praedictae.

Os Sternum sic appellatur, quod anteriori pectoris parti sternatur: ejus substantia partim ossa est; fungosa tamen, & rubens; partim vero cartilaginea: connectitur cum processibus costarum verarum. Hoc os licet in senibus unicum appareat, ob indurationem cartilaginis inter ejus partes intercepta; in junioribus autem octo ossibus constat; in adultioribus autem, tribus: ex his quod infimum est, in cartilaginem trigonam definit, ideoque ensiformis appellatur. Cavitas, qua in regione hujus cartilaginis cernitur, Cardia vocatur; propter eximum sensum, & ingentem cum corde sympathiam: cor enim Gracis Cardias appellatur. Usus sterni est costas veras anterius connectere, Mediastrum continere, partesque in thorace contentas munire.

Claviculae sunt duo ossa spongiosa oblonga, ita tamen inflexa, ut S aliquatenus referant: in summitate pectoris sunt collocata, utrumque unum; connectuntque scapulas cum sterno.

Scapula est os tenuis, latum, & aliquatenus trian-

gu-

gulare: extrinsecus quidem convexum; intrinsecus vero parvam habet cavitatem. Scapulae duæ sunt, utrumque scilicet una: sunt autem sitæ inter primam, & quintam vertebram dorsi: deserviunt autem ad communam humeri articulationem.

PROPOSITIO V.

Ossa artuum, seu manuum, & pedum exposuntur.

Totum quod à scapula ad digitorum extrema protrahitur, Manus appellatur. Hinc ossa manus dividuntur in Brachium, seu humerum, Cubitum, & extremam manum. Os brachii, seu humeri unicum est, magnum, validum, teres, & inæquale, in superiori parte caput magnum, & rotundum habet, cartilagine obductum, quo cum scapula per diarthrosin copulatur. In hujus capitatis anteriori parte excavata est scissura, qua veluti trochlea musculi bicipitis tendo traducitur.

Cubiti nomine intelligitur, quod ab extremitate praedicti ossis ad usque manum protrahitur. Cubitus autem duobus ossibus constat, humero, seu brachio breviora, sibi mutuo incumbentia, atque ligamento membranaceo sibi invicem commissa. Horum primum inferius, & longius est, diciturque ulna, cubitus, foci-
le majus: alterum superius, & brevius, dicitur Ra-
dius, & Focile minus. Hæc duo ossa in medio ab in-
vicem distante, propter inflectionem radii ad exteriora.
Os cubiti manum versus sensim gracilescit, ac in ro-
tundam extremitatem abit, cui adnascentur processus Styloides dictus, qui per ligamenta cum ossibus Carpì connectitur. Radius parte superiore, qua gracilior est, in caput rotundum definit, cavitatem habens,

Comp. Phil. Tom. V.

D

qua-

quæ circa humeri protuberantiam circumagit. In alia autem extremitate, quæ crassior est, cavitatem habet, quæ ossa Carpi excipit.

Manus sic specialiter dicta, dividitur in tres partes, nempe *Carpum*, *Metacarpum*, & *Digitos*. *Carpus* octo ossibus constat, quorum tria sup eriora simul unum caput efformant, quod radii cavitate excipit. His annexatur quatuor alia; & octavum positum est extra ordinem ad exteriora: omnia autem hæc ossa ita valide ligamentis necuntur, ut unicum os esse videantur. *Metacarpum* quatuor continet ossa gracilia, intus cava, medulae plena: in medio tenuiora, & ab invicem sejuncta, ut musculis interosseis locum præstent. Hæc ossa cum ultimis *Carpi* ossibus articulatione junguntur, in oppositis partibus connectuntur cum quatuor primis digitorum ossibus: habent singula in altero extremo appendicem cavam, qua ossa carpi excipiunt; in altera protuberantem, qua ab ossibus digitorum excipiuntur.

Digitorum ossa quindecim sunt, tria scilicet in quolibet dito: foris sunt gibba, intus plana. Ossa primi ordinis, seu phalangis, cum ossibus carpi Anthrodia connectuntur. Omnia autem ossa singulorum digitorum inter se per *Ginglynum* articulantur.

Pes dividitur in tres partes, quæ sunt *Femur*, *Tibia*, & *Pes extremus*, ita simpliciter dictus. Os Femoris unicum est, & in corpore humano crassissimum, & longissimum, teres, anteriùs, & interiùs gibbum; interiùs verò, & posteriùs simum, & sinuatum; sic enim in Homine oportebat esse ad flexionem, & incessum: E parte ejus superiori quidam processus emergit parum inclinatus, qui *Cervix* appellatur, cui accedit magnum, ac rotundum caput cartilagine obdu-

Etiam,

ctum, quod coxendicis acetabulo excipit, in eoque validis ligamentis detinetur. Præterea os Femoris inferius habet duo magna capita lœvi cartilagine obducta, quæ excipiuntur duabus ossium tibiae cavitatibus: inter hæc etiam capita appetat anteriùs parva cava, cui rotula apponitur, & posteriùs altera major, per quam vasa sanguinea cum quarto nervo paris vagi ad tibiam propagatur. *Rotula* autem, quæ etiam *Mola*, Patella, & os scutiforme appellatur, est os figura umbonis circularis in medio prominentis; lœvi cartilagine obducitur. Super hoc os, veluti super trochleam, tendines extensorum muscularum traducuntur ad tibiæ.

Tibia, seu *Crus* duobus ossibus coalescit: aliud interiùs, & majus, *Tibia* nomen retinet, ac etiam Focile majus appellatur: in parte autem anteriore acuminatus est secundum longitudinem, quæ protensio *Spina communiter* dicitur, duobusque sinibus, parte superiore, parum profundis, duo Femoris capita excipit; parte autem inferiore duobus item sinibus *Talum* excipit. Alterum os *Tibiæ*, seu Focile minus, *Tibiae* extrinsecus adjacet, ejusque longitudinem æquat: est tamen multo tenuius, ac debilius primo. Hæc autem duo ossa in medio locum relinquunt muscularis pedem moventibus.

Pes extremus, simpliciter, & absolutè *Pes* appellatus, dividitur in *Pedium*, *Metapodium*, & *Digitos*. *Pedium* constat septem ossibus; primum dicitur *Astragalos* Græcè, & *Talus* Latinè. Secundum *Calcanum*. Tertium *Naviculare*. Quartum *Cuboïdes*: Reliqua communi nomine *Caleoidea* appellantur, ac cu-neiformia. *Metapodium* ex quinque ossibus constat validis, ac fistulosis, in medio ab invicem sejunctis,

& extremis utrinque connexis. Digitorum ossa sunt quatuordecim, quia Pollex habet duo tantum. Ossa *Sesamoidea* sunt quadam ossicula parva, rotunda, aliquantulum depressa, ligamentis implicita ad articulos digitorum tum manus, tum pedis firmando, tendinibus muscularum subiecta. Reliqua, quæ ad ossa spectant videri possunt in Thoma Bartholino, aliisque Anatomicis Auctoriis.

CAPUT III.

De Musculis.

VIDIMUS jam in Hominis sceleto mirabilem osium structuram, talemque osium ad ossa coherentiam, ut facile pateat ita esse disposita, ut diversis, quamplurimisque motibus exequendis sint proportionata; ut tamen hæc fabrica moveri posset, congruis egebat instrumentis, quibus vis motrix applicata, illam moveret. Hæc autem instrumenta immediata esse musculos, nemo ambigit: ipsorum enim contractionibus, ac relaxationibus, omnes animalium motus dubio procul perpetrantur. Muscularum itaque structura erit primò accuratè expendenda: hac enim rectè recepta, ingens muscularum vis, si mulque animantis motiones, quæ ipsorum ope peraguntur, facilius percipientur.



PROPOSITIO VI.

Muscularum structura explicatur.

Musculus, qui & *Lacertus* appellatur, est pars organica, que motus voluntarii est instrumentum. Partes Musculum constituentes sunt, *Caro*, *Tendo*, *Membrana*, *Fibræ membranaceæ*, *Nervus*, *Arteriæ*, & *Vene*. Caro ita propriè musculo inest, ut ipsi soli, & semper conveniat, in fibrarū siquidem carnearū contractione cōsistit omnis actio musculi; & in earū relaxatione cessatio. Tendo convenit quidē soli musculo; non est tamen certum convenire omni musculo, aut semper. Nervi non solum muscularis, sed organis etiam sensuum sunt communes: Membranæ autem, & fibræ membranose, variis aliis partibus insunt, quemadmodum & Arteriæ, & Venæ.

Inter partes prædictas, Fibrae carneæ sunt musculo essentiales; earum enim contractione agit musculus: tum & nervus, per quam agendi vis à cerebro deducitur: tum & membranæ, ac membranose fibræ, quibus vis illa in fibras carneas distribui videtur. Quilibet musculus, si annulares excipiatur, habet saltim duos tendines. Crassior autem musculi pars Venter appellatur: aliquando musculus plures ventres habet, seu plures moles, fibris carneis compactas, & in his consequenter plures adsumt tendines. Quoniam vero musculi structura, ejusque actio, seu modus agendi facile in simplici musculo, unum ventrem habente, intelligitur, idcirco musculi fabrica in simplici musculo exponeatur.

Advertendum autem est, tum tendines, tum carnes in fibras resolvi; ac præterea tendinum fibras cum fibris carneis continuari, ita ut qualibet unius tendinis fi-

fibra secundum ipsius longitudinem protendatur per carnem, ad usque extreum tendinis oppositæ. Hinc quilibet ex his fibris prædicto modo in longitudinem continuatis, tribus partibus constat, quarum media, fibra carnea est, duæ autem extremæ tendinosæ: differunt autem inter se substantiæ modo, crastis, colore, ac situ: nam fibræ tendinosæ graciles sunt, & dense; carneæ verò crassa, & laxæ: quapropter musculi caro, seu venter crassior est, quam tendo, licet in utroque fibrarum numerus sit æqualis.

Ut autem musculi simplicis fabrica perspicuè concipiatur, & explicetur, tum & musculi actio, ac modus agendi pateat, inspice figurā 2. in qua exhibetur sectio musculi bifariam divisi plano fibris parallelo; partes autem albae designant fibras; lineæ verò nigre, fibrarum distinctionem. Hoc posito, partes AE, & CB repræsentant tendines; pars verò intermedia CE, ventrem seu carnem musculi. Ubi pater 1. Tendinum fibras in AE, & CB esse graciliores; in ventre verò CE esse crassiores. 2. Patet qualiter tendendo à puncto D versus C, aut à G versus E fibræ tendinosæ sensim ab invicem separantur, & mutentur in carneas; simulque tendo eo fibrarum secessu sensim acuminetur in C, & E. 3. Perspicitur quomodo fibræ carneæ in sectionis plano parallelogrammum rhomboïdem CE constituant: hæc & alia in musculi sectione recte facta aperte conspicuntur.

Quæres tamen qualis sit fibrarum musculos componentium interior structura. Respondeo eas esse fistulas, quemadmodum, & osium fibras, & ea cavitate excipi sanguinem, aut saltē ipsius sanguinis partem nutritiam: venæ tamen & arteriæ in ventrem musculi inseruntur, ibique ramificantur in exilissimas fibrillas,

quo

quo fit ut musculi venter rubro sanguinis colore magis tingatur.

PROPOSITIO VII.

Musclorum actiones recensentur.

Musculos esse immediata motuum animalis instrumenta, est manifestum: nulla enim pars animalis movetur, cui immediatè, aut saltim mediataè musculus non insit: ab his autem earum motum pendere inde colligitur, quod scilicet omnis earumdem motus prohibeat, si earum musculi resecetur, aut prohibeantur eorum actiones. Certum etiam est ad animalium motus necessarios esse nervos, ac quandam è cerebro influxum: si enim nervus aut resecetur, aut ligetur, aut obstruatur, aut alio quovis modo à cerebro, aut spinali medulla separetur, musculus ille, in quem inseritur, omni actione destitutus. Ut autem facilius inquire possit, qua vi musculus moveatur, & artus corporis, quibus adjacet, moveat, valde consentaneum est ea quæ in ipso quando agit observantur, recensere.

Igitur in musculo quando agit evidenter conspicitur ejus contractio, seu decuratio secundum longitudinem fibrarum, ac quedam ventris intumescencia, cù majori duritie: ubi id advertendum est, in hac scilicet musculi contractione, tendinum longitudinem nullatenus minui; sole enim carnium fibræ breviores evadunt, & crassiores, unde major oritur ventris tumor: imo si harum fibrarum aliqua à vicinis separetur, etiam ea cum reliquis in prædicta actione musculi contrahitur: hac autem musclorum contractione, ac decurratione, animalium membra moveri, certo certius appareat, ut infra exponemus. Prius tamen inquirenda est causa est

cau-

causa prædictæ contractionis, ac decurrationis.

PROPOSITIO VIII.

Causa à qua muscularum decuratio efficitur assignatur.

EX his, quæ nuperimè diximus clarissimè patet, omnes motiones, quæ à musculis fiunt, ab eorumdem ventris intumescentia, ac motione dependere: hanc insuper provenire ex eo quod fibræ carneæ breviores, & crassiores, similique duriores, in prædicta intumescentia, ac musculi decurratione evadunt. Quaritur autem nunc undenam præfatis fibris proveniat breviores, crassioresque reddi. Relicta aliquarum sententiarum impugnatione.

Affero 1. Fibrarum carnearum in musculis contractionem effici cuiusdam liquidi influxu in meatus, & cavitates quasdam fibrarum carnearum, eo penè modo, quo affuso in funes humor, ipsæ secundum latera dilatantur, & secundum longitudinem decurtantur, quatenus scilicet affusus humor, fibrarum interstitia subingrediens, eas invicem separat, ac distrahit. Hæc autem sententia satis communis est; & inde colligitur, quod scilicet non est alia causa assignabilis à qua præfatus effectus provenire possit. Tum etiam quia contractio illa fibrarum carnearum provenire debet, vel à corpore aliquo ambiente, easque comprimente, vel à corpore intra ipsas ingresso: noui primum, quia si aliquod corpus ambiens id efficeret, foret aliquod liquidum eisdem circumfusum, & intra membranā musculi propriam comprehensum: sed id esse nequit: ergo, &c. Min. prob. Nam liquidum illud, magis comprimeret fibras secundum crassitatem, quam secundum longitudinem: & consequenter eas non efficeret breviores:

imo

LIBER III. CAPUT III.

imo nullatenus cas secundum longitudinem compri-
meret: sunt enim earum extrema oīsibus affixa: ergo
nulla potest ab ambiente aliquo corpore induci in
musculis secundum longitudinem decurtatio, nec tu-
mor secundum crassitatem: necessè igitur est hunc effe-
ctum provenire ab influxu alicujus liquidi subtilis in
meatus prædictarum fibrarum.

Duobus autem modis intumescentia ventris muscu-
li, & ejusdem longitudinis decurtatio fieri potest à ma-
teria fluida supradicta. 1. Si ita in musculi ventrem
per nervos influat, ut fibrarum interstitia occupet,
sicque sequatur quædam fibrarum ab invicem separa-
tio; & consequenter ventris musculi tumor. 2. Si præ-
dicta materia liquida influat in ipsam fibrarum car-
nearum substantiam: hoc enim posito, necessario se-
quuntur fibras musculi carneas crassiores fieri, eaque de
causa contrahi musculi longitudinem, ejusdemque
crassitatem aliquantulum augeri cum apparente majori
duritie. Si enim materia illa humida recipiatur intra
exiliora fibrarum interstitia, necessè est, ut fibris acci-
dat, quod funibus accident, cum eas interiori affusus
humor penetrat, experientia enim teste, crassiores
redduntur, & breviores. Ex eo enim quod prædictæ
fibræ breviores fiant, necessè est longitudinem musculi
contrahi, etiam si servetur illatum pristinus inter ipsas
situs: nequeant enim illæ fibræ fieri breviores, quin
tendines, quibus adnectuntur, viciniores fiant, &
consequenter earundem extremitates proximiūs ac-
cedant.

Hunc autem secundum modum primo esse præse-
rendum existimo. 1. Quia si musculus contrahatur hoc
materiæ liquidæ, seu spirituum in fibras carneas influ-
xi, minor prædictæ materiæ quantitas requiritur ad
actio-

actionem musculi : ergo , &c. 2. Quia si primò modo fieret musculi intumescētia , plus deberet intumesce- re , quam quod experientia testatur , parum enim tu- met : juxta secundum autem modum , cum fibræ bre- viores evadant , musculi tumor est parum sensibilis: quoties enim fibræ carneæ contrahuntur , vasa sanguineæ per musculi ventrem diffusa comprimuntur , quo fit , ut sanguis , qui ex arteriis affluit , repellatur ; qui verò affluit in venas , expellatur , unde provenit musculum potius indurescere , quam molis incremen- tum accipere , cum contrahitur.

PROPOSITIO IX.

Causa qua muscularum decurtatio fiat, ulterius ib determinatur.

D Uplex est in hac re Philosophorum sententia: ali- qui enim cum Uvillio contendunt , materiam cuius influxu muscularum fibra crassiores fiunt , & breviores , esse fermentativam : alii verò hunc effectum solis spiritibus animalibus carneas fibras subeuntibus , tribuunt ; haecque sententia est satis communis , quam sequitur Franc. Bayle *Phys. gen. disp. 7. art. 2. prop. 9. tum in Tract. de Corpore Anim. lib. 1. disp. 2. art. 1. & 2.* Huic sententia tamquam probabiliori adhæreo. Assero itaque solis spiritibus animalibus muscularum motiones , & phænomena perpetrari.

Probatur 1. Quia muscularum secundum latitudi- nem tumor , ac secundum longitudinem decurtatio, solo influxu spirituum animalium in fibras carneas musculi ventrem componentes , rectè explicatur , & intelligitur , seclusa omni alia materia fermentativa: ergo solis spiritibus animalibus perpetratur. Anteced. patebit propos. sequenti.

Pro-

LIBER III. CAPUT III.

Probatur 2. Quia nulla alia materia ad prædictas muscularum actiones efficiendas aptior est , quam spi- ritus animales ; ipsi enim ob eximiam subtilitatem , subtilissimos nervorum poros , seu ductus pervadere valent , ac in fibras carneas ingredi ; simulque pro summa qua fluant perniciitate , citissimè muscularum fibras implere , valideque distendere , validosque motus efficiere possunt : ergo ipsi soli ad prædicta phæno- mena sufficiunt.

Probatur 3. Nam spiritus animales omnes illas do- tes habent , quæ necessariae sunt , ut eorum influxu , musculari contrahantur , aliasque actiones efficiant : ergo , &c. Anteced. prob. quia spirituum animalium ma- teria dum in exilissimis cerebri glandulis percolatur , à particulis quibuslibet alienis , & crassis , ita depuratur , ut ejus particulae subtilissimæ reddantur , ac facile mo- biles , ita ut per subtilissimos nervorum ductus summa celeritate fluant , possintque quasi instantaneè fibrarum carnearum musculos componentium cavitates implere , distendere , ac cetera quæ supra dicta sunt præstare. Hinc fit , ut quamdiu spiritus animales sunt puri , ac in sua sinceritate constituti , motus animales regulares sint , placideque perficiantur ; quamdiu ve- rò aliquid heterogeneum , & fermentabile , aut acre ipsis fuerit permixtum , motus fiunt perturbatè , ac tu- multuosè , ut manifeste pater in motibus convulsivis. Hinc aliqua phænomena in hujus tractatus decursu ex- ponentur.

Probatur 4. Nam materia fermentativa , quam Uvilisius , aliique ad hos effectus requirunt , omnino inepta esse videtur ad animalium motus perpetrandos: ad hos enim requiritur motus muscularum esse admodum regulares , eosque incipere , durare , ac cessare

jux-

juxta imperium voluntatis in Homine , aut juxta determinationem à cerebro acceptam , aut alio quovis modo in Brutis : sed hoc fieri nequit , si causa motionis muscularum sit materia aliqua fermentativa , aut explosiva : ergo , &c. Minor. prob. difficile enim admodum est , hujusmodi materiam tali mensura in fibras carneas infundi , ut talem motum , nec majorem , nec minorem efficiat ; præcipue cum illa materia nequeat eandem constitutionem multo tempore servare , sed continuas vicissitudines patiatur , quibus modò majoris , modò minoris ; modò celerioris , modò tardioris motus est capax , ut alia taceā , quæ vix hac substantia fermentativa possunt intelligi : est igitur ad has motiones explicandas omnino inepta. Sed jam rationes dissolvamus , quibus eam Adversarii conantur defendere.

Objicies 1. Impossibile est solo spirituum animalium influxu , muscularum fibras tam valide contrahi , tamque vehementes motus excitare : ergo necesse est ipsis muscularis inesse materiam quandam fermentativam , aut explosivam , quæ subita rarefactione plurimum expandatur. Anteced. prob. Non enim intelligibile esse videtur , quomodo à cerebro tenero , & molli possint prædicti spiritus ita potenter impelli , ut tam celeres , potentes , ac instantaneos motus in muscularis , partibusque eisdem unitis efficere valeant. Alia ergo materia ad id muneric est advocanda : sed nulla est magis idonea , quam fermentativa : ergo , &c. Minor prob. Materia enim fermentativa subito se expandit , prout nempè requiritur in motibus celerioribus ; potentissimè etiam se se explicat , ut requiritur in motibus validioribus : ergo ipsa est magis ad hos effectus idonea. Minor patet : experientia enim testatur , in re-

bus explosivis , ut in pulvere pyro subitas , ac validas fieri expansiones ; ex mitione scilicet materierum fermentabilium. Respondeo tamen totum hoc præstari posse ab influxu solo spirituum animalium , quatenus majori vi , aut copiosius ad muscularum fibras deve-huntur , ut statim patebit.

Objicies 2. In muscularis resectis , variis motus contractionis , ac relaxationis observantur , suntque valde anomali : sed hoc absque materia aliqua fermentativa explicari nequit ; ipsa verò posita , rectè exponuntur : ergo necessario erit ad id munus accersenda. Minor prob. nam soli spiritus hos motus efficere non possunt : statim enim , resecto musculo sufflaminarentur ; si verò materia fermentativa permisceantur , poterunt ibidem persistere , motusque illos præstare , anomalos quidem , & irregulares , quia ulteriori à cerebro influxu , ac determinatione non reguntur. Dicendum ergo videtur materiam fermentativam in fibris carneis hospitari : concitari autem in motum expansionis accessu spirituum animalium à cerebro immisorum. Respondeo tamen negans minorem. Ad ejus probationem respondeo , in resecto musculo non statim spiritus sufflaminari ; sed aliquo tempore ibidem hospitari , moverique motu anomalo , & irregulari , quia ab aliis à cerebro noviter accendentibus in pristino motu conservari deberent : cumque in casu proposito novi accedere nequeant , perturbatim centur. Imo hinc nostram sententiam confirmare possumus : si enim materia fermentativa opera , talis motus in casu proposito perpetraretur ; cur non etiam præfatos motus experiremur in animalium muscularis , cefante novo spirituum ad eos affluxu , aut in aliam partem directo : sed experientia testatur , ad voluntatis nutum cessare : non er-

go p̄fatus motus materiæ illi fermentativæ est tr̄buendus; sed tantum spiritibus animalibus, hinc enim recte intelligitur cur cessante motione à cerebro profeta, musculorum etiam motus pariter cesseret. Nunc tandem exponendum est, quomodo contractio, tumque muscularum à p̄dicto spirituum influxu perpetetur. Ad quod aliqua præmittere oportet ex his, quæ in Machinaria asseruimus circa augmentum potentiaæ machinis applicata.

PROPOSITIO X.

Quodvis pondus ex duplice fune suspensum, facilius attollitur à potentia funes horizontaliter distractibentibus, quam si perpendiculariter ipsum elevarent.

Sit in fig. 1. pondus G duplice fune ex clavo F suspensum: duæ autem potentiaæ H, & h chordas trahant per horizontales OH, Oh. Dico multò facilius mouere pondus G per dictas horizontales, quam si eadem potentiaæ ipsum attollerent nisu factō per perpendicularē IF. Ratio petitur ex Machinaria: quoties enim major est motus potentiaæ, quam ponderis, minor virtus in potentia requiritur ad illud movendum: sed in casu proposito major est motus potentiarum, quam ponderis; interim enim ac ipsæ moventur per lineam Hh, pondus parum admodum ascendet per IF: ergo in hac potentiarum dispositione, facilius elevatur pondus, quam si perpendiculariter ab ipsis potentiaæ elevaretur. Videatur Joann. Alphonſus Borrellus *part. I. de Motu animalium*, prop. 94. ubi latè rationem virium potentiarum cum ponderis resistentia doctissimè inquirit.

Sit jam in fig. 3. pondus G ex quadruplici fune sus-

pen-

pensum: certè si p̄dicto modo à quatuor potentiaæ horizontaliter h̄i funes trahantur, multò facilius pondus G attollent: & consequenter, quo plures fuerint funes pondus sustinentes, pluresque potentiaæ p̄fato modo funes distrahentes, eo facilius pondus G in sublimè agent.

PROPOSITIO XI.

Hinc machina simplex assignatur, qua unica solū oris insufflatione pondus sublevatur 36. librarum.

Vesica quædam bovina, aut suilla ita aptetur, (fig. 4.) ut ejusdem orificio M canaliculus OM firmiter aptetur cum valvula coriacea, ita disposita, ut introrsum aperiatur, aditumque aëri insufflatione adacta p̄beat; claudat verò extorsum, ut eidem aëri exitum prohibeat: aptetur jam firmiter canaliculus trabi AB; tum & uncino P appensum sit pondus R, quod solo incumbat: tum aër insufflatione sèpius repetita per orificium O intra vesicam adigatur, donec ipsa aëre plena, ac distenta maneat: hoc itaque facto, si vel unica oris insufflatio addatur, vesica latera distenduntur, quo vesica decurbitur, hacque decurta tione pondus R sursum attollet. Sic in Collegio curioso Magdeburgensi, experimento compertum fuit, unica insufflatione levari pondus 36. librarum. Ratio autem colligitur ex dictis præced. prop. Vesica enim quasi innumerabilium penè fibrarum aggregatum est, ex canaliculo O usque ad punctum P protensarum, unde pondus appensum est: cum itaque aër per canaliculū intromittitor, & omnes vesicæ fibras horizontali nisu distrahit, facilimè p̄fatum pondus elevare poterit, facta nempe vesicæ decurta tione, & extremo P cum pondere versus canaliculum O accidente: toties enim mul-

multiplicatur aëris intromissi potentia ad pondus elevandum, quæ fibræ sunt, quæ vices funium exercent, & ab invicem insufflatione distrahuntur.

PROPOSITIO XII.

Hinc muscularum potentia, & modus quo spirituum animalium influxu exercetur, aperte exponitur.

EX supradictis satis perspicue explicari potest muscularum potentia, & modus quo à subeuntibus spiritibus exercetur. Suppono itaque 1. Seriem vesicarum, qualēm figura 6. exhibet, quarum quālibet eodem modo disponatur, ac ea, de qua in præced. prop. loquuti sumus: ita autem invicem medio canaliculo uniantur, ut aëre per orificium O immiso repleantur; certè hac aëris immisione omnes tumescant, simulque decurtabuntur, & pondus P appensum faciliter attollent, quam si unica tantum adhiberetur.

Suppono 2. Quod si eidem ponderi binae vesicarum series prædicto modo dispositæ applicarentur, pondus sola aëris immisione duplo faciliter moveretur; si verò tres series apponenterentur, triplo faciliter, &c. ita ut quo plures essent eidem ponderi vesicarum series applicatae, eo faciliter pondus insufflatione moveretur.

Suppono 3. Musculos ossibus firmiter mediis tendinibus conglutinari: cumque musculi sint immediata ad movendum potentia, sequitur ossa vectes esse, quibus potentia, id est, musculi, applicata est, ad diversos motus efficiendos, ingentiaque pondera movenda, ac sustinenda.

Suppono 4. Hanc machinam ita esse dispositam, ut ossa munus gerant vectis tertii generis, in qua nempè

po-

LIBER III. CAPUT III.

potentia applicata est inter hypomochlion, seu scutrum, & pondus: quod ut clarius pateat, videatur figura 2. in qua EA humerus est, cubitus autem, & manus est AB: musculus autem pro levando, sustinendoque cubito sit CD, qui firmiter adhæret ossi humeri in D; ossi autem cubiti AF unitur, non quidem in F, sed in C: cum itaque cubiti AF motus fiat in articulatio-ne super punctum O, quod centrum est motus prædicti, patet evidenter, cubitum cum manu vectem componere, cuius hypomochlion est O; pondus est in B, potentia autem motrix applicata est in C, inter pondus scilicet, & hypomochlion; quæ certè, ut pondus movere possit, ingentes vires debet habere, & eo potentiores, quo proximiū hypomochlio O est applicata, ut constat ex dictis in Comp. Mathem. tract. 9. lib. 1. His suppositis, sic muscularum actiones, motus, ac vires, quas ope influxus spirituum animalium exercent, explicantur.

Quilibet musculus ex innumeris fibris coalescit, cum carneis, tum tendinosis, quæ fistulosæ sunt, & innumeris porulis invicem communicantibus sunt excavatae: in has igitur ingenti, celerique motu subingrediuntur spiritus animales, à cerebro descendentes, ita ut musculus nihil aliud esse putandus sit, quam aggregatum innumerabilium serierum quasi vesicularum, illis stituum, quas supra descripsimus, quæ extremitatibus suis cum osse uniuertunt prope articulationem, in qua centrum motus existit. Quemadmodum itaque vesica solo aëre insufflatione immiso repletæ, ad latera intumescent, ac secundum longitudinem decurtantur, ita similiiter ingentibus summa celeritate spiritibus animalibus, omnes cavitates, quæ in fibris musculi continentur, præfatis spiritibus implentur, quo tument ad late-

ra , ad quem tumorem decuratio secundum longitudinem subsequitur , motusque illius osis ac membris , cui musculus applicatus est ; cumque motus circa hypomochlion ubi applicatus est musculus , incipiat , licet ibi modicus sit , certè in extremitatibus remotioribus magnus est , ac velocissimus . Vides igitur luculentem , quam facile pateat modus , quo musculorum actiones spirituum animalium influxu perficiantur .

Sed objicies . Ut vesica M (fig. 4.) possit sensibiliter elevare pondus R , necesse est vesicam sensibiliter decurtari , ut est evidens : ad hoc autem ut sensibiliter decurretur , opus est ut multò plus secundum latitudinem augeatur , & valde sensibiliter intumescat : si igitur muscularum actio , motio , tractio , &c. hoc modo à nobis exposito contingat , necesse erit musculos valde secundum latum extendi , tumere , ac dilatari , cum praefatas actiones exercent : atqui hoc experientia adverfatur : intumescentia enim eo tempore modica est : ergo , &c. Huic obiectioni respondeo , modicam muscularum intumescentiam sufficere , ut eorumdem functiones , & motus ab ipsis efficiantur . Primo quia cum musculi extremitas osis extremitati sit unita prope centrum motus , sit ut brevi facta musculi intumescentia , ac modico motu eo loci causato , magnus sit in opposita extremitate motus , quæ ab hypomochlio , seu motionis centro maximè distat . Secundo quia cum musculus ex innumeris fibrarum seriebus coalescat , quarum qualibet ex quam plurimis vesicis , seu cavitatibus componitur , similes nempè his , quas figura 6. representat , ut musculus notabiliter decurretur , non requiritur valde notabiliter ipsum versus latera intumescere , ac subinde ut motum notabilem sua decur-

tatione membris inducat : eandem siquidem decurrationem efficiet modica intumescencia , quam efficeret , si unica tantum cavitate totali constans , magnam subiret dilatationem , qualem nempè exhibet vesica in figura 4. descripta .

Quod ut evidenter pateat , sit in figura 5. AD fibra aliqua muscularis , quæ ad hoc ut taliter decurrit ut reducatur ad solam longitudinem AC , pondusque elevet à D in C , opus habeat tota dilatatione EB . Supponamus jam hujusmodi fibram ex quatuor cavitatibus , seu vesicis æqualibus coalescere . Dico ad eandem decurrationem sufficere quamlibet vesicam solum dilatari spatio NG , ut nempè pondus ex D attollatur in C . Ratio autem est quia latera AB , BC æqualia sunt octo lateribus AH , HF , FG , &c. quatuor scilicet vesicularum minorum : est enim FG ipsi HK æqualis , & similiter EI ipsi KM : & NL ipsi BM : ergo AH , FG , EI , NL simul , toti AB æquantur . Similiter demonstratur HF , GE , &c. æquari ipsi BC : ergo octo latera vesicarum minorum æqualia sunt lateribus AB , BC : ergo fibra hujus decuratio ex AD in AC , eadem est sive unica sit vesica totalis , sive quatuor vesicæ communicantes , & unita : atqui quando quatuor sunt , ipsam NG non excedit , quartam scilicet partem totius EB : ergo multo minori dilatatione in latum eadem fibra decurrit cum plures sunt cavitates , quam cum unica tantum adest : ita ut si eadem series 4000. cavitatibus coalesceret , ut pondus à D in C eleveretur , ea solum intumescentia sufficeret , qua quartamillies minor esset ipsa EB . Cum itaque qualibet musculi fibra ex penè innumerabilibus cavitatibus , seu porulis componatur : quid mirum si sensibilem valde motum exerat , modica musculari intumescentia . Alia







circa muscularum motiones videri possunt apud Alphonsum Borellum, Thomam Bartholinum, aliosque Auctores.

PROPOSITIO XIII.

Assignatur causa spiritus animales in musculos impellens.

Difficile admodum est causam statuere, qua spiritus animales tam validè trudantur in nervos, & musculos, ut citissimè eorum vesicas implentes, tam validos, ac celeres motus efficiant. Ut autem aliquid in re tam difficiili dicamus, advertendum est spiritus animales ipsius sanguinis continua effervescentia, eademque qua patet via fecerni, & extrudi. Hoc supposito, præfati spiritus cum in cerebri glandulas intruduntur, in eisdem ulterius elaborantur: tum ex glandulis in cerebrum invehuntur, idque ob pressionem ab ipsis vasibus sanguineis, ac sanguinis etiam effervescentia factam. Hinc fit spiritus animales potissimum in cerebro hospitari. Nunc autem videndum est, qualiter inde in musculos deducantur. Ad hoc itaque supponendum est, eam necessariò admittendam esse structuram in cerebro, & illius glandulis, ut spirituum via, qua ad musculos, ceterasque corporis partes derivantur, facile referari, & occludi possint, juxta varias, quas obiecta in organis sensuum faciunt impressiones: id inquam, necessario admittendum esse colligimus, licet ha subtilissimæ dispositiones, & machinamenta à nobis minimè detegantur.

Fluent autem spiritus nunc in hos, nunc in illos musculos juxta determinationes ab obiectis sensibilibus profectas, aut etiam à cogitationibus in Homine: vi enim harum determinationum nunc hi, nunc illi



spirituum ductus referantur , aut clauduntur , prout
præfatae cause ad hanc , aut illam motionem , hoc aut
illud membrum determinant ad motum . Ne autem
existimes velim hunc spirituum fluxum à cerebro in
musculos ita accidere , ut totum illud spatiū inter ce-
rebrum , & musculos contentum decurrant , non , in-
quam , id existimes ; motus enim spiritum à cerebro
profectus , modicus est ; potius enim actio est pre-
mens , seu nisus quidam per cavitates , porosque ner-
vorum versus musculos directus .

Passio itaque quæ à cerebro mediis spiritibus in
musculos inducitur , eodem fere modo perficitur , ac
affectio luminis à luminoso corpore in organo visus:
quemadmodum enim , ut alibi diximus , ut organum
visus à luminoso , seu illuminato corpore ad visionem
determinatur , non opus est ut effluvia aliqua à cor-
pore luminoso emitantur , totum medium spatiū
decurrentia usque ad visum ; sed sufficit actio quædam
impulsiva , qua globuli ætherei totum medium replen-
tes , versus organum visus quasi instantanè pelluntur ,
ipsumque premant , & afficiant : ita similiter putan-
dum est musculos affici ab spiritibus animalibus in ce-
rebro hospitatis : non enim ductus illos , qui à cerebro
in musculos protenduntur , aut vesiculares ordines in
eorumdem fibris contentos vacuos omnino esse , aut
sola materia ætherea repletos putandum est ; sed po-
tius omnia plena , ac referta esse materia quadam sub-
tili , ac spirituosa , ejusdem , aut non multum absimi-
lis substantia cum eisdem spiritibus , quæ ibi in exten-
sione sibi connaturali existens , muscularorum fibras nul-
latenus tendat , aut premat : quoties autem , apertis
illis ductibus , quæ à cerebro ad musculos descendunt ,
& cum eorum fibris communicant , & ramificantur ,

exceretur per fistulas illas , seu tubulos , nitus ille , seu impulsio ab spiritibus animalibus in cerebro degentibus , qua impulsione , tota illa materia spirituosa ibidem contenta , in musculos traditur , & quæ in eorumdem vesiculis continetur , ibidem comprimitur ; hacque compressione , vesicula illa dilatantur , ac versus latera distenduntur , simulque indurantur , ac facta in latera distensione , totus musculus aliquantulum tumet , ac decurtatur , ut supra diximus . Hinc fit ut cessante actione cerebri , seu spirituum animalium in eo residentium , statim musculi detumeant , & ad pristinum statum revocentur . Hec satis intelligibilia esse videntur , eaque in re difficulti dixisse sufficiat .

PROPOSITIO XIV.

Muscularum numerus , eorumque præcipua differentiae proponuntur.

Numerus muscularum valde est incertus , in dies observantium diligentia , & conatu novi repertiorum . Galenus aliquando numeravit supra 300 . Avicena 529 . Aquapendens 500 . eo scilicet quod aliqui in minores musculos subdividuntur .

Muscularum autem præcipua differentiae ab eorum actione petiuntur , atque ad tres cum Carletono possunt reduci . Primo dividuntur in *Congeneres* , & *Antagonistas* , seu contrarios . *Congeneres* sunt , qui unum , eundemque motum efficiunt . *Antagonista* vero qui oppositos motus , & operationes exercent : sic alii digitum inflectunt , alii ad rectitudinem revocant . 2. alii se ipsis movent , alii vero alias corporis partes . 3. alii ad artus flectendos constituti sunt ; alii ad attollendos ; alii ad circumagendos , quos longum esset recensere . Nunc autem aliqua de muscularis in particulari dicamus .

PRO-

PROPOSITIO XV.

Musculi Humeri , seu brachii specialiter dicti , & Scapula recensentur.

CUm Humerus variè moveatur , diversos etiam musculos habet , partim thoraci incumbentes , partim Scapula adnatos . Et quidem ab aliis numerantur septem , ab aliis octo , vel novem . Duo quidem musculi brachium sursum movent , qui appellantur *Deltoides* , & *supraspinales* : deorsum duo *Anascalptor* , & *rotundus major* : antrorsum unicus vide licet *Pectoralis* dictus , quia pectus , vel anteriorem thoraci partem occupat : retrorsum movent brachium tres , nempe *Infraspinatus* , *subscapularis* , & musculus *transversus brevior* . Circularis autem brachii motus ab omnibus supradictis muscularis successivè agètibus perfici à plerisque asseritur .

Quoniam scapula movetur antrorsum , retrorsum , sursum , & deorsum , quatuor musculos habet : primus dicitur *Serratus minor* , estque musculo pectorali substratus . Secundus Galeno *Trapezius* dicitur , ab aliis *Cucularis* , ob figuram quam refert prædictis similem . Tertius *Rhomboides* , quia hanc figuram exprimit . Quartus *Levator* , quia ad levandam scapulam deser vit . His muscularis scapula per se ; brachium vero per accidens movetur .

PROPOSITIO XVI.

Musculi Cubiti , Radii , & Manus referuntur.

Musculi in Cubito quatuor sunt , & totidem in Radio . Duo autem sunt flexores cubiti , nempe *Biceps* , & *Brachieus* : duoque ejusdem extensores , nempe *Longus* , & *brevis* : in Radio duo sunt

Ra-

Radii pronatores, nempe *rotundus*, & *quadratus*: & duo spinatores, scilicet *longior*, & *brevior*: motus siquidem cubiti est flexio, & extensio; Radius vero manum pronam facit, aut supinam.

Musculus, qui *Palmatis* appellatur, omnibus fere musculis manus est superjectus, ac in volam manus expanditur, ac cuti firmissime adhaeret. Musculi autem carpi quatuor sunt, nempe duo *flexores*, & *externi*. Digi*tis* *flectuntur*, *extenduntur*, *adducuntur*, & *abducuntur*. Flectunt eos duo musculi *Sublimis*, & *Profundus*: totidem etiam sunt *extensores*, & *externi*. Adducuntur digiti à quatuor musculis, qui *Iumbricales*, seu *vernicolares* dicuntur, à figura, & exilitate, quam ferunt. Abductores insuper interossei sunt sex, in spatiis metacarpi, tres exteriores, & tres interiores, qui cum vermicularibus coeuntur, per latera exteriora, & interiora digitorum incedunt, suosque tendines ad tria internodia extendunt.

Præterea duo sunt musculi Pollicem *flectentes*, totidemque *extendentes*: tres *adducentes*, totidemque *abducentes*. Index duos sibi proprios musculos habet, nempe *abductor unius*, & *alius extensor*. Et similiter minimus digitus suos *extensem*, & *abductorem* habet.

PROPOSITIO XVII.

Pedis musculi explicantur.

PES totum id appellatur, quod à natibus usque ad extremitates digitorum pedis extenditur, ubi sequentes musculi reperiuntur. *Femur* flectitur duobus musculis, quorum primus in Abdomine est, diciturque *lumbaris*; oriturque à lumborum vertebris superioribus. Secundus *Illiacus* dicitur, oriturque à tora cavitate interna ossis illii, tenui ac carnoso initio.

Femur insuper extenditur tribus natum musculis, quorum primus *Major externus*, ac amplissimus à Coccyge, spina ossis illii, osseque sacro oritur: alter *Medius* est in magnitudine, & situ, oriturque ab ossis ilium spine anteriori sede: Tertius *Minimus*, qui sub Medio latet, oriturque à dorso illii prope acetabulum: hique tres Natum carnosam molem constituunt. Tres etiam musculi sunt, qui *Femur* adducunt, ac circumagunt intro, qui ab aliquibus pro uno habentur, & *Triceps* appellatur. Adducunt etiam & circumagunt foras sex musculi, qui *Quadrigemini* dicuntur; & duo alii qui *obturatorios* appellantur.

In *Tibia* sequentes enumerantur musculi, quatuor postici, nempe *biceps*, *semimembranosus*, *seminervosus*, & *gracilis*, qui tibiam flectunt: alii autem quatuor eam extendunt, nempe *reclus*, duo *vasti*, & quartus *cruoreus*. Tibiam intro adducunt duo, nempe *longus fascialis*, seu *sartorius*; & alter qui *Popliteus* appellatur. Adductor tandem unus est, qui *fascia latata* communiter dicitur.

Pes autem flectitur, & extenditur. Flectitur antrorsum duobus musculis, quorum primus *Tibaeus anticus* dicitur: secundus *Peronaeus biceps*. Extenditur autem retrosum posticis quatuor: duobus *Gemmellis* interno, & externo, qui saram constituunt: tum *Soleo* qui prædictis subditur. Ultimus autem *Plantaris* appellatur, qui totam plantam tegit: his additur *Tibiaeus posticus*, qui inter musculos adductores ab Spigelio; ac inter extensores à Riolano enumeratur.

Digitos pedis duo musculi flectunt, quorum, alter *Magnus*, alter *Minor* appellatur. Quatuor digitos pedis unus extendit musculus ortus à summa & exter-

na tibia, quatuor habens tendines, qui in secundum, & tertium internodium inseruntur: adducunt autem *lumbri* quatuor: abducunt *interossei* decem. Pólex pedis peculiaribus musculis regitur: flectitur unico; extenditur altero: adducitur similiter uno; abducitur altero.

PROPOSITIO XVIII.

Musculi capitidis, Colli, Dorsi, & Lumborum.

Caput vel movetur secundario, nempe ad cervicis motum, & ab ejusdem cervicis musculis; vel primario, idque vel supra primam vertebram, cui immediate conjungitur, antrorsum, & retrorsum flectendo, vel supra processum dentiformem secundæ vertebrae, cui occiput insitit, & firmiter necittur, supra quam, veluti supra axim circumducitur, qui quidem motus fit novem musculorum paribus.

Primum par longum, & crassum est, diciturque *Splenium*. Secundum *Implicitum*, & *Complexum* appellatur. Tertium par sub secundo pari locatum est, parvum & crassum. Quartum dicitur *Rectum majus*. Quintum *Rectum minus*. Sextum *Obliquum superius*. Septimum *Obliquum inferius*. Octavum *Mastoides* appellatur. Nonum par additur à Fallopio sub gula in anteriori parte colli.

Musculi colli utrinque quatuor sunt: 1. *Longi* duo sub æsophago latent; quorum usus est cervicem anterius recta flectere, simulque caput; si vero unus tantum agat, in latus flectit. 2. *Scaleni*. 3. *Transversales* duo in dorso siti, quorum usus est extendere, aut in posteriora flectere, & si unus tantum agat, obliquè movere. 4. *Spinati* duo, qui inter spinas totam cervicem occupant, suntque longi, & ampli, ad idemque de-

ser-

serviunt ac musculi tertii paris.

Spina dorsi antrorsum, retrorsum, ad latera, ac circulariter movetur. Quatuor autem muscularum paria in dorso reperiuntur. Primum par appellatur *Quadratum*, ac lumborum vertebrae flectit. Secundum *Longissimum*, qui thoracem, Lumbos, & eorum vertebrae extendit. Tertium *Sacrum* appellatur, qui eundem usum, ac primum habet. Quartum *Semispinatum*, qui ad thoracem erigendum servit: ubi advertere oportet: si alteruter musculus solum agit, spinam in latus moveri; si vero totum par, flecti, aut extendi: si omnes autem supra memorati musculi agant, dorsum rectum detinent.

PROPOSITIO XIX.

Musculi thoracis, seu respirationis enodantur.

Respirationi quamplurimi musculi inferviunt, ut omnes intercostales, aliqui abdominis, tum & diaphragma, & alii qui sunt thoracis proprii: hos autem & intercostales nunc exponemus, reliqua suis locis.

Musculi thoracis proprii recensentur utrinque sex; nempe duo in anteriori parte, scilicet *Subclavius*, sic dictus quod sub clavicula situs sit. 2. *Serratus major*. 3. *Serratus minor posticus superior*. 4. *Serratus posticus inferior*. 5. *Sacrolumbus* dicitur, quod ab osis sacri posteriori parte oriatur. 6. *Triangularis* qui parvus est, & subtilis.

Musculi intercostales ita appellantur, quod costis sint intertexti, suntque numero quadraginta quatuor, utrinque nempe viginti duo: undecim externi, & totidem interni; semper enim inter binas costas duo musculi sibi invicem incumbunt. Horum usus est thoracem

cem dilatare , ac contrahere. Veteres autem Medici existimavere musculos intercostales externos inspirationi interfervire , thoracis cavitatem augendo costarum elevatione , ad aërem adducendum ; internos vero expirationi interfervire ad aërem ejiciendum , costas deprimendo. Quia propter dixerunt musculos istos antagonistas esse , & alternatim se contrahendo , costas alternatim in oppositas partes adducere , quod quidem ex situ fibratum ea musculara componentium decebant. Alii aliter senserunt nempe omnes muscularos ad idem opus dilationis pectoris simul concurrere: priorem sententiam veriorem judico. Sed de hac re iterum postea. Videatur Franc. Bayle *Tract. 2. de Corp. anim. lib. 1. disp. 4. art. 5.*

CAPUT IV.

De Nervis.

PROPOSITIO XX.

*Quæ ad Nervos in communi spectant , expli-
cantur.*

NERVUS est organum commune oblongum & teres , deferens cum spiritibus animalibus facultatem movendi , & sentienti. Nervorum materia juxta Hypochondram est pars glutinosa seminis calefacta ; non tamen perusta. Juxta Galenum est materia crassa , & lenta.

Pars ex qua nervi immediate oriuntur , est medulla oblonga , quæ partim est intra cranium ; partim vero intra spinam : ex parte illa , quæ intra cranium est , se-

ptem

prem nervorum paria oriuntur , quæ idcirco à cerebro communiter dicuntur oriri ; ex medulla vero spinali triginta paria ortum ducunt ; sed de hoc statim. Hinc communiter rejicitur Aristoteles , qui à corde nervos oriri putavit. Praxagoras autem Cæsalpinus , & alii dixerunt , nervos nihil aliud esse quam venas , & arterias in nervos degenerantes. Sed hoc falsum esse inde patet. 1. Quod in cerebro arteriarum , ac nervorum nulla appareat per anastomoses conjunctio. 2. Quia lesa vel secta in capite arteria , nulla excitatur convulsio.

Nervorum usus est , facultatem animalem cum spiritu animali à cerebro acceptam instar canalium ad corporis partes deferre ; nempe ad sensoria organa , oculos scilicet , aures , &c. tum ad motrices partes , quales sunt musculi : atque ad omnes fere corporis partes , ut sentiant. Nervi itaque partibus corporis inferti , eis tribuunt vel solum sensum , vel solum motum , vel utrumque , ita ut nullus fiat motus voluntarius , aut sensus , nisi ope nervi : hinc nervo inciso , statim illa pars sensu , motuque privatur.

Circa nervorum numerum communis sententia tenet esse triginta septem paria , septem quæ à cerebro , seu potius ab oblongata medulla intea cranium deducuntur : ac paria 30. quæ à medulla spinali oriuntur. Thoma autem Bartholino placet quadraginta paria nervorum admittere ; decem nempe ab interiori cranio : & 30. extra ex spina deducta.

Nervorum figura oblonga est rotunda , & teres , sed absque cavitate manifesta ; secus vero venæ , & arteriae se habent , sunt enim canales , seu tubuli : ratio autem hujus diversitatis est , quia haec cum spiritu sanguinem vehunt ; nervi vero solum spiritum : excipiuntur

tur tamen à Galeno nervi optici, qui manifeste cavos esse asseruit: excipit etiam Uvilos olfactioris nervos, quibus cavitatem tribuit. Reliqui verò omnes nervi manifesta cavitate carent: habent tamen poros, per quos subtile spiritus permeant. Constant præterea nervi omnes, nullo excepto, quamplurimis fibris nervosis, sibi mutuo per membranulas connexis: Fibras autem nervosas, quasi totidem tubulos Cartesius considerat intus excavatos, ac tunica exteriori, & interiori involutos, que continuæ sint duabus matribus cerebri. Singulis his tubulis medullam inesse, quæ plurimis tenuissimis filamentis ex substantia cerebri prædeutibus constat: hanc autem medullam non ita implere prædictos tubulos, quin satis spatii spiritibus animalibus reliquat, per quod ex cerebro defluant in musculos, in quibus prædicti tubuli sunt inserti. Hæc Cartesii sententia verè ingeniosa, plerisque placet, ac juxta illam rectissimè sensationes explicari possunt, ut postea patebit. Ex communī autem Anatomicorum sententia Nervorum substantia est triplex, scilicet interna, alba, medularis, per quam perficitur actio, à medulla cerebri procedens, quæ ipso cerebro densior est: tum duplex tunica, quarum exterior à dura matre; interior verò à pia matre derivatur.

PROPOSITIO XXI.

Decem paria Nervorum, intra Cranium sita expoununtur.

Primum par *olfactorium* est, quinque processus habet, qui *mamillares* nuncupatur: hi nervi in plures fibras, ac filamina divisi, in natum cavernas deducuntur, ac membranæ inseruntur: ipsis insuper nervis duæ insunt crassiunculae portiones, quæ, ut di-

xii, Processus mamillares, seu papillares nominantur. Usus horum processuum est, juxta communem sententiam, ut sint olfactus organa, de quo postea.

Secundum par, quod à plerisque primum numeratur, est *Opticum*, vel *visorium*, quia spiritus ad visionem requisitos ad oculos deferit: hi nervi inter decem paria maximi sunt, & crassissimi; aliis tamen molliores: paululum verò à suo principio progressi, in media fere via uniuntur supra sellam ossi sphænoidis, non per simplicem contactum, vel intersectionem in homine, sed per totalem substantia confusionem. Hic nervorum opticorum coactus ideo institutus esse videatur, ut spiritus visorii, alterutro oculo leso, toti in residuum conferantur: alia etiam forte sunt hujus coactus causa: statim autem post separationem, nervi optici extra calvariam profiliunt, oculisque uniuntur, ut postea patebit.

Tertium par est eorum, qui oculos movent: oritur ad interiorem partem principii medulla oblongata, ubi ita in ipso ortu uniuntur hi nervi visorii, ut quasi continui sint: & hæc est causa qua uno oculo moto, alter etiam moveatur.

Quartum par, quod ab aliquibus cum aliis paribus confunditur, ut Bartholinus annotat, ex medulla elongata exiguo oritur nervulo, deinde antrorum deferuntur, & secundo pari attensum, cum eo per commune foramen exit, oculi orbitam subit, ibique ramificatur.

Quintum par, aliis auctoribus tertiae conjugationis crassior, aut major radix, communiter existimatur ad lingue sensum, seu gustum conducere.

Sextum par, aliis quarta conjugatio, fertur in palatum, & ut plerique ajunt, facit ad sensum gustus.

Septimum par ortum habet inmediate medullæ oblongatae , & per foramen cum tertio , & quarto pari egreditur , & sere omnino in musculi oculi obducto-rem absumitur.

Octavum par , aliis quintum , ac juxta Uvallissium septimum , auditorium est , seu acusticum , post ejus exortum os petrosum ingreditur , & dividitur major ejus ramus in tympanum auris ; cum ejusdem minor ramus deorsum propagetur , ac in diversas partes difundatur.

Nonum par Uvillisio octavum , plurimis hinc inde partibus prospicit ; post exortum egreditur per foramen occipitis , ac multipliciter , lateque distribuitur ad usque intima membra.

Decimum , & ultimum par Nervorum oritur intra cranium in occipite postremo , ex medulla oblongata jam jam in spinam illapsura : oriturque per obliquum cranii foramen fibi proprium : primò fortibus membranis cum precedenti pari conjungitur munimenti causa ; dein sejungitur , & in linguam maxima sui parte abit ; minori verò in hyodis , & laryngis musculos.

PROPOSITIO XXII.

Nervi ex spinali medulla orti recensentur.

In hac propositione triginta nervorum paria recensentur , quæ jam extra cranium ex spinali medulla oriuntur . Ex hac igitur medulla , dum in cervice est , oriuntur nervorum paria septem , seu ut alii putant , octo , quæ in totum caput exterius , & musculos vicinos disseminantur . Primum & secundum par disseminantur in capitib⁹ musculos ad aures : tertium , & quartum in genarum musculos , & eos qui capiti , & collo sunt communes : quantum cum propaginibus quarti , &

sex-

sexti , nervos diaphragmaticos insignes conficiunt . Sextum par ad brachia , & cavum scapulae tendunt . Septimum cum vicinis duobus , nempe sexto colli , & primo thoracis jungitur , ejusque præcipua portio per brachium ad extrema manus accedit .

Ex medulla in dorso duodecim oriuntur paria nervorum ; alii undecim numerant : omnia autem & singula ab egressu dividuntur in ramos majorem , & minorem , quorum alter antrosum fertur , alter retrosum . Rami anteriores mittuntur ad singula spatia intercostalia pro musculis intercostalibus , tum & his qui thoraci incumbunt . Posteriores verò rami abeunt ad vertebrarum spinas .

Ex eadem spinali medulla , quæ in lumborum vertebrae est , oriuntur paria nervorum aliquando quinque , aliquando quatuor , quorum quodlibet dividitur etiam in ramos anteriores , & posteriores , qui partim in musculos lumborum , & hypogastrii , partim in crura disseminantur .

Ex medulla spinali in Offe sacro existente , oriuntur quinque , ac juxta alios sex paria nervorum , ex quorum quatuor superioribus , & tribus lumborum inferioribus oriuntur nervi crurales , qui quatuor sunt : primus quidem , & tertius breviores , ad femur tantum perveniunt : secundus longior ad tibiam etiam deferatur . Quartus autem longissimus est , prospicuitque cuti femoris , ejusdemque aliquot musculis , tum & musculis tibiae , ac pedis .

(***) (***) (***) (***)

(***) (***)

(**)

CAPUT V.

De partibus, quæ in magnis cavitatibus, & in ambitu corporis continentur.

TRES sunt in corpore animali insignes cava-
tes, quæ & *Ventres* appellantur. Nempe *Su-*
premus, id est caput, quod cerebrum, & par-
tes animales continet. *Medius* seu thorax, cor, & par-
tes vitales includens. *Inimus*, vulgo *Abdomen*, Epar,
& partes naturales complectens: de singulis itaque in
his cavitatibus contentis breviter pertractabimus.

PROPOSITIO XXIII.

Partes, quæ in capite continentur, expli-
cantur.

Supremus *venter*, seu caput, præcipuum est animæ
sensitivæ domicilium: osseum est, ac rotundum,
ac non nihil oblongum. Dividitur in partem *capilla-*
tam, & *non capillatam*: illa *calva*; hæc *facies* appelle-
latur.

Calvæ partes externæ sunt sequentes. *Synciput*, est
que pars anterior à fronte usque ad suturam coronalē:
Occiput est pars posterior ab initio suturae lamb-
doideæ ad primam cervicis vertebram: pars autem,
qua inter synciput, & occiput continetur, *Vertex* ap-
pellatur. *Tempora* sunt partes laterales inter oculos,
& aures. *Calvæ* insuper partes aliae dicuntur *conti-*
nentes, seu *vestientes*, & *externæ*; aliae *contentæ*, &
interne: illæ vel sunt communes ceteris partibus cor-

LIBER III. CAPUT V.

83

poris, quales sunt cuticula, cutis pilosa, pinguedo, &
membrana carnosa: vel propriæ, ut pericranium,
periostodium, musculi, ossa, & duo meninges. Par-
tes tandem internæ sunt cerebrum, & medulla partim
in calva, partim in spina contenta.

Pars capitis *glabra*, seu non *capillata*, *Facies dicta*,
præter partes continentes habet partem superiorem,
qua *Frons* dicitur, & inferiorem, in qua sunt or-
gana sensuum, ut oculi, nares, aures, & os, in qua
lingua, aliæque partes clauduntur.

Cranii cavitatem implet cerebrum, spirituum ani-
malium fons, & præcipuum facultatis animalis instru-
mentum. Ex cerebro per magnum calvaria foranien,
in oblongam fistulam, qua ex vertebrarum foramina-
bus apprimè conjunctis efformatur, protenditur sub-
stantia cerebri medullaris, quam *medullam spinalem*,
seu *medullam oblongatam* vocant, de qua supra sumus
loqui. Cerebrum duabus membranis ambitur, qua-
rum extima *dura mater*, seu *dura meninx* appellatur:
hæc toti basi cranii firmiter adhæret; reliquum vero
calvaria connectitur tantum secundum suturas coro-
nalem, Sagittalem, & Lamboideam: extra istas autem
partes membrana ista laxa est, & facile mobilis: du-
plicatur autem in superiori cerebri parte, ac in pro-
cessus varios efformatur, quibus cerebellum à cerebro
distinguitur, aliisque sinus efformantur. Alia membra-
na *pia mater*, aut *Meninx* dicitur: est enim tenuis,
& pellucida, totumque cerebrum ambit; ac ita illi
adhæret, ut ab ejus substantia ægræ possit separari. Ab
hac pia Meninge deducitur membrana quædam te-
nuissima, qua cerebri ventriculos investit.

Detractis cranii, & duræ meningis partibus supe-
rioribus, in superiori cerebri parte, apparent hiatus,

qui ducet meningis processus continent, quorum duo laterales partem anteriorem, & superiorem dividunt à parte posteriore, & inferiore; quarum illa absolute cerebrum; hæc vero cerebellum appellatur. Si cerebri tota moles ē cranio, duraque meninge eximatur, ac invertatur, conspicientur in ejus base ad partem anteriorem processus mammillares oblongi, quos Nervos olfactiorios supra diximus. Amotis ictis, nervi optici in conspectum veniunt: hisque recisis inter medullæ spinalis crura appetit *infundibulum*, cum subiecta illi glandula pituitaria: in hunc infundibulum humores superflui ē tribus ventriculis incumbentibus defluunt.

Tota cerebri, & cerebelli moles ex duplice substantia coalescit; alia nempe alba, seu medullari; & alia subcineritia, seu corticali, sic dicta, quod corticis instar medullari superne obducatur. Ex multiplici autem fibrarum medullarum cerebri complicatione, ac textura, varia in cerebro, & cerebello consurgunt extuberantie, & cavitates, que *ventriculi* appellantur: eorum numerus non idem est apud Auctores; sunt enim qui tres esse adstruunt; alii quartum admittunt: Bartholinus vero unicum esse existimat; sed quia hujus cavitatis partes diversimode sinuantur, præstantius esse videtur diversos ventriculos doctrinæ gratia distinguere. In partibus itaque anterioribus cerebri duæ sunt cavitates, quas ventriculos laterales, aut etiam superiores, & anteriores appellant. Hos sejungit tenuis lamina, quæ quia pellucida est, *septum lucidum* nominatur: sunt autem prædicti ventriculi certes longè majores, Lunæque falcatæ figuram aliquatenus referunt.

E duobus veluti radicibus, seu columnis, exurget for-

fornix, seu Testudo, quæ figuram triangularem refert, quæ expansio quædam est corporis callofi, seu substantia medullaris; sub Fornice, ut observat Sylvius, fertur utriusque lateris choroides plexus ad glandulam pinealem, sub quo plexu coalescit superiore sui parte, utraque radix medullæ spinalis. Ex concursu autem duorum ventriculorum in parte posteriori formatur tertius ventriculus, seu rima longa in centro ferè medullæ cerebri; geminos in se habet meatus, quorum primus ad glandulam pituitariam descendit, ut eò excrementa excludat; alter vero, quem *Anum* appellant, protenditur ad ventriculum quartum. Due insuper sunt protuberantie, quas ob quandam similitudinem *Nates* appellant, inter quas rima conspicitur, quæ quasi Ani foramen continet.

Glandula pinealis, Græcis *Conarium* dicta, à figura nuclei pini, quam refert, *pinealis* appellatur: estque substantia durioris, coloris sublutei, quandoque subobscuri, à membrana tenui obtegitur arteriis, venisque intertexta: valde exilis est in hominibus; annihilari dicuntur sicut camphora aëri exposita. Hanc glandulam inter testes consistentem nerveus funiculus utrinque firmat. Usus hujus glandulæ juxta Cartesium, Regium, ejusque sequaces insignis est, animam enim in ea præcipue statim esse tenuit. Sed de his postea,

Prædicta glandula contegitur superius plexu choridæo: plexus autem choroidæi duabus arteriis coalescunt, quæ ad medullæ spinalis latera deducuntur, ac ē ramis carotidum derivantur, & ad anteriora cerebri deducuntur, ac in quamplurimos ramulos disperuntur, simulque cum venosis ramulis complicantur, eisdemque mirabilibus plexibus exigua glandula interseuntur; qui veluti expansis utrinque alis per medullæ spi-

spinalis crura , ad usque corpora striata protenduntur.

Cerebro insuper duo adjacent processus , qui à similitudine vermium *Vermiformes* dicuntur , constant que ex fibris ad medullæ oblongatæ ductum transversim positis , & tenui membrana munitis. Sed qui plura de his cerebri , & cerebelli partibus volet , audeat *Uvillium* , *Malpighium* , *Bartholinum* , & alios.

Lingua continetur in oris cavitate , cuius altera extremitas *Æsophago* , & faucibus nequitur. In superiore lingua area primum occurrit membrana crassa , quæ innumeræ papillas investit , multis porulis subtilissimis constantes : præstat membranæ subjicitur substantia glutinosa superiore superficie alba , inferiore subnigra , quæ instar membranæ extenditur , habetque satis conspicua foramina , per quæ ad membranam exteriorem traducuntur papilla. Hoc substantia glutinosa subjicitur corpus crassum , subflavum , & albicans.

Constat etiam lingua fibris muscolosis , quarum ope diversimodè movetur. Primo enim in toto ambitu constat fibris rectis , invicem ferè parallelis , secundam illius longitudinem protensis , quarum contractione retrahitur lingua versus radicem. Habet insuper alias ad linguæ longitudinem transversim positas , quarum aliae supèrne deorsum feruntur ; aliae è dextro latere in sinistrum tendunt , & cum prioribus se decussant : hec que deserunt , ut lingua attenuetur , & expandatur , aut fiat crassior , & angustior : tot enim motus , qui in lingua observantur , ex multititudine varioque positi fibrarum dependet.



PROPOSITIO XXIV.

Partes , quæ in medio ventre , seu cavitate continentur , expenduntur.

MEdius venter , *I thorax* dictus , est totum id quod circumscribitur , superiore parte à claviculis , inferiore à Diaphragmate : parte antica à sterno , seu pectore ; postica ab osibus dorfi : & lateribus à costis. Venter hic partes vitales continet , seu viscera , quales sunt *Cor* cum suo *pericardio* , *Pulmo* , *Ö trachea* , *gulaque portio* : tum & vasa , qualia sunt rami venæ , & arteria magna : in hac autem propositione viscera exponentur , si cor excipias , tum & vasa , quæ sequenti capite diversis propositionibus exposenda relinquimus.

Primum quod anatomico ordine in pectore occurrat , *mammæ* sunt : numero duæ , ut scilicet una lœsa , altera officium præstet. Mamma dividitur in *papillam* , & *mamillam* ipsam : in medio enim mamilla cernitur peculiaris substantia , quæ *Papilla* appellatur ; fungosa est , habetque sensum exquisitum , in ipsam enim , quasi centrum , nervorum arteriarum , venarumque extrema desinunt : in medio perforata est , exilibus foraminulis à tubulis lacteis provenientibus , pro lactis exitu. Mamilla intrinsecus constat membrana , vasis ac glandulosis corporibus , tum & pinguedine ; major tamen glandula papillæ subjicitur , reliquæ minores circumstant cum innumerorum vasorum plexu. Mamilla usus est sanguinem in lac convertere , aut lac ex sanguine fecernere.

Diaphragma ita à distinguendo , ac dividendo appellatur. Alii *Septum transversum* appellant , quia transversim corpus dividit , ac ventrem medium , seu

vitalem, ab infimo seu naturali distinguit: ejus substantia carnosa est, ac in medio nervosa, ac membranosa. Totum diaphragma duplii membrana vestitur ad robur; foramina habet minima, seu poros per quos vapores ab inferioribus elevantur. Majora etiam habet foramina, unum scilicet dextrum, per quod vena cava trajicitur; aliud sinistrum majus, & aliquantulo anterius, pro transitu Aesophagi cum duobus nervis ventriculum petentibus: ubi autem exoritur circa lumborum vertebrae, divisio quadam appetat pro transitu arteria magna, lactea thoracica, & vena sine pari. Usus diaphragmatis est. 1. Respirationem liberam efficere, nam musculi thoracis ad violentam conducunt. Ita autem sit hujusmodi motus, ut in inspiratione tendatur diaphragma; in expiratione remittatur: debuit autem talis esse diaphragmatis motus, quia thorax in inspiratione oportet dilatari; ut aerem recipiat, tumidosque pulmones; è contra vero in expiratione erat constringendus, quando fulligines expelluntur, & pulmones detumescunt. 2. Adjuvat diaphragma musculos abdominis in compressione, quoties opus est ad excludenda excrementa, & factum; nam à superiori parte intestina deorsum trudit. 3. Dividit infimum ventrem cum partibus naturalibus in illo contentis, à medio in quo vitales hospitantur, ne scilicet frequentes vapores à partibus ignobilioribus ad partes nobiliores, ut cor, &c. ascendant. 4. Juxta Hippocratem est diaphragma infimi ventris respiratorium, dum hypochondria ventilat.

Pleura, sive tunica coftalis est membrana intrinsecus thoracis, cavitatem succingens, dura, & alba; sed in nonnullis pleuriticis, ut ait Hypocrates, livida: oritur à tunicis tegentibus nervos intercostales, ex spi-

nali medulla egressos, à quibus continuitas illi cum meningibus cerebri provenit. Duplex est ubique, ut inter duplicaturam vasa ferantur: inter has tæpè materia pleuritica colligitur, nec tantum inter pleuram, & musculos. Foramina habet quamplurima, præcipue illa quæ transitum præbent vena, arteria aorta, asperæ, lactes, lymphaticis, gula, & sexti paris nervis. Ejus usus, juxta Galenum, est inungere totam thoracis cavitatem, & equaliter reddere, ne pulmones in motu lardantur.

Mediastinum Pleuræ soboles est, ac membrana duplex, tum thoracis cavitatem, tum pulmones in duas partes dispartiens: est tamen tenuioris substantie, quam pleura. Mediastini usus est 1. Thoracem bipartiri, ut una parte pulmonum lœsa, altera deseriat. 2. Cor cum pericardio annexo suspendere, ut nullam ad partem allidat. 3. Vasa percurrentia stabilire. *Thymus* est corpus glandulosum, molle, spongiosum, & album: adnascitur autem mediastino in jugulo inter divisiones arteriarum, & venarum subclavium: per Thymum transeunt vasa sanguisua: ejus usus est, 1. Vasa magna ibi ascendencia fulcire, videlicet venam cavam, & arteriam magnam, earumque ramos ad scapulas, & brachia proficiscentes. 2. Ut sit cordis quasi tegmen: alios insuper usus habet juxta aliquos Augatores.

Pericardium membrana insignis est totum cor intra se concludens, ac ab eodem separata quantum sufficit pro ejusdem cordis motu perficiendo, & humore qui in hac veluti capsula continetur, capiendo. Pericardium quinque foramina habet, nempe pro vena cava introitu, & exitu, & pro aliorum trium vasorum egressu: connectitur mediastino plurimis fibris, ac vicinis

cinis partibus, præsternit diaphragmatis circulo nervo.

In Pericardio, ut dixi, continetur humor quidam serosus, vel aqueus: cuius si nimia copia fuerit, cordis palpitatio, & inde suffocans mors sequitur. Si vero absumatur, nimirumque minuatur, tabes fit, ut evenit in Hecticis. Circa hujus humoris originem quamplures sunt Auctorum sententie. Sunt qui dicunt ex vasis cordis immitti, palpitatio enim ex hujus humoris excessu orta, phlebotomia curatur. Alii inter quos esse videtur Hippocrates, ex potu provenire volunt, cujus portio aliqua, roris specie, penetrat ex aspera arteria in venosam. Alii tenent esse portionem selectam, ac perfectissimam humoris serosi, ab ipsa natura, primigenio forsan ortu, ibidem per arterias, & venas delatum, præter potus aliam portionem. Alii judicant provenire ab excrementis tertia coctionis. Alii ex saliva ex lingue glandulis delabente in trachæam, ac inde in arterias, & cor. Alii ex adipe cordis agitatione liquato. Alii ex inspirati aëris crassiore portione in aquam conversa. Alii tandem ex halitibus humidis ab humoribus cordis foras motu, caloreque protrusis, ac ad pericardium pulsis, hec sententia Bartholino probabilior videtur.

Pulmones ita ex voce græca à respirando dicuntur, quod scilicet animantibus in aëre degentibus dati sunt ut respirent; sibi sunt in pectoris cavitate, quam implet quoties distenduntur.

Pulmo dividitur ope mediastini in partem dextram, & sinistram, ut si una ledatur, altera adhuc officium gerat. Qualibet ex his partibus in duos lobos dirimitur, quorum superior est inferiore brevior: his lobis pulmones cor amplectuntur. Hinc pulmones extrinsecus

cūs

cūs versus thoracis cavitatem gibbi sunt; intrinsecus vero cavi, ubi cor amplectuntur. Anterior cum sterno per mediastinum, posterior cum vertebris connectuntur: ad latera vero cum pleura aliquando necuntur: cohæret etiam pulmo cordi per venam arteriosam, & arteriam venosam.

Pulmonum substantia, juxta Malpighium, est quadam aggregatum ex levissimis, & tenuissimis membranis, quæ in penè infinitas vesiculas sinuantur, velut in favis apum alveoli: haec vesiculae talem habent situm, & connexionem, ut ex trachæa in ipsas, tum etiam ex una in alias pateat aditus, donec tandem in continentem membranam definat. Membrana autem pulmonem cingens tenuis est, levis, crebrisque poris insignita. Tria vasa in pulmonis substantiam ingrediuntur, nempe *Vena arterialis*, *Arteria venalis*, & *Trachea*, seu aspera arteria, de qua statim: vasa haec si erodantur, ut in Pthisicis, sèpè copia sanguinis ejicitur; sèpè vero Pthysici inopinata morte extinguntur, quia majoribus vasis erosis, cor affuso sanguine obruitur.

Canna, seu Fistula qua aër in pulmones defertur, elegantis, valdeque artificiose structuræ est, sita est in anteriori colli parte, & æsophago incumbit: ab ore autem in pulmones extenditur, & ad quartam thoracis vertebram in duos partitur ramos, dextrum scilicet, & sinistrum, quorum quilibet sui lateris lobum subintrans, in duos insuper dividitur ramos; hique in alios, sive que subdivisionibus iteratis ramificatur, donec in subtilem admodum definat, qui in vesiculos pulmonis supra memoratas abeant. Tota haec fistula vocatur *Aspera Arteria*, seu *Trachea*: rami vero per pulmones expansi *Bronchia* dicuntur.

Componitur aspera arteria ex annulis cartilagineis, qui

qui interjectis musculis connectuntur. Annuli autem predicti cartilaginei non integrum compleat peripheriam; sed cuiilibet portio deest, qua parte fistula esophago incumbit, ne scilicet illum cartilaginea duritie lacerat, aut comprimat, & deglutionem impedit. Investitur item Trachæ duabus membranis, altera externa, & tenui; altera interna, & crassiore, qua cum palato continuatur, sensuque pollet valde exquisito, ut si quid acre cum aere inspiretur, acrimonie sensu, tussis ad citissimam ejus excusionem excitetur.

Asperæ Arteriæ caput ori vicinum *Larynx* appellatur, cuius structura mirabilis est. Componitur ex quinque cartilaginibus, ac tredecim musculis, præter membranas supradictas. Prima Cartilago vocatur *scutiformis*, à scuti forma: estque interius cava, & extrosum convexa, & prominens. Secunda vocatur *Annularis*, quia annuli instar totum laryngis ambitum cingit. Tertia, & quarta similes communis membranae connexu illam partem efformant, qua *Cuttalis* dicitur. Concursu harum cartilaginum rimula quedam formatur, qua inter respirandum in trachæ arteriam aëris ingreditur, & egreditur. Quinta Cartilago *Epiglottis* appellatur, seu *Lingula*; linguæ enim, aut folio hederae similis est: hæc tegit laryngis rimulam, ne cibus, aut potus in deglutione in Trachæ arteriam dilabantur: eam tamen non ita arctè occludit, ut aliquid potus non possit influere: si enim solidi tantillum, aut multum liquidi in rimulam incidat, suffocationis periculum inducitur. Excitatur enim tunc quedam musculorum convulsio, rimam ita constringentium, ut aëris in pulmones transitus prohibeatur.

Tredecim, ut dixi, sunt in Larynge musculi; Epiglottis verò nullos habet sensibiles musculos; sed ali-

men-

mentorum pondere in deglutione deprimitur, factaque deglutione, proprio elatere se restituitur. Hæc autem tam mira Laryngis structura, cum tot musculorum apparatus, non ad respirationem peragendam, sed ad vocis modulationem instituta est: de quo alibi.

PROPOSITIO XXV.

Qualiter Pulmonum motus, & respiratio fiant, explicatur.

Respiratio consistit in adductione aëris ad interiora thoracis, & inde deductione alternativam facitis, ad quod certè necesse est thoracis cavitatem modò expandi, cum aëris adducitur; modò contrahi cum foras ejicitur. Partes autem ad id potissimum deservientes sunt Diaphragma, Musculi intercostales, Pleura, & Mediastinum; quibus adjungi etiam debent Musculi Abdominis, & alii nonnulli. Respiratio autem est propria thoracis functio: Pulmo vero eatenus ad respirationem spectat, quatenus pars præcipua est, per quam animal respirationis utilitatem percipit. His suppositis.

Quod ad respirationem spectat, assero præcipue fieri actione muscularum intercostalium, quos propositi in externos, & internos divisimus: externi quidem costas elevant, ac thoracis cavitatem augent, siveque aëris adducitur; interni vero costas deprimit, thoracis que cavitatem minuant, quo aëris ejicitur: ita ut musculi intercostales exteriores, & interiores antagoniste sint, quod scilicet se se alternativam contrahendo, costas in oppositas partes alternativam deducant: hæc autem actionum diversitas ex diverso fibrarum situ, ac dispositione in præfatis musculis colligitur. Videatur Franc. Bayle tract. 2. de corp. anim. lib. 1. disp. 4. art. 5. Prædicta

ata insuper muscularum intercostalium actione, simul cum thoracis constrictione Mediastrinum se se restrin- git, sursumque trahit diaphragma; rursumque in ejus- dem thoracis dilatatione dilatatur Mediastrinum, & diaphragma deprimitur.

Thoracis dilatationem, ac contractionem sequitur pulmonum contractio, & dilatatio, cuius rei ratio in praesenti inquiritur. Assero itaque 1. Hunc contractio- nis, ac dilatationis motum in pulmonibus non prove- nire ab aliqua virtute ipsis indita, & congenita. Pro- batur, nam talis virtus eis competet, vel ratione subst- antia, vel ratione structura: sed ex nullo capite: ergo, &c. Minor prob. Non enim eis competit ratione subst- antia, quæ cum sit membranacea, incpta est ad illos motus contractionis, & dilatationis alternatum effi- ciendos. Item nec ratione structura: nihil enim in ea conspicitur, quod ad præstatos motus determinare pos- sit. Confirmatur, nam aperto in animalibus viventi- bus thorace, Pulmo manet immotus: sed tunc in ejus subst- antia, aut structura nihil est immutatum: ergo pulmonum motus nec ab eorum subst- antia, nec ab eo- rum structura dependet.

Sed dices: aperto thorace, pulmones moveri, ut sèpè testatur experientia: ergo, &c. Respondeo dis- linguis anteced. moventur motu dilatationis, & contractionis, de quo in præsenti, nego: alio motu, concedo. Itaque motus ille, qui in hoc casu experi- tur, advenit pulmonibus ab extrinseco, à motu nempe diaphragmatis, & cordis, cum quibus mediante Mediastino, & vasis sanguineis connectitur: neque enim hujusmodi partes moveri possunt, quin pulmones etiam commoveant.

Assero 2. Pulmonum constrictio, & quæ ad eam con-

consequitur, aëris foras expiratio, provenit immediate à partibus eos comprimentibus, videlicet à thorace, cum nempe ejus cavitas in expiratione minuitur; me- diate verò à muscularis ambientibus, mediastino se se contrahente, ac sursum trahente diaphragma, & ceteris muscularis supra memoratis, quorum actione thora- cis cavitas redditur angustior: non exclusa in hac pul- monum contractione, eorumdem gravitate, & elasti- citate. Probatur hæc conclusio ex ipsa structura tho- racis, Diaphragmatis, muscularum, aliarumque par- tium respirationi inservientium. Impossibile enim est Pulmones non constringi, quoties costis depressis, tho- racis cavitas, quam implent, minuitur. Idem necessariò sequitur, quoties contractis muscularis abdominis, compulsiisque infini ventris visceribus, diaphragma in thoracis cavitatem protruditur: tum & multò magis necesse est fieri prædictam pulmonum contractionem, & compressionem, cum hæc omnia ad minuendam tho- racis cavitatem concourtunt, simulque mediastinum in- fusa vi elastica se contrahit, sursumque diaphragma ad- ducit.

Hæc autem sunt præcipua, ac potissima causa con- tractionis, ac compressionis pulmonum; validius enim prædicta agunt, quam pulmonum insita gravitas, & elasticitas; hæc enim solum ad eam conserunt, quatenus expirato, forasque aëre ejecto, pulmonum partes propria gravitate concidunt, suaque vi elastica ad suum statum revocantur; ablata nempe causa, quæ eos in statu distensionis constituerat. Confirmatur insuper nostra assertio: si enim muscularum predictorum ope, pulmonum contractionem fieri admittatur, recte per actionem eorumdem muscularum intelligi potest, qualiter expiratio, vel celerior quandoque sit, aut tem-

temperatior: modò item continua, modò intercisa; modò æqualis, modò innumeris varietatibus inæqualis.

Affero 3. Pulmonum dilatationem in inspiratione fieri ab aëre, sua gravitate, & elasticitate nitente ingredi in pulmones. Ad hujus rei intelligentiam, supponendum est, quod alibi diximus, aëris nempè atmosphærā gravitare, aëremque inferiorem à superiore esse compressum: & consequenter hunc sua elasticitate majorem extensionem querere. His itaque suppositis, quæ loco citato demonstravimus; dico aërem à superincubentis atmosphærā pondere pressum, quoties viæ ad arteriam trachœam sunt aperte, in illius cavitatem ruere, ac in bronchia, & in vesiculas illis appensas ingredi, & consequenter pulmones dilatare: quo aperte colligitur, immediatam causam, ac per se dilatationis pulmonum aerem esse; nec est cur ad alias causas inquitendas recurramus, cum hæc sufficiens sit ad præfamat dilatationem explicandam. Patet etiam ex dictis de aeris gravitate, hunc aeris nisum ad pulmones interiùs expandendos, continuum esse, & equivalere impulsioni, quam deorsum efficeret columna Mercurii viginti septem pollices alta.

Ex his patet, thoracis dilatationem catenùs ad pulmonum expansionem conferre, quatenus vias aperit, quibus aer in pulmones irruere possit. Hinc musculi intercostales costas extrofsum adducentes; diaphragmatis depressio, aliisque musculi respirationi interveninges, per accidens tantum ad aeris inspirationem, & ad pulmonum dilatationem concurrunt, quatenus scilicet removent impedimenta, ut aeris illapsus per arteriam trachœam subeat, irruatque in Pulmones.

PROPOSITIO XXVI.

Partes contentæ in Abdomine, seu infimo ventre exponuntur.

IN his partibus exponendis exordium ab œsophago, qui inferiore tantum extremitate in infimi ventris superiore extremitate continetur; reliquum enim illius sursum ad fauces protenditur, & in medio ventre nuper exposito continetur.

Œsophagus itaque est *canalis oblongus musculosus*, per cuius cavitatem alimenta ab ore ad ventriculum transmittuntur. Ejus alterum extremum faucibus, & radici lingua adhæret, unde sub trachea arteria deducitur, ac ultra diaphragma progreditur, tandemque definit in superius, seu sinistrum ventriculi orificium, quod sustinet: ejus principio in faucibus duæ adjacent glandulae *Tonsilla* appellatae, ex quibus in illius cavitatem pituitosus humor extillat.

Ventriculus est *corpus cavum ex multis membranis, & musculis compaginatum*: pars ejus sinistra major est, ac rotundior, quam dextera: situs est in supremâ infimi ventris parte, immediatè sub diaphragmate. Duo habet orificia; sinistrum, quod & *stomachum* appellatur, per quod alimenta per œsophagum demissa excipit: alterum dextrum priore angustius, quod à superioribus ad inferiora recurvatur, vocaturque *Pylorus*, seu janitor, quia veluti januæ custos prohibet ne alimenta è ventriculo in intestina ante tempus propellantur.

Pyloro continuantur intestina, quæ sunt *corpus cavum cylindricum in ingentem longitudinem per variros gyros, & anfractus ad Podicem usque protractum*. Exprimuntur autem plurali numero, quia licet *Comp. Phil. Tom. V.* G unum

unum sint corpus continuum, variae illius partes, diversis accidentibus diversificantur. Sex communiter numerantur intestina, nempè *Duodenum*, *Jejunum*, *Ileum*, *Cecum*, *Colon*, & *Rectum*: quorum tria priora tenuia sunt, reliqua vero tria, crassiora.

Duodenum intestinum protenditur a Pyloro ad insertionem ductus Pancreatici; dicitur duodenum, quasi esset duodecim pollices longum, quamvis communiter sit longè brevius. Duodeno continuatur *Jejunum*, ita dictum, quod in cadaverum sectione frequenter vacuum reperitur, cuius rei ratio est, quia cum innumeris penè venis lacteis sit conspersum, quidquid chyli in illud ingreditur per illas percolatur: longum est palmos circiter duodecim. *Jejunum* sequitur intestinum *Ileum* sic appellatum a plurimis convolutionibus, quas in regione umbilicali habet; longumque est palmos circiter viginti. Sequitur intestinum *Cecum*, ita dictum quod altera extremitate clausum existat, & impervium. Subsequitur intestinum *Colon*, seu cavum, ita appellatum quod pluribus cellulis constet, satis amplis, in quibus foecum descensus retardatur. In principio membranam habet, ejus cavitati transversam, valvulae vices gerentem, quæ excrementis descendantibus aperitur, eisdemque si retro pellantur, clauditur: in hoc intestino fiunt tormina colica: longus est communiter octo palmos, aut novem. Tandem intestinum *Rectum* ceteris longè crassius est, & carnosius, incipit a fine intestini colon, rectaque via desinit in podicem, ac terminatur musculo circulari, cuius intempestiva constrictione foecum excretio impeditur; longum est quasi palmum unum cum dimidio. Duo alii musculi a ligamentis pubis, ossis sacri, & coxadicis orti, secundum hujus intestini latera deorsum feruntur, atque in

in spinæterem inseruntur: hique musculi appellantur levatores ani; prohibent enim ne in excretione violenta intestini extremum extra anum prolabatur, aut si prolapsum fuerit, eorum contractione retrahantur.

Mesenterium ita appellatur, quod in medio intestinorum existat; est corpus membranosum; ex tribus nempè membranis compactum, spinæ connectitur, & veluti in centro ad primam, & tertiam lumborum vertebram radicatur, unde veluti circulariter expanditur, & ambit intestina cum quibus connectitur, ac in situ debito continet.

Vesica urinaria in parte infima abdominis intra duplicaturam Peritonei sita est in illa concavitate, quæ fit ex concurso ossium pubis, sacri, & coxarum. Dividitur in duas partes, superiorem nempè, quæ vesica corpus est; & inferiorem, quæ collum vesicæ appellatur. Tribus constat membranis, quarum exterior densa, & crassa cum Peritoneo continuatur. Interior est corpus glandulosum, filtrum cujusdam materiæ mucosæ, quæ interius munitur adversus urinæ acrimoniam. Membrana autem, quæ duabus prædictis interjicitur, fibras habet musculosas, quarum decurvatione contrahitur vesica, & urinam ejicit. Vesicæ collum in ejus inferiore parte situm est, per ipsumque urinæ in uretram deducitur, habetque musculum *Spinæterem* appellatum, cuius contractione urinæ fluxus impeditur. Ad collum latera in vesicam utrinque inseruntur ureteres obliquo ductu, quo efficitur ut membrana interior valvulae vices gerat, & urinæ regressum in viscera prohibeat.

Peritoneum est membrana tenuis, & mollis, sed valida, & densa intestinis ita obducta, ut omnia viscera infimi ventris tegat, & firmet. Oritur a spina circa

vertebram primam; & tertiam, connectitur etiam superius diaphragmati arctissimè, inferius ossi pubis, & illi, anterius linea albæ, & transversorum muscularum tendinibus.

Omentum sub Peritoneo continetur, estque corpus conflatum ex membrana tenui, & levi: sui duplicatura iiii vas amplum efformatur; extenditur super intestina, eorumdemque gyris inseritur, ipsisque quasi innatae videtur. Omentum frequenter multò adipe abundant, quam ob causam juvat, & foveat calorem ventriculi, seu fundi: superior enim ventriculi pars ab incubente jecore foveatur: similiter intestinorum calorem foveat: hoc enim fomento indigent, eo quod partes membranose sint, & exangues.

Pinguedo est corpus similare vita expers, ex sanguinis partibus unctuosis, ac oleoginoisis concretum ad totius tutamen. Pinguedinem ex sanguine deduci constat, quia in locis in quibus pinguedo colligitur, nulla alia sunt vasa, nisi tantum sanguinea. Pinguedo autem in diversis corporis partibus reperitur.

PROPOSITIO XXVII.

Relique partes in Abdomine contentæ recententur.

R Elique partes, quæ in infimi ventris, seu Abdominis cavitate continentur, inter glandulas fere recententur, ideoque breviter de glandulis in communione aliud est dicendum. Glandula corpus membranaceum est, ex membrana in vesicam formata, in qua alia membrana formantur in folliculos rotundos, ova-les, aliterque figuratos, tum in canales exiles variis gyris complicatos intestinorum more, quandoque altera extremitate clausos, communiter pervios. Glandulae cri-

cibra quedam sunt, ac colatoria, quibus succi quidam à reliquis, quibus commixti sunt, filtratione, ac percolatione circulariter facta secernuntur, atque ad certa quedam conceptacula amendantur, aut foras ejiciuntur.

Quaritur autem nunc, in quo vis illa consistat, qua veluti delectu quodam humores secernuntur: ita ut in his glandulis hujus tantum speciei humores excipiantur; cæteri verò respuantur. Respondeo cum communis sententia, delectum illum pendere ex structura, ac configuratione pororum, ac meatuum insensibilium colatorii, & ex eorum subtilitate: hoc enim efficit, ut illi tantum liquores per colatorium trajiciantur, quorum particula figuram habent meatuum orificiis congruentem, molemque eidem proportionatam. Requiri autem meatum subtilitatem patet in cribro, in quo si foramina latiora sint, omnis generis grana transmittuntur; secùs verò si minora. Ad percolationem autem, & secretionem liquorum non sufficere meatum angustiam; sed insuper requiri orificiorum figuram, & meatum certam dispositionem, plurimis experimentis convincitur.

Mercurius enim, qui per foramen exilissimum, & per insensibiles meatus rapidissimè in aurum penetrat, hæret in latiore foramine, si fuerit in ligno formatum. Aqua quæ per ligni poros insensibiles imbibitur, poros corporis pinguis non modo non ingreditur, sed etiam contractum respuit. Si mixtura ex aqua, & oleo in chartam madidam immittatur, oleum in superficie hæret, solaqua aqua percolatur: si verò eadem charta oleo fuerit imbuta, oleo transitum præbet, aqua verò resistit: & sic de aliis. In glandulis itaque talis esse debet dispositio, ut facilis sit ad eas illius humoris appulsus;

cujs percolationi sunt destinatae. Non est autem exsuffiandum, in glandulis solam humorum secretionem fieri: verum etiam ejusdem humoris quandam alterationem, quod certè ex mirabili glandularum artificio, fibrarumque contextu satis colligitur: longissimi enim canaliculi, innumeris gyris circumvoluti, ad id instituti esse videntur, ut longior humoris secreti in glandulis mora inducatur; sive humor destinatum à natura statum, media alteratione ibidem facta adipiscatur.

Dividuntur glandulae in conglobatas, & conglomeras. Conglobatae unica membrana densa continentur, fibris musculosis ab illa interius protensis, se sequè mutuo interficiantibus, qua vesiculas, & areolas sua textura intercipiant. Conglomeratae verò ex multis glandulis minoribus coalescent; habentque vas proprium, quod in earum minores glandulas, aut folliculos, ramos emitit, quibus humor in vesiculis secretus excipitur, tum in truncum, seu majorum canalem defertur, ut per eum excernatur, ac derivetur in certas cavitates, ut tandem extra corpus ejiciatur; ideoque hujusmodi vasa vocantur *Excretoria*. Sed jam ad particularia deveniamus.

Hepar est pars organica in infimo ventre statim sub diaphragmate lateris dextri constituta. Hepar secunda coctioni, seu sanguificationi destinari tenuere Aristotelici cum Galeno: oppositum tamen tenent jam communiter Neoterici, de quo postea erit sermo. Constat Hepar juxta Malpighium, & alios, ex lobulis, qua multos continent folliculos, seu acinos glandulosos: connectuntur autem membrana ipsos investiente, ac neftente: hanc partium congeriem continet tenuis membrana, qua totum Hepar ambit. Ejus figura in-

homine est supernè convexa; infernè verò aliquantulum cava: in latere sinistro aliquatenus excavatur, ut venæ cavæ, & œsophago locum præstet: validissimè insuper unitur vena cavæ, & venæ portæ, per earum ramos per totam ejusdem molem dispersos: & ut plurimum intestinis jejunio, & duodeno, per canalem biliarium. Vasa Hepatis propria sunt ductus biliaris, & ramii vena portæ, qua simul cum ramis canaliculorum bilem deferentium ramificantur communi capsula conclusi, & omnes in exilissimos folliculos disperciuntur.

Hepati in parte illius cava appenditur vesica biliaria, seu cystis fellea, qua tribus membranis constat, quarum extima fibris nerveis contexta est; interior verò glandulis constat, & humore muscoso obducitur; qua autem ipsis interjicitur, fibris carneis compaginatur. Ex Hepatis autem structura deducitur conditum esse, ut in eo bilis à sanguine separetur, ac per canales biliarios in ea loca deducatur, in quibus ad functiones alias obeundas requiritur. Generatur autem bilis in Hepate, quatenus in glandulosis illius lobulis è sanguine per capillamenta vena portæ ad eos delato, secernuntur partes alkalicæ, & oleoso, cum seroso earum vehiculo, & in capillamenta canarium biliariorum propelluntur: ex his enim potissimum humor ille componitur. Duo autem meatus sunt adnotandi: alius quidem hepaticus dictus, quia ab Hepate deducitur; alius verò *Cysticus* appellatus, ex quorum concurso formatur canalis communis, qui ab utrisque bilem recipit, & ad intestina deducit, appellaturque canalis biliaris, ac ductus choledocus, qui obliquè in intestina inseritur, in principio scilicet jejunio, & fine duodeni, in quorum cavitatem bilem effundit, qua affusione intestinalis

nalis pituitas dissolvitur, ipsaque intestina ad excrementorum propulsionem excitantur.

Lien, sive *Splen*, in sinistro hypochondrio situs est è regione Hepatis, quasi alterum Hepar, sub diaphragmate inter costas, & ventriculum. Hujus visceris substantia mollis est, & laxa, colorque ex rubro livescens: duplice membrana munitur, quarum exterior satis valida est, ipsique interior immediatè subjicitur. In membrana interiore elegans est fibrarum contextus, dum è singulis punctis, in quibus transversim per lineam excurrentes nectuntur, tamquam è totidem centris in ambitum circuli fibræ protendantur, donec consimilibus fibris occurrant, ac cum eisdem implicantur. Qui plura de Lienis structura volet, audeat Malpighium, aliosque Auctores. Lienis usus est, ut sanguis in eum ingressus novum substantiæ modum, novasque qualitates in eo accipiat: de quo latè Vvelthusius de Lienis usu, & alijs scripsierunt.

Renes bini sunt *Aortæ*, & *Venæ cavae* adjacentes, utrinque unus. Ex sanguine quippè triplex excrementum expurgatur, nempe bilis tenuis in folliculum fellis; crassa bilis in canale bilariū: & serū in renes, vasaque lymphatica. Duplice membrana involvit Ren, quarum altera, quæ communis est, Peritoneo continuatur, & ob pinguedinis copiam *Adiposa* appellatur: altera membrana est propria renum, eorumque substantiæ adharet, sive tenuis, & densa. Renibus accedit *Pelvis*, est autem pelvis cavitas quædam ad partem Renis simam, ex membrana illam renis partem amplectente deduxta. Renum substantia nihil aliud est, magna saltim ex parte, quam canaliculorum, & capillarium meatuum, per quos urina ī pelvī effluat, aggeries: indeque per subtile canales in vesicam urin-

nariam, & ex ea per Urethram excrenatur. Ex dictis enim cum de Glandulis ageremus, & ex prædicta renum structura facile colligitur, eos in prædictum finem conditos esse.

Glandulae renales, seu renes succenturiati, sunt corpora glandulosa posita prope renes: appellantur etiam *Glandulae atrabiliariae* à succo atro quem continent, renibus similes sunt: ipsique in adultis multo minores. Componuntur ex corporibus fibrosis, quæ à peripheria ad earum medium diriguntur, sicut in renibus: sunt similiter corpora fistulosa; ex quo patet novam in ipsis fieri humoris filtrationem, & alterationem, ut notat Malpighius. Haec glandulae à nexus stomachico nervos accipiunt, venas item à cava, & emulgente, arterias ab Aorta; venisque appositæ sunt valvule pro impediendo sanguinis regressu.

Pancreas est corpus subalbidum, quod in adultis mediocris staturæ longum est quatuor circiter, aut quinque pollices, & latitudinem habet unius pollicis, ac membrana densa tegitur. Situm est sub ventriculo circa primam lumborum vertebram, duodeno intestino conjungitur, ac versus lienem attenuatur. Componitur Pancreas ex lobulis, qui folliculis glandulosis coalescent, quibus in singulis lobulis interseritur canaliculus, qui suis ramis in folliculis succum accipiunt, eumque in canaliculum majorem deferunt, qui per Pancreatis medium secundum ejusdem longitudinem excurrit: hic autem canalis fini Duodeni inseritur, in cuius cavitate aperitur; hocque orificio valvula habet, ut liquoris ex eo defluentis regressum impediat.

Ex hac Pancreatis descriptione aperte colligitur Pancreas esse de genere Glandularum conglomera-

rum, in quo nempe succus quidam percolatur, qui *Pancreaticus* nominatur, de quo varia Medici disceptant, quan non sunt hujus loci: plerisque tamen videatur succum hunc acidum esse, aut saltim acidum alkalico praedominari: cumque in intestina lubeat, ad id deservire videtur, ut ejus accessu nova in Chylo excitet effervescentia, majorque fiat ejusdem dissolutio, & partium attenuatio, ac ab inutilibus secretio, facilior in venas lacteas transcolatio, & promptior excrementorum praecipitatio.

Tunica interior ventriculi, & intestinorum in Homine *Villoso* appellatur, ob similitudinem, quam cum panno serico villoso refert. Omnes tandem partes, quas in Abdomine contineri diximus, complectitur *Peritonaeum*, de quo jam egimus supra.

PROPOSITIO XXVIII.

Partes in ambitu corporis excisentes expoenuntur.

Inter partes, que in corporis ambitu collocatae sunt, primum locum habent quatuor ampla involucra, que tegumenta communia vocantur, quorum intimus est *Panniculus carnosus*: deinde sequitur *Panniculus adiposus*: tertio *Cutis*, ac tandem omnium extima *Cuticula*.

Panniculus carnosus, qui etiam *membrana carnosa* vocatur, in homine subjicitur pinguedini, seu panniculo adiposo: & extra frontem est immobilis, quod secus evenit in plerisque Brutis: praedita autem est sensu exquisito: ejus praecipius usus est, ut partes contentas ab externis injuriis defendat, ita ut si acria, & pugnantia exterius applicata intus penetrant, incitat animalia ad eorum expulsionem.

Pan-

Panniculus adiposus est membrana confertis quamplurimi sacculis instructa, in quibus pinguedo hospitatur, qua inter panniculum carnosum, & cutem continetur: ejus specialis usus est, ut partes, quas tegit, adversus aeris intemperiem tueatur.

Cutis est membrana ex tendinosis fibris, nerveisque compaginata, & qua papillae emergunt, ex tenuibus, ac molibus filamentis conflatæ, quarum series in manibus, ac pedibus, ac in apicibus digitorum cernuntur, quas designant exilissima rugæ, que ibi observantur.

Cuticula est pellicula tenuis, & densa, toti cuti obtemsa, eique firmiter adhærens; inter hanc, & cutem, reticularisque praedictas, substantia quædam interjicitur pinguis, & mucosa, à qua colorem accipit cuticula: unde in Mauritanis cuticula apparet nigra: alterius tractus homines eam habent subflavam, &c. à similibus nempe coloribus corporis mucosi praediti.

Cuti quamplores insunt glandulæ exilissimæ, quæ suum proprium habent vas excretorium, quod exteriùs aperitur, & ut Malpighius observavit, circa quemlibet pilum aliqua sunt angustissima foramina, quæ sudori, ac transpirationi deserviunt, simul cum aliis innumeris subtilissimis porulis. Tempore autem pluvio, quia aeris humiditate illi meatus facile occluduntur, transpiratio imminuit: unde aliqua sensuum hebetudo, & gravedo subsequitur, experientia teste.

Pili tamquam Plantæ ex proprio solo innascuntur cuti; sunt enim verè plantæ, ac per intussumptionem aluntur, & crescunt, interiorque eorum substantia medullaris est, & alba; exterior vero corticalis diversique coloris in diversis speciebus, & individuis. Pilorum

rum radices continentur singulæ in singulis folliculis, in quibus alimenti materia percolatur, excoquitur, ac perficitur.

Ungues tum in hominibus, tum in bestiis, ex fibris serè parallelis in longum protensis coagmentantur: hinc facile in laminas dividuntur, & laminae tandem subdividuntur in fibras. *Ungues* veluti expansiones cuticulae sunt, ipsaque, sicut & cornua tantum duritie, ac crassitie à cuticula differre videntur.

CAPUT VI.

De mirabili Cordis structura, & vasorum sanguinem continentium.

PROPOSITIO XXIX.

Cordis structura explicatur.

COR pars princeps est animalis, qua nullum animal caret, ut Aristoteli visum est. Detracto itaque Pericardio, seu membrana illa ipsum involvente, de qua supra, recessisque vasis, quibus adnectitur, cor appetet; conoidalem habet figuram; è lata enim basi in mucronem obtusum definit, ita ut pyri figuram aliquatenus referat: membrana quadam ejus superficies investitur, qua ipsius substantie firmiter adharet.

Cor duos habet ventriculos, seu cavitates, alium dextrum, alium sinistrum: in ejusque basi quatuor magna observantur foramina, quibus cum vasis sanguinis communicat, qua in prefatos ventriculos penetrant; duo nempe in quemlibet ventriculum. Circa

cor-

cordis basim ablata pinguedine ibi existente, & detraeta membrana, qua carneæ cordis substantię adhærer, fibre carneę conspiciuntur, qua à tendinoſe substantiæ annulis à basis ambitu, variis modis jam directe, jam reflexe versus cordis apicem protenduntur, multaque versus basim reflectuntur; quamplures autem in fasciculos collectæ in interiori parte sinistri ventriculi, quasdam veluti columnas efformant, qua parte ad cordis basim spectant, in fibras desinunt tendinosas, ex quibus non secūs ac in navibus vela ex funibus, ita membrana triangulares suspenduntur, ut expandantur, ac è sua basi versus mucronem trahantur. Deserviunt etiam prædictæ columnæ, ut earum ope sinister ventriculus in sua contractione arctiùs contingatur; & quem in dilatione exceptit sanguinem majori ex parte in Aortam extrudat, ita ut illius parum admodum retineat. Omnes autem prædictæ fibre carneæ sinistro cordis ventriculo circumducuntur instar cinguli ad basim crassioris, in cuius media crassitie à basi versus medium cordis, locatur dexter ventriculus, fibris etiam parte interiore separantibus ventriculos ab invicem, & constituentibus septum, quem *MEDIUM* appellant, quo sit ut non omnes fibre obducantur parti exteriori ventriculi dextri, cum illatum aliqua pars, inter illum & ventriculum sinistrum, hunc perctingat. Hinc sit sinistrum ventriculum esse dextro robustorem, cum ad ejus contractionem, sanguinis que expulsionem plures concurrant fibre, quam in dextro ventriculo.

Cordis partes potissimum sunt *Auricula*, qua extrinsecus conspiciuntur: tum & *Ventriculi*: *Septum* ipsos distinguens, & *vasa cum valvulis*, qua omnia intra ipsum cor reperiuntur.

Au-

Auricula ita dictæ ob similitudinem cum auriculis, sunt processus quidam, seu appendices ad cordis basim sitæ, ante orificia vasorum venosorum, seu sanguinem in cor infundentium, quibus cohærent, cordi que mediætè junguntur, utrinque una: sunt enim due, & dextra quidem major quam sinistra: dum moventur, variant successive colorem, ut cor, nam motæ in contractionibus palent, quia tunc sanguinem expellunt, rursumque in dilatatione, seu diastole, sanguine recepto, ad ruborem redeunt. *Auricula*, sicut & cor *Systole*, & *diastole* moventur, qui motus tanta celeritate fiunt in sanis, ut confundi videantur, ac simul quasi uno ictu, unaque explosione peragi apparat; unde non nisi in moribundis possunt distinguiri. *Diastro* efficit sanguis à vena cava, & arteria nervosa receptus. *Systole* verò contingit, quando repletæ auriculæ sanguinem sua contractione expellunt. *Systole*, & *diastole* utriusque auriculæ eodem tempore fiunt; ita ut quando dextra diastro patitur, eodem tempore eum patiatur sinistra; similiterque in *Systole*: ceterum diastole cordis diverso tempore fit, ac diastole auricularum, & similiter *systole*; ita ut *systole* auricularum cum diastole ventricularum simul concurrat; & vice versa, diastole illarum cum cordis *systole*: semperque illarum constrictio horum diastro p̄cedat; diurnior tamen est illarum motus, quam istorum.

Auricularum usus est, 1. ut sint cordis promptuaria: recipiunt enim primò sanguinem, ne subito in cor irruat, sequaturque animalis suffocatio: hacque de causa auricula vasis infundentibus tantum appositæ sunt; non autem effundentibus arteriis. 2. Vasa quibus apponuntur, tutari. 3. Juxta Hippocratem, ut
sint

sint cordi loco flabelli, & refrigeratori. 4. Juxta alios, ut sint loco mensuræ, qua cordi admiciatur sanguis eidem influens ex vena cava, & arteria venosa: nam cum singulis pulsibus omnis omnino sanguis non deberet exire, sed aliqua pars deberet in corde retinéri, & ulterius perfici, oportuit ut ab illis auriculis debita cum mensura dispensaretur.

Ventriculi, cavitates, seu sinus cordis, bini sunt, nempe dexter, & sinister, ut suprà diximus. *Dexter ventriculus* sanguinem recipit ex vena cava; hicque non est exactè rotundus, sed figuram crescentis Lunæ refert; latior tamen est, & major sinistro, ob sanguinis copiam quam continere debet, & pro pulmonibus, & pro spiritibus vitalibus in sinistro ventriculo gignendis. Hujus dextri ventriculi usus est. 1. Sanguinem ex vena cava recipere, tum ad pulmonem pro nutritione, aut potius pro alteratione mittendum: pulmonibus enim à cordis dextro ventriculo per venam arteriosam effunditur. 2. Mittere partem sanguinis puriorum per septum, in ventriculum sinistrum ad spirituum vitalium elaborationem: crassiorem enim ad pulmones, & per ipsos ad sinistrum ventriculum emitit, ut scilicet perfectior sanguis ad cor revertatur. *Sinister ventriculus* angustior quidem est, sed nobilior, rotundamque habet cavitatem, superiùs latiorem, inferius angustiorem, ad usque cordis mucronem pertingentem. Usus ejus est, sanguinem arteriosum cum spiritibus vitalibus elaborare; idque ex duplice materia: nempe ex sanguine in dextro ventriculo preparato, & per septum, pulmonesque transmiso: tum ex aère per os, & nares inspirato, in pulmonibus preparato, & per arteriam venosam cum sanguine in cordis sinistrum ventriculum misso ad ventilationem, pabulum, aliosque fines.

Utrius-

Utriusque igitur ventriculi idem fere est usus, ut recte Bartholinus: nempe sanguinem arteriosum generare, & perficere: venosum ex universo corpore per venas recipere; ac perfectiore ad corporis extrema per arterias immittere, ut eo nutriantur; quod ex vasorum constitutione, valvarumque positura statim exponenda, aperte colligitur.

Septum, ut suprā diximus, inter utrumque ventriculum parietis instar appositum est, ut scilicet subtilior sanguis ex dextro ventriculo in sinistrum in systole transfat, ad vitalis sanguinis, ac spiritus generationem.

Quatuor circa cordis caput insignia vasorum reperiuntur, quæ Hippocrates naturæ humanæ fontes appellant. Dextro namque ventriculo gemina inferuntur vena, scilicet *Vena cava*, & *Vena arteriosa*: sinistro totidem arteria, nempe *Arteria venosa*, & *Arteria magna*: quibus omnibus intus appositæ sunt valvulae, seu ostiola undecim. Vasa advehentia, nempe *Vena cava*, & *arteria venosa*, valvulas habent tricuspides, foris intus aperientes; revehentia vero vasa, nempe *arteria magna*, & *vena arteriosa*, valvulis mitralibus instruuntur, intus foris aperiuntibus.

Primum vas est *Vena cava*, quæ dextro ventriculo inseritur admodum amplio, & patente orificio, triplo majori, quam sit orificium Aortæ: ejus officium est sanguinem ab Hepate, & universo corpore in cor inferre per truncum ascendentem, & descendantem: tum & chylum, ac lympham ex lacteo thoracico. Tres habet valvulas membranosas, janitrices dictas, foris intro spectantes, ut scilicet sanguis intrare queat; non vero in cavam redire: hæ valvulae *Tricuspides* appellantur, quia triangularibus telorum cuspidibus similes sunt.

Se-

Secundum vas est *Vena arterialis*: dicitur *vena*, quia Pulmonis sanguinem defert, *Arterialis* vero, quia non ex tunica simplici, ut *venæ*, sed ex duplice, ut *arteriæ*, componitur: hæc minori orificio è cordis dextro ventriculo egreditur, & ad pulmones protenditur. Ejus usus est, sanguinem è dextro ventriculo excipere, & ad pulmones devehere: & ne hic sanguis in cor relabatur, tres valvulae sunt ei appositæ intus foras spectantes, quæ semilunares vocantur, habent enim semicirculi figuram.

Tertium vas est *Arteria venosa*, quæ in sinistro cordis ventriculo conspicitur. Dicitur *Arteria* 1. Quia pulsat in Adultis. 2. Quia sinistro ventriculo inseritur. Dicitur etiam *Vena*, seu *Venosa*, quia in fetu venæ munus gerit: tum quia à cava quasi producitur, cui per anastomosin jungitur, ac sanguinem cordi, sicut & cava, ministrat. Ejus usus est in dilatatione sanguinem, simulque aërem ex pulmonibus ad sinistrum ventriculum devehere, ad sanguinis arteriosi, spirituumque elaborationem, flammæque vitalis pabulum, & sufflamen. Ejus orificio duæ tantum valvulae sunt appositæ foris intrò vergentes, quæ junctæ mitram Episcopalem referunt, ideoque mitrales appellantur.

Quartum vas *Arteria magna*, & *Aorta* appellatur, ita dicta quòd cæterarum sit radix, oriturque ex sinistro cordis ventriculo. Ejus usus est arteriosum sanguinem cum vitalibus spiritibus à corde acceptum, omnibus corporis partibus communicare ad vitam, ac nutrientem: ne autem hic sanguis remeat in cor, appositas habet tres valvulas similes illis, quæ in vena arteriosa reperiuntur, quæ intus foras aperiuntur; è verso autem exactè claudant.

PROPOSITIO XXX.

Arteriarum structura exponitur.

VAFA sanguinea sunt canales, seu ductus oblongi & majoribus truncis in minores ramos divisi, tandemque in exilissimos desinentes, qui *Capillares* appellantur. Horum vasorum duo sunt genera, alterum complectitur *Arterias*, & alterum *Venas*. Hæc duo vasorum genera inter se communicant: primò in corde per majores trunco, ut supra diximus; deinde in reliquis corporis partibus per oscula ramorum capillarium, aut per meatus ipsarum partium, in quas disperguntur, ita ut sanguis ex altero in alterum genus vasorum habeat commixtum, ut postea patebit.

Arteria itaque, quarum expositionem in hac propositione suscipimus, sunt corpus membranosum ex pluribus constans membranis, quarum intima tenuissima est, ipsamque immediate secunda membrana amplectitur: hacque membrana quintuplo, aut sextuplo crassior est illa, ex qua vena constituitur, ut melius irruentis sanguinis impetum sustinere possit. Additur prædictis alia membrana communis ad monumentum adversus externas injurias; hacque investiuntur arteria in cavitatibus corporis; cum enim viscera subeunt, aut in solidas partes penetrant, eam deponunt.

Trunci arteriarum majores, ac præcipui duo sunt; alter oritur ex altero orificio dextri ventriculi cordis, quoque ramos in pulmones dispergit, diciturque communiter *Vena arteriosa*. Alter truncus emergit ex quadam orificio sinistri ventriculi cordis, qui in reliquias corporis partes ramificatur: huncque truncum *Aortam*, seu *Arteriam majorem* appellant. Statim ab exortu, antequam extra Pericardium emergat, cordi

lat-

LIBER III. CAPUT VI.

115

largitur arteriam, quam *Coronariam* appellant: Extra Pericardium autem egressa, semicirculari ductu versus infimum ventrem, ac sequentes partes reflectitur, appellaturque *Aorta descendens*: ex superiore autem parte canalis circularis, arteria ex Aorta in partes superiores distribuuntur, de quibus postea. E trunco itaque descendente, antequam ultra diaphragma erumpat, emitit utrinque tres, aut quatuor ramos, quos appellant *Arterias intercostales*, quia per costarum intersititia ramificantur; tum & prope diaphragma emitit arterias *pbrænitas* dictas, quæ in diaphragma, & Mediastinum sparguntur.

Postquam Aorta ultra diaphragma processit, profert anterius arteriam *Cæliacam*, quæ supra venæ portæ truncum dividitur in duos ramos dextrum, & sinistrum. Dexter elatiore sui parte *Gastricam* dextram producit, quæ *Pylorum* accedit; & *Cysticas* gemellas, quæ in fellea cystide diffunduntur. Ex parte vero inferiore ejusdem trunci exeunt diversi rami ad omentum, intestina, & fundum ventriculi: tum & *Hepaticæ* duas, quæ communem capsulam ingressæ, vasa biliaria, & ramos venæ portæ ad usque capillamenta extrema comitantur. Sinister autem arterię cæliacę ramus, etiam spleneticus dictus, supra Pancreas ad Lienem accedit. Ex ejus parte superiore *Gastrica major* procedit, quæ ramum ad superiorem, & medium ventriculi partem mittit: tum ad eum arteriam coronariam stomachicam, & *Gastricam* sinistram. A parte autem inferiori emergunt rami splenici: *Epiplois* nempe dextra, & sinistra in omentum.

Post arteriam *Cæliacam* ex parte anteriore Aortæ, oritur *Mesenterica superior*, quæ *Mesentericas* in ipsum, & intestina distribuit. Circa connexionem secundæ, &

H 2

ter,

tertiae vertebrae lumborum, è lateribus Aortæ oriuntur arteria^e emulgentes, utrinque una, quæ ramificatæ, in singulos renes ingrediuntur. Ex anteriore parte Aortæ oriuntur arterie^e spermaticæ, quæ in testes distribuuntur in viris; in feminis verò in fundum uteri, aliasque ejus partes. Oritur etiam post predictas Mesenterica inferior, quæ in parte inferiori Mesenterii ramificatur, indeque rami hemorrhoidales deducuntur. Post hanc sequuntur arteria^e lumbares, quæ in lumborum, Abdominisque musculos distribuuntur. Tandem musculæ superiores utrinque una, quæ in Abdominis musculos disperguntur.

Eadem Aorta descendens ad initium ossis sacri, in duos insignes ramos dividitur, qui Iliaci vocantur: qui statim dividuntur quilibet in duos ramos, qui Iliaci dicuntur, alter interior, alter exterior: ab illo producent arteria^e Muscula, tum Hypogastrica, Umbilicalis, &c. Ab exteriore erumpunt arteria^e duæ, nempe Epigastrica, quæ per musculum rectum abdominis sursum tendit, & mammaria^e occurrit: Pudenda, quæ partim in Penem in viris, aut Clitoridem in mulieribus distribuitur; partim in reliqua, &c.

Rami iliaci post has propagines extra Peritonem erumpunt, ac mutato nomine, crurales appellantur; è quibus diversi rami per crura distribuuntur ac eorumdem musculos, atque ad pedes usque descendent.

Expositis jam ramis Aortæ ad inferiores partes delatis, nunc exponendi sunt qui ad partes superiores descendunt. Aorta itaque paululum à corde progressa, prope summam sui arcus, seu inflexionis partem, insignem arteriam emitit, quæ dextra Subclavia appellatur: hæc in duos ramos dividitur, nempe in

in Axillarem dextram, quæ fertur ad brachium, & in Carotidem dextram. Paulò post Aorta, cum incipit deorsum flecti emitit Carotidem sinistrum, & statim post hanc, Subclaviam sinistram, quæ ubi claviculam concedit, mutato nomine Axillaris dicitur, ac in sinistrum brachium emitit ramos.

Ab utraque subclavia, antequam è thorace egreditur, oriuntur aliqui rami, ut intercostalis superior, arteria mammaria; tum Cervicalis, & alia. Postquam autem subclavia è thorace profilivit, & Axillaris appellatur, emitit humerariam superius; inferius verò thoracicas superiorem, & inferiorem; & Scapularem, quæ ita appellatur à musculis præfatas partes regentibus. Deinde eadem subclavia in brachium excurrit, ibique ramificatur: sub flexura enim cubiti in duos insignes ramos dividitur: quorum superior super Radium delatus, carpum adit, ubi pulsus communiter exploratur; & sub ligamento annulari diversos ramos emitit. Carotides tandem in suo discursu surculos emitunt in diversas faciei, & capitis partes, quæ omnia latius in Anatomicis Auctoribus possunt videri.

PROPOSITIO XXXI.

Venarum structura explicatur.

VEna est canalis oblongus teres ex una membrana conflatus, que omni sensu caret. Venis, cum per corporis cavitates trajiciuntur, altera membrana additur, diciturque communis, ut in simili diximus de arteriis, additurque ad majus robur, & munimentum; hanc autem deponunt, quoties in partium solidarum substantiam ingrediuntur, eo quod ea non egeant, cum ibi satis fulciantur. Duo sunt insignes venarum trunci, nempe Arteria venosa, quæ in pulmo-

monibus ramificata, sanguinis veluti rivilos colligens, unum efficit canalem, quo sanguinem in sinistrum ventriculum invehit. Alter vero truncus *Vena cava* appellatur, qui in diversas corporis partes ramificatur, & ex his exceptum sanguinem in dextrum cordis ventriculum deponit. Et de Arteria quidem venosa, nihil restat dicendum propter ramorum brevitatem, & inter se similitudinem, siveque ad alium truncum transseamus.

Vena cava licet una, & eadem sit; pars tamen illa qua corda est superior, *Ascendens* dicitur, qua vero ipso est inferior *descendens* appellatur. Relicta autem quaestione de origine venarum, & arteriarum, qua de solo nomine est, omninoque inutilis, ad propagines in quibus vena cava distribuitur, veniamus.

Vena itaque *cava* descendens antequam è Diaphragmate profiliat, sequentes ramos emittit. 1. *Phrenicos* duos utrinque unum, qui in diaphragmate dispersi, inde aliqui surculi ad Pericardium, & Mediastinum feruntur. 2. *Venam Pneumonicam* in pulmes. 3. *Coronariam* geminam ad cor. Infra diaphragma vena cava magno foramine, quo ejus latus aperitur, communicat cum Hepate, in quo ramificatur. Infra Hepatis ex eodem magno trunco duas emulgentes erumpunt utrinque una, quarum qualibet in renes ramificatur. Duæ insuper *venera adiposæ*, sinistra quidem à latere sinistro vena cavæ paulo infra emulgentem; dextra vero è media longitudine canalis emulgentis ejusdem lateris, quarum qualibet in adipem renis sui lateris in glandulas renales, ac diaphragma distribuitur. *Spermaticarum* etiam dextra emergit è parte anteriore vena cavæ infra emulgentem; sinistra vero ab emulgenti ejusdem lateris, ac utraque suos ramos spargit in

in testes tam virorum, quam mulierum, partesque vicinas. E parte posteriore vena cavæ emergunt venæ lumbares, sic dictæ, quod in musculos lumborum, tum & medullam spinalem spargantur.

Circa quartam lumborum vertebram, ossisque sacri principium, vena cava dividitur in duos insignes ramos, qui *Iliaci* appellantur, ac in ipso exordio valvulis muniuntur, que facilem præbent transitum sanguini ad venam cavam properanti; sed ejus à vena cava in ramos *iliacos* refluxū impediunt. Mox ab exordio ramorum iliacorum oritur vena, qua *Muscula Superior* appellatur: paulò post oritur *vena iliaca interior*; ac post hanc *Muscula media*, qua distribuitur in musculos Femoris, & clunium; deinde *Hypogastrica*, à qua venæ minores oriuntur.

Vena cava emittit venam *Azigon*, aut sine pari dicetam, quia in suo trunco nullam habet comitem arteriam: ramos hinc inde in intestitia costarum emittit. Post hæc vena cava sub claviculis scinditur in duos insignes ramos, qui à loco exortus *Subclavii* appellantur, è quibus vena mammaria communiter dimanant. Post sequitur vena *Mediastina*, qua in Mediastinum, Glandulam Thymum, & Pericardium propagatur. Sequitur vena cervicalis, qua musculis cervicis ramos elargitur: tum *Muscula inferior*, qua in musculos superioris thoracis, & inferioris colli ramos spargit: & muscula superior, qua in musculos partis posterioris colli distribuitur.

E subclaviis duo emergunt insignes rami *Jugulares* dicti, internus scilicet, & externus. Hic versus aurem ascendit, ibique scinditur in duos ramos, quorum alter spargitur in musculos oris, & ossis Hyoidis: alter ad parotides ramificatur. Prioris rami tum dextri, tum

tum sinistri in media fronte conjunguntur, ac efficiant venam, quam vocant *Preparatam*. Postquam *Subclavia* è thorace emergunt, vocantur *Axillares*, & earum qualibet duos ramos profert *Scapulares dictos*, quia in musculos scapule distribuuntur. Ex qualibet autem Axillari due venæ oriuntur, altera superior, altera inferior. Superior appellatur *Cephalica*, aut *Humeraria*: Inferior autem, quæ major est, *Basilica* appellatur. E vena *Basilica* due oriuntur Thoracice, quæ in Thorace distribuuntur. Cephalica dividitur in duos ramos, quorum alter protenditur ad carpum, ubi cum Basilica coalescit, ferturque ad manus exteriora, profertque venam *Salvatem* inter digitos annularem, & auricularem; alter ad Basilicam excurrens, medianam constituit. Præterea Basilica sub tendine musculi pectoralis in tres dividitur ramos, qui in brachium, manum, & digitos diversimode ramos distribuunt.

Præter duos illos venarum trunco, qui ut diximus, cæteris sunt majores, ita ut per eos tamquam per magnos fluvios, tota sanguinis moles deferatur, aliis est etiam, non solum magnitudine, verum & structura, & usu commendabilis, diciturque *Vena Porta*, hæc non solum per extrema opposita ramos in diversas partes profundit, sed etiam sanguinem, quem per alias ramos delatum accipit, per oppositos effundit. Venæ itaque Portæ rami alii, qui nempè sanguinem distribuant, per totam Hepatis substantiam, seu Parenchyma disperguntur, ita ut horum capillares sanguinem deponant. Quod quidem experientia comprobatur. Si enim Venæ Portæ truncus vinculo constringatur, cursu sanguinis prohibito, pars trunci, quæ inter ventriculum, & Hepat existit, depletur; reliqua vero copiose sanguine intumescit, & tenditur. Cæteri rami è tranco Ve-

næ Portæ extra Hepar effusi, in varias partes intra Abdomen positas diffunduntur. Postquam autem has emisit propagines, idem Portæ truncus in duos scinditur ramos insignes, quorum alter ad sinistrum latus vergit, & vocatur *Splenicus*, quia Spleni ramos largitur: alter dicitur *Mesentericus*, quia in eo ramos effundit. Ramus *Splenicus* in alios minores dividitur: Mesentericus autem antequam dividatur, profert venam *Epiploideam* dextram versus Epiploon, & fundum ventriculi; & intestinalem ad medium intestini duodenii, & principium jejunii: deinde alios emittit ramos, ac propagines, quæ per intestina, & Mesenterium expanduntur. Sed de his satis.

PROPOSITIO XXXII.

Motus Cordis, tum & Sanguinis explicatur.

QUæ hic occurunt dicenda sequentibus assertis expono.

Affero 1. Motum constrictioñis, seu *Systole* cordis, fieri per influxum spirituum à cerebro per nervos descendantium. Probatur, nam cor verus musculus est: ergo ejus constrictio eodem modo contingit, ac in cæteris musculis corporis: sed musculorum constrictio fit per influxum spirituum à cerebro descendantium: ergo similiter, eodemque modo fit in corde. Confirmatur, nam cordis constrictio fit per contractioñem, aut decurcationem fibrarum ipsum componentium: impossibile enim est cordis ventriculos contrahi ope fibrarum, & angustiores redi, quin dictæ fibræ fiant breviores; sicut nec possibile est fibras fieri breviores quin ventriculi contrahantur, & fiant angustiores, ut in musculis contingit: sed talis fibrarum contractio fit per influxum spirituum: ergo ita fit in corde.

dis constrictione. Hinc fit contractionem auricularum cordis, etiam fieri ope spirituum per nervos influentium.

Affero 2. Cor, & ejus auriculas rationem habere muscularorum antagonistarum. Ratio est 1. Quia muscoli antagonista, ver.gr. flexores, & extensores brachii, alternatim contrahuntur : sed cor, & ejus auricula, ut suprā vidimus, alternatim contrahuntur, & alternatim dilatantur ; ergo, &c. 2. Probatur ex fine cuius causa auriculae cordis sunt constructæ, ut scilicet sanguinem, quem ex magnis venarum truncis recipiunt, in ventriculos cordis detrudant, quamve ipsi ventriculi per arterias sunt per omnes corporis partes propulsuri : sed hujusmodi finis obtineri nequit, quin auricula, & ventriculi cordis alternatim constringantur, & alternatim dilatentur : ergo isti motus alternatim in illis partibus fiunt. Ita ut eo tempore quo cordis auriculae constringuntur, ventriculi ipsius dilatentur ; & vicissim, quo tempore auriculae dilatantur, constringantur ventriculi. Minor prob. Nam si simul fieret utrariumque cavitatum constrictio, inutilis, imò impossibilis esset propulsio sanguinis ex auriculis in ventriculos cordis ; deficeret enim spatium in ventriculis ad illum excipendum : oportet ergo hos dilatari, quando auriculae contrahuntur, ut sanguinem, quem sui contractione versus cor impellunt, in ventriculos inveheretur.

Affero 3. Ad ventriculorum, & auricularum cordis dilatationem non sufficere relaxationem fibrarum ex quibus componuntur. Ratio est, quia possunt laxari predictæ fibre sine dilatatione cavitatum cordis, & auricularum : ex eo enim quod fibre illæ relaxentur, solum fit cavitatum latera facile concidere, & partes su-

per-

pernas in infernas decumbere ; unde ex hoc præcise nulla, aut exigua cavitas in auriculis, ac ventriculis cordis subsequetur.

Affero 4. Cordis dilatatio, seu Diastole, non fit per rarefactionem sanguinis in illius ventriculis contenti. Probat. 1. Quia aſsignabile non est undenam cordi tanti caloris vls accedat, ut tantam talemque sanguinis in ventriculis effervescentiam efficiat ; tantæque actitatis, ut ferè in instanti tantum effectum producat: præcipue cum, ut postea patebit, calor sanguinis non à corde, sed potius calor cordis à sanguine proveniat. Probatur 2. Nam cor avulsum, reciſſisque quatuor illis vasis, qui ex ventriculis cordis oriuntur, adhuc systoles, & diaſtolas motu ſe ſe agitat, ut plurimis experimentis conſtat : sed tunc nulla fit sanguinis in ventriculis rarefactio : ergo, &c.

Affero 5. Dilatatio cordis non fit tantum à sanguine per auricularum contractionem in illius ventriculos impulſo, licet ad illam concurrat. Probatur prima pars, non ut suprā dixi, cor avulſum, absque ulla sanguinis in ipsum irruptione, non tantum ſyſtolem, ſed diaſtolen etiam exercet : ſed tunc nullus eſt sanguinis in ipsum appulſus : ergo ab hoc ſolo sanguinis appulſus non fit cordis dilatatio, ſed aliam infuper causam agnoscit : in experimento autem adlatto nemo dubitate potest : cor enim Viperæ avulſum per quinquaginta horas micare obſervatur : imò & fīſſis etiam ventriculis, per 15. aut 16. horas ſuos motus exercet. Quod verò prædictus sanguinis in ventriculos appulſus dilatationem promoveat, videtur certum : per contractionem enim auricularum, validè ſanguis in cordis ventriculos impellitur, valvulisque mitralibus dictæ impulſio ni obſequentiibus, locum in quem ingreditur, neceſſa-

sariò dilatare debet.

Affero 6. Cordis dilatationem fieri ab spiritibus influentibus in ejus fibras, ipsius dilatationi inservientes. Ratio est 1. Quia par ratio esse videtur, ut quemadmodum systole ab influxu spirituum sit; ita & diastole similiter fiat. 2. Quia sic potest reddi ratio, cur cor avulum systole, & diastole adhuc exerceat: potest enim hujusmodi motus à spiritibus, jam has, jam illas fibras moventibus causari; qui sane motus tamdiu durabunt, donec spiritus in illis meatibus inclusi, dissipentur. Nec credo motus istos, tam regulares esse in corde avulso, quām in corde in suo statu naturali constituto.

Affero 7. Dilatationem auricularum cordis fieri à sanguine, quem venæ in earum cavitatem propellunt. Cum enim sanguis ex minoribus venarum ramis continuò trudatur in majores, & tandem in magnos illos truncos, qui auriculis cordis sunt continui, eos necessariò distendit: ab his autem distensis vi elastica sanguis repellitur: atqui non retro in ramos minores, cum regressus hic prohibeat à valvulis: ergo necessariò in cavitatem auricularum intruditur, quo sit ut ipsæ dilatentur.

Affero 8. Quando cot in systole contrahitur, sanguis qui in dextro illius ventriculo continetur, propellitur in venam arteriosam; ille verò qui continetur in ventriculo sinistro, propellitur in Aortam. Ratio est, quia in contractione cordis cavitas ventriculorum redditur angustior: ergo sanguis, qui in illis continetur, aut saltim magna ejus pars, extruditur, & propellitur, vel in auriculas, & venas illis connexas, vel in arteriarum truncos, qui cordis ventriculis sunt uniti: sed sanguis non potest introduci ex ventriculis in aur-

cu-

culas, & venas; eo quod valvulae mitrales januas occludant: ergo propellitur in solas arterias, quarum valvulae, utpote foras aperientes, versus ramos, nullum præstant impedimentum.

Affero 9. Arteriarum dilatationem non fieri à virtute ipsis indita, sed à sanguine in earum cavitates à ventriculis cordis immisso. Prima assertionis pars ex ipsa structura arteriarum satis colligitur: si enim hac attentius inspiciatur, patebit, fibras secundum longitudinem canalium extensas, ad dilatationem efficiendam esse inutiles; nihil enim habent, quod musculosarum fibrarum naturam referat: multòque minus id possunt præstare fibre musculares prioribus circumjectæ, quæ contrahi nequeunt, quin arteriarum canalem angustiorem efficiant. Et confirmatur, nam experientia docet, arterias tunc solum dilatari, quando sanguis per constrictiōnem ventriculorum cordis, in earum canales impellitur, cuius si prohibeatur influxus, arteriarum dilatatio, & pulsatio omnino cessant: ex quo planè colligitur secunda nostræ assertionis pars, dilatationem nempè arteriarum à sanguine in eas immisso provenire: motum autem sanguinis circulatorium esse, in sequenti propositione itabiliatur.

PROPOSITIO XXXIII.

Explicatur, O statuitur sanguinis circulatio.

Sanguinem per corpus animale continuò circulationis motu decurrere, constans est jam cum Philosophorum, tum Medicorum sententia. Hac autem sanguinis pericyclois in eo consistit, quod nempè sanguis, qui è ventriculis cordis in magnos arteriarum truncos protrusus est, eosque distendit, eorumdem contractione, versus capillates arteriarum ramos præpellatur,

tur, atque hinc in venarum capillamenta transfundatur; tum ex his ad earumdem venarum magnos truncoſ deſeratur; ex quibus iterum in cordis auriculas, & inde in illius ventriculos reponatur: ex quibus rursus in arterias delatus, idem ſtadium decurrat. Hæc autem ſanguinis circuitio dupli ci via demonstratur, tum à priori, tum à posteriori.

Ut à priori demonſtretur ſupponenda ſunt, quæ in praecedentibus propositiōnibus diximus de cordis ſtrućura, ſanguiniſque per venas, & arterias delatione: cor enim duobus conſtat ventriculis dextro nempē, & ſinistro; quilibet autem ventricle duos maiores ductus, ſeu alveos habet, quibus ſcilicet ſanguis, vel in eum irrumpt, vel ex eo erumpit: dexter venam ca- vam, ſinister arteriam venofam, quibus influit: dexter venam arteriosam; & ſinister Aortam, ſeu magnam arteriam, quibus effluit. Subit itaque ſanguis in dextrum per Cavam; in ſinistrum per Venofam: & ex iisdem extruditur per Arteriosam, & per Aortam. Horum alveorum oſtia ita, ut diximus, valvulis membranofis ſunt munita, ut ejusdem ſanguinis ſemel ingressi regreſſum prohibeant. Sic oſtium Cava ita ſuis valvulis munitum eſt, ut haec ſanguini ſubeunti aditum præbeant, dum cor in diaſtole ſe ſe explicat; dum verò ſe ſe in ſystole contrahit, regreſſum ejusdem ſanguinis in Cavam impediāt. Contra verò oſtium arterioſe hiſ valvulis munitur, quæ liberum ſanguini è corde exi- tum præbeant in ſystole; prohibeant tamen regreſſum in diaſtole: ſimiliter Aorta ejusdem generis valvulis munita eſt, ac arteriosa; & ſimiliter venosa cum Ca- va: verū haec latius ſuprā expoſita ſunt. Quibus ſuppoſitis.

Sanguinis circuitio à priori demonſtratur 1. Cordis ſan-

fanguis perenni motu in Aortam, idque ſine regreſſu intruditur: ergo niſi ſanguis ex arteriis in venas tra- ducatur, arteriæ tandem plus æquo turgentibus diſ- rumperentur. Si autem ſanguis ex arteriis erumpat, ac in venas non introducatur, totus ſanguis breviſimo tempore extra vasa stagnaret, quod non eſt dicendum: ergo ex arteriis in venas tranſfunditur.

2. Sanguis, qui per arterias decurrit, vehiculum eſt caloris nativi: ſed ſanguis in venis contentus, hoc ca- lore maxime indiget: ergo ex arteriis in venas traduci debet, ut prædictum calorem ei communicet. Nec va- let dicere ad id ſufficere arteria propinquitatē; tu- nicae enim densitas caloris communicationi maximè obſtarer. Adde quod aliqua vene cum arteriis non ſunt conjunctæ.

3. Sanguis in venis ſuum motum habet, neque enim immobiſis eſſe deberet: ad quid enim eſſent venarum alvei: ergo ſanguinis motus in venis aliquod principium habet: hoc autem non eſt ſola vene, ut ex hiſ quæ de arteriis diximus, patet: ergo ab aliquo principio ipſis venis extrinſeco provenire debet: ſed non aliud aſſignari potest niſi cor: ergo cordis motus eſt cauſa motus ſanguinis in venis: ſed illum non aliter cauſare valet, quam impulſu imprefſo ſanguini intra arterias contento, qui ob continuitatē cum eo, qui in vene hoſpitar, etiam huic communicatur: ergo ſanguis ex arteriis derivatur in venas: & rursus hinc per medium cor regreditur in arterias.

4. Sanguinis purgatio, ac depuratio non aliter, quam percolatione fieri potest, ut in jecore, ſplene, re- nibus, &c. Sed percolatio fieri nequit ſine moſa, quo ex primis meatibus in alios traducatur: ergo ſanguis ex arteriis per ſubtileſ ductus in venas traduci debet;

ut nempè sic nutritio, vegetatio, cæteraque vita vegetantis, ac sentientis munia perpetrentur.

Probatur jam nostra conclusio à posteriori clarissimis experimentis. Primum petitur à Phlebotomia. Cum enim Chirurgus venam brachii scindere molitur, ligat brachium supra scissionem, ut sanguis scilicet per aperturam erumpat: ligamen itaque sanguinem fistit, ne versus humeros tendat. Hinc si infra scissionē æque ardè ligamentum apponatur, sanguis non fluit: imò si vel digito venam infra aperturam premas, sanguinem fistes: ergo à superiore trunco sanguis non fluit: fluit ergo ab inferiori segmento; sed in hoc vix modica sanguinis emissi portio continetur: ergo sanguis ex arteriis in venas motu cordis protruditur, in quo præfata circuitio consistit. Quod inde amplius confirmatur, quod scilicet si ligamentum paulò arctius, quam par sit, supra scissionem adhibeatur, sanguis non fluit, quia scilicet arteria pressa transitum sanguini intercludit.

2. Si Canī secetur omnino vena, nihil ferè sanguinis ex trunco fluit; cum tamen ex ramis totus sanguis effluat: ergo motus sanguinis in venis talis est, ut à ramis versus trunco; non vicissim à trunco versus ramos procedat: sed si à ramis cursum init, ipsis ramorum extremis aliundè sanguis accedere necessariò debet: ergo ipsis accedit ab arteriis: patet ergo sanguinis circulatio.

3. Si secta vena, cruroreque ubertim fluente, sociam arteriam liges, sanguinem confessim fistes: sed hoc non ita contingere, si sanguis aliundè quam ab arteriis, venis suppeditaretur: ergo ab arteriis in venas protruditur.

4. Si vena ligetur, statim versus ramos intumescit,
ver.

versus trunco autem subsidet. Secus verò evenit in arteriis: si enim ligentur, versus trunco, & trunci ortum, qui est in corde, tument; versus ramos verò flaccescunt: ergo evidens est sanguinis motum in venis procedere à ramis versus trunco; in arteriis verò à trunco versus ramos: datur ergo sanguinis circuitus.

5. Dum quis per multos dies manet jejonus, omni chylo consumpto, venæ adhuc turgent: ergo venis sanguis ex arteriis accedit; aliter enim tam multiplici systole, venæ omnino exhaustæ essent.

6. Tandem posito prædicto sanguinis circuitu, quam plurima phænomena facile explicantur, ut in decursu patebit.

7. Idem sanguinis circuitus demonstratur ex quantitate sanguinis, qui singulis pulsationibus è corde in Aortam ejicitur: licet enim id certò definiri non possit; ex diversis tamen experimentis valde verosimile est, singulis pulsationibus semiunciam in homine effundi, ut ait Joannes Valerus in tract. de motu chylī, ad Thomam Bartholinum: demus tamen singulis pulsationibus scrupulum tantum in Aortam effundi: cumque una hora cor plures edat pulsus quam 3000. certè singulis horis, plus quam decem sanguinis librae cor transibunt: cumque in corpore humano sanguinis mensura raro 24. libras excedat, fit ut duabus circiter horis, totus sanguis per cor transeat: cumque aliundè novus suppeditari non possit, necesse est, sanguinem, qui semel cor transit, iterum in cor fluere, & ex eo in arterias redire: ideoque necesse est, orbiculari motu defteri, à vena scilicet cava in cor, à corde in arterias, ex his in venas, à quibus iterum in cor, & arterias defteratur.

Aliqua contra præsumum sanguinis circuitum objiciuntur, quæ parvi sunt momenti. 1. Sanguis arteriosus à venoso distinguitur ergo ab arteriis in venas non defertur. Sed respondeo sanguinem arteriosum, quando in arteriis est, à venoso distingui: arteriosus enim venoso spirituosius est, ideoque plurimum flavescit: cum verò in venas traductus est, minorem admodum spirituum copiam habet; & consequenter diversum colorem induit. Sed instas. Spiritus, qui in arterioso sanguine hospitantur, ipsa sanguinis substantia subtiliores sunt: ergo simul cum sanguine in venarum ramos transirent: ductus enim sanguinem capientes, multò potius spiritus sanguine subtiliores excipient. Sed hoc ratiocinium debile esse, inde demonstratur, quod nempe intra vesicam aër, qui aqua subtilior est, contineri, atque ibidem comprimi possit; cum tamen aqua per vesicæ poros breviter omnino fluat. Ratio itaque cur per subtilem illos meatus, per quos ex arteriis in venarum ramos sanguis devehitur, spiritus qui in arterioso sanguine hospitabantur, transire nequeant, petenda est tum à meatuum figura, tum à figura spirituum, qui aëris instar ramosi sunt, & ob ramorum extensionem, ductus illos subire non possint: de quibus alibi sat.

Objicitur 2. Si sanguis ex arteriis in venas intruderetur, venæ essent arteriae: & crassa & quæ tunica instruēta esse deberent. Respondeo minime tam crassam tunicam requiri, cùm jam sanguis per tot arteriarum canaliculos traductus deferuerit: nec motum in venis habeat, quem in arteriis, sed multo minorem.

Objicitur 3. Hæ sanguinis circulatione posita, nihil sanguinis in alimentum cederet, sed totus in per-

petuos gyros perficiendos esset, quod est absurdum. Respondeo multum sanguinis ex arteriarum meatibus effundi, qui per venas non refluunt, ille nempe qui in substantiam viventis convertitur, de quo postea. Cetera quæ ad hunc circulationis motum spectant, in sequentibus aperio.

PROPOSITIO XXXIV.

Principium prædictæ circulationis explicatur.

ASsero principiū motus circuitus sanguinis esse cordis motus, nempe systole, & diastole. Ratio est, quia tota circuitio in eo consistit, quod sanguis ab arteriæ trunco versus ejusdem ramos fluat; & hinc per venæ ramos in ejusdem truncu versus cor eat: sed hoc præstant systole, & diastole cordis: systole enim extrudit sanguinem versus ramos; & diastoles eundem per venarum ramos adducit, ut ex dictis in præcedentibus propositionibus constat: ergo systole, & diastole sunt vera causa, & principium prædictæ circuitus.

PROPOSITIO XXXV.

Modus, quo sanguis ex arteriis in venas elutriatur, exponitur.

QUomodo sanguis ex venis in arterias deducatur, satis patet, cum id fieri per cordis ventriculos, sit satis perspicuum: qualiter verò ex arteriis deferatur in venas, est aliquantulo difficultius. Respondeo tamen tribus viis id fieri. 1. Per extremitates arteriarum, quæ extremitatibus venarum coherent: sunt enim plures venarum ramusculi, quorum extrema cum extremis arteriarum ramusculis conjuncti sunt, & ita commissi, ut sint quasi vascula per extremitates communicantia: unde calor nativus cum sanguine ab arte-

riis venis affunditur. 2. Sanguinis ex arteriis in venas transmissio fit per *Anastomoses*, seu per subtiles hiatus in ramusculis arteriarum, venarumque invicem copulatis; plures enim arteriarum rami cum venarum ramis ita conjunguntur, ut crebris hiatus se se communicent, per quos sanguis ex arteriis in venas transitum habeat, quibus insuper sanguis ab inani sero, & pituita, aliisque defecatur. 3. Multi arteriarum rami, neque primo, neque secundo modo ramis arteriarum committuntur; sed potius seorsim positis arteriales ramuli, sanguinem partibus corporis ubertim affundunt; hujus autem sanguinis pars in carnis nutrimentum cedit; pars alia ut inutilis secernitur; pars verò superflua, aut minus ad nutritionem præparata, à venis capillaribus exigitur, inò & per systoles impulsum intruditur. Ubi vides hanc viam non solum ad elutriendum sanguinem, & defecandum; verùm etiam, & potissimum ad corpus nueriendum esse institutam: de quo suo loco.

PROPOSITIO XXXVI.

Vasa, que humores à sanguiferis accipiunt, aut in ea deponunt, explicantur.

E Gimis jam satis de vasis sanguiferis, nunc de illis aliquid dicere oportet, qui humores à sanguine secretos accipiunt, eosque in quasdam corporis cavitates deducunt: tum & de his, qui liquorem aliundè acceptum, aut ab eisdem sanguiferis déductum, ad vas sanguinea reducunt.

1. Accipiunt à sanguine humores, quos continent, canales bilarii, & pancreatici; illi quidem bilem; isti verò succum pancreaticum, quos deponunt in principium intestini jejunii. Canales item salivales plures se-

LIBER III. CAPUT VI.

133

cretam à sanguine salivam deserunt; alii quidem in os, alii in cesophagum, alii in ventriculum, alii in intestina. Urina item per convenientia colatoria à sanguine secernitur, & per ureteres, & uretram foras excernitur. Sudor etiam, & transpirationis materia in glandulis subcutaneis à sanguine secernitur, & per proprios earum glandularum canales extra corporis habitum educitur.

Chylus postquam in ventriculo, & intestinis est probe subactus, & attenuatus, parte crassiore deposita, pars ejusdem purior percolatur in intestinis: & canales per quos deducitur vocantur *Vene lactea*, eo quod chylum, quem continent, tum colore, tum substantia, est valde laeti affinis. Venarum lactearum capillamenta in intestina, præsertim gracilia, feruntur. Hincque versus mesenterii centrum, ejusque glandulas tendunt: tum denique ducuntur in vesicam, seu cavitatem membranaceam, quam chyli receptaculum appellant, quia in ejus cavitatem confluit totus chylus, qui per venas lacteas ab intestinis desertur. Ex hoc receptaculo unus, aut plures canales emergunt, in unum coēentes, qui quia in thoraci cavitatem ingreditur *Thoracicus* appellatur, ac ferè semper in solam venam subclaviam sinistram inseritur, rarissimè in utramque: ejus orificio in prædictæ venæ cavitate, apposita est valvula, quæ delati humoris regressum prohibet. Ex his patet ductus lacteos eo fine conditos esse, ut chylum in vasa sanguinea deferant. Hi etiam canales lympham etiam deferunt: postquam enim totus chylus ex ventriculo, & intestinis est exhaustus, præfati canales lympham pleni cernuntur.

Licet autem venæ lacteæ lympham versus sanguinis conceptacula deferant, alii insuper sunt canales, seu va-

fa

sa lymphatica, quæ quemadmodum prima ex intestinis, ita hæc ex aliis corporis partibus lympham deferant. Sed de his satis.

~~~~~

## LIBER IV.

DE HUMORIBUS IN CORPORE ANIMALI  
CONTENTIS.

## DEFINITIONES.

1. **H**UMOR in latissima nominis acceptione idem est, ac liquidum quocumque, aut fluidum: respectivè verò ad corpora animalium, significat *corpus liquidum*, aliquam habens *consistentiam*. Humores alii sunt secundum naturam, ut sanguis laudabilis in sanis: alijs præter naturam, ut Pus, & Sanies in agrotantibus. Humores insuper alii sunt corporibus viventium ad usus quosdam necessarii, ut Sanguis, Chylus, Lympha, &c. Alii sunt mere exerementiij, ut Urina, Sudor, &c.

2. *Spiritus sunt corpora liquida subtilissima, que ob sumnam partium, ex quibus componuntur, subtilitatem, exilissimos partium poros facilè pervadunt.*

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*)

## CAPUT UNICUM.

*De humoribus in communi, & in particulari.*

## PROPOSITIO I.

*Quæ ad Humores in communi spectant, enucleantur.*

1. **H**UMORES vulgò dicuntur calidi, frigi, humidi, ac siccii, secundum excessum unius è dictis qualitatibus: aut etiam ab excessu duarum calidi, & humidi; calidi, & siccii, &c. denominantur. Hinc veteres Philosophi quadruplex humorum genus in corpore animali distinxerunt: nempe Bilem calidam, & sicciam: Pituitam frigidam, & humidam: Sanguinem calidum, & humidum: & Melancholiam frigidam, & sicciam.

2. Nullus humor est actu, & formaliter siccus in corpore animali. Probatur ex dictis in Physica generali: nam siccum est cujus partes aliae juxta alias quiescent, suisque terminis continentur: Humor verò est cujus partes aliae juxta alias moventur, seu quod suis terminis non continetur: sed moveri, & non moveri: contineri, & non contineri contradictione opponuntur: ergo implicat humorem esse actu, & formaliter siccum.

3. *Humores in corpore animali solum sunt potentialiter, seu causaliter siccii: quatenus scilicet facile possunt in corpus siccum coalescere: talis est illa succi nutritiæ pars, quæ in osseam substantiam induratur: & Pituita crassa, quæ in gypseam materiam concrescit:*

aut

aut etiam quatenus possunt ea corpora in quæ agunt exsiccare: sic Bilis, & Melancholia dicuntur siccata, quatenus corpora in quibus abundant, sicciora redundat: hocque secundo modo humores siccii appellantur.

4. In corpore animali nullus humor est absolutè frigidus, sed tantum respectivè; nullus formaliter frigidus, sed potentia, aut causalitate. Ratio primæ partis est, quia humorum preparatio, & separatio, ab effervescencia aliqua, seu fermentatione dependet, quæ esse non potest sine aliquo motu interno particularum, in quo calor consistit, ut diximus in Physic. gener. Possunt tamen ejusmodi humores, licet habeant actu aliquem caliditatis gradum, frigidi nuncupari, respectu aliorum humorum actu calidorum, aut quia eos refrigerant, seu motum intestinum ex parte sedant, aut quia impediunt ne ulterius calescant: sic Pituita est frigida respectu sanguinis. Hinc jam patet secunda pars assertionis, nempe non esse humores actu, & formaliter frigidos, sed tantum potestate, quatenus scilicet alios refrigerant, aut ne ulterius incalescant, impediunt. Sed hæc ex dictis loco citato satis constant.

5. In animalibus sanguineis, Massa sanguinaria ceteros omnes humores actu, vel potentia continet: in animalibus verò exanguibus id quod vices sanguinis gerit, humores actu, vel potentia continet. Prima propositionis pars probatur, quia in prædictis animalibus, nullus est humor, qui non effluat à massa sanguinis, vel ut extra corpus ejiciatur, quia noxium est, aut inutile, ut Urina, Sputa, Mucus, &c. vel ut intra convenientia conceptacula reponatur, ut saliva, bilis, &c. Idem proportione servata de animantibus

exanguibus est dicendum.

### PROPOSITIO II.

*Quæ ad Bilem pertinent exponuntur.*

B Ilis est humor ille, qui è Poro biliaro in cavitas tem intestinorum, in fine duodenī, & principio jejuni, ut plurimum effunditur. Dixi ut plurimum, quia in quibusdam animalibus, imò & aliquibus hominibus longià à ventriculo exoneratur. Quæ circa hunc humorem dicenda occurruunt, diversis numeris distinguam.

1. Bilis per se non est actu calida, sed potestate tantum, seu causaliter. Prima pars probatur, quia bilis extra positâ refrigeratur: ergo calorem habet à causis extrinsecis, quibus ablatis, illum amittit. Secunda verò pars patet, quia bilis cum acidis permista fervorem concipit: & uberiori sanguini affusa illum calidorem reddit.

2. Bilis humida licet sit; est tamen causaliter siccata. Patet experientia; illa enim corpora sunt sicciora, quæ plus hujus humoris participant; exsiccat autem quatenus sanguinis fervorem insigniter auget; ex quo sequitur humiditatum dissipatio, ac proinde corum, quæ in corpore concrescunt, exsiccationem.

3. Bilis componitur ex multo sale lixiviali, tum fixi, tum volatili: tum ex multo oleo, aut sulphure, ex modico spiritu, aliquantulo aqua, & particulatum terrestrium. Patet hoc ex arte spagyrica; facta enim analysi, in prædictas partes resolvitur. Hinc humor iste amarus est ob salem lixivium cum sulphure adusto conjunctum: tum ob salem alkali effervescentiam concipit, quando acidis permiscetur. Bilis autem aliquando sit acrior, aliquando mitior ob diversam

sam predictarum materierum combinationem : hinc aliquando fit flava ; aliquando viridis ; quandoque Porracea , &c.

4. *Bilis generatur in Hepate* : sive id fiat secretionē partium supradictarum à massa sanguinis ; seu accedente etiam alteratione in acinis glandulosis Hepatis , in quibus percolatur. Constat hoc ex structura Hepatis , & vasorum predictum humorem ad intestina deferentium. Gignitur autem bilis ex sanguine ; non quidem à toto , sed à partibus ipsius acrioribus , salsioribus , & pinguibus , per conveniens colatorium separatis , & in ipso colatorio convenienter alteratis. Bilis autem ab Hepate , & Folliculo felleo in intestina effunditur , hicque simpliciter bilis appellatur. Per variam autem hujus alterationem , vel ejusdem humoris cum aliis permissionem , varia bilis genera progignuntur , quæ sunt sequentia. *Bilis Vitellina* , *Porracea* , *Aeruginea* , *Cerulea* , & *Bilis atra*.

5. *Bilis vitellina* sic dicitur , quia ovi vitellum refert , ejusque crassitatem : fit autem crassior duplice ratione ; vel absumptione humiditatis ope intensioris caloris , qua sublata , longè majorem acrimoniam acquirit : aut etiam crassior evadit ob permissionem cum crassa , & viscida pituita ; tuncque remissionem habet acrimoniam , & dilutionem colore. *Bilis porracea* ita dicitur à colore , quem induit , simili succi è foliis Porrorum extracti , quem recipit quoties cum acido validiori permiscetur. Ad hujus humoris generationem multum conferunt alimenta , præsertim olera coetu difficultia , ut Brassicæ ; aut acria ut Cepæ , Nasturtium , &c. Ceteræ bilis species oriuntur à ductu , quo bilis ad cavitatem intestinorum defertur : inde enim eruunt colores æruginis , aut cæruleum , aut nigrum ,

jux-

juxta variam scilicet succorum acidorum , quibus permiscetur indolem , à quibus quidem non temperatur , sed ad majorem acrimoniam evehit ; ut patet ex mixtione bilis cum acido exaltato , ex qua bilis atra emergit , cuius vis corrosiva est intensissima.

## PROPOSITIO III.

*Quæ ad succum Pancreaticum pertinent expo-*  
*nuntur.*

**S**uccus Pancreaticus est humor quidam instar aquæ limpidus , ac subacidus , qui è Pancreate per ductum Virsungi continuò in intestina defertur. Hinc multo conflat humor aqueo , mediocriter spiritu acido , & paucis spiritibus , quod per analysim , & per effectus predicti succi deprehenditur.

1. *Succus Pancreaticus à sanguine secernitur ope glandularum Pancreatis* : nulla enim alia vasa ad Pancreas deferuntur , nisi Arteria , ac Nervi : à nervis autem quibus est infensus , derivari nequit : ergo à sanguine.

2. *Ex mixtione succi pancreatici , & bilis in principio jejuni oritur quædam effervescentia*. Hoc patet ex utriusque humoris natura. Bilis enim multum continet salis alkali acris : in Pancreatico autem succo acidum reperitur , qui non sine certamine , & effervescentia commiscentur. Hæc autem bilis , & succi pancreatici effervescentia communicatur chylo è ventriculo in intestina descendenti : chylos enim his humoribus tali effervescentia agitatis permiscetur ; unde necessario fit chylum majorem concipere fermentationis motum. Hinc aperte colligitur usum bilis , & succi pancreatici eum esse , ut scilicet cum chylo permisceatur , eum ulterius fermentent , dissolvant , attenuent , crassiora ex-

cre-

crementa præcipitent, & quod laudabile est disponant, ut per intestinorum tunicam melius percolari, & in lacteas venas traduci possit. Ob prædictū bilis, succique pancreatici conflūctum, & effervescentiam in principio intestini jejunī initam, efficitur, ut hoc intestinum semper serè vacuum existat; illa enim effervescentia, & alkalicorum vi admodum acri, stimulatur ad expulsioneū contractionis citissimè efficiendam.

## PROPOSITIO IV.

*Quæ ad salivam, aliosque humores in os descendentes pertinent, declarantur.*

**S**Aliva est limpidus liquor ad os deducens, partim ex Parotidibus per canales salivales; partim ex glandulis salivalibus, que juxta tendinem musculi Digastrici existunt, & eam per canales, qui sub lingua prope dentes incisiores biant, deponuntur.

1. Saliva multa constat aqua, acido mediocri, ac spiritu: panco alkali, pauculo oleo, & terra paucissima. Ita colligitur ex effectibus, qui à saliva producuntur. Nam 1. Ejus fluiditas, aqua abundare manifestat. Acidum colligitur mortificatione alkalium per affusionem salivæ: Mercurius enim saliva mortificatur. Præterea quia saliva promovet mistorum fermentationem, ut acida. Aliiquid tandem spiritus, & olei in saliva reperiiri, convincit facilis illius cum oleosis, ac spirituosis commixtio.

2. Saliva secundum se est potestate frigida; at respectivè ad ea, quæ potest fermentare, est causaliter calida. Prima pars patet, nam saliva extra sua vasa sibi relicta refrigeratur, eodem modo quo aqua. Secunda pars deducitur ex notione fermentationis, quæ non sit sine motu intestino particularum corporis fer-

men-

mentescens, in quo, ut alibi diximus, consistit calor. Hinc cibos in ore disponit ad faciliorem digestio- nem.

3. *Hinc usus salivæ est, ut alimenta dissolvat;* ideoque in os defluit, ut alimentis permisceatur dum masticantur, sicque ipsorum dissolutionem promoveat. Ab affusione autem salivæ ciborum dissolutionem dependere, inde patet, quod alimenta catenus sensum saporis excitent, quatenus saliva dissolvuntur. Urgente itaque fame, sola ciborum recordatio salivæ fluxum promovet; inducit enim tunc in cerebro determinatio ad eos canales laxandos, quibus saliva in os descendit, ideoque ubertim fluere sèpè experimur. Allii præterea sunt humores, qui per varia orificia in os stillant, cujusmodi sunt Pituita, Serum, aliisque similes, qui eisdem ferè usibus inserviunt, ac saliva, unde eidem sunt analogi; nec id prohibet alios etiam usus, sicut secundarios habere.

4. Pituita humida est actu, & potestate; frigida item saltim potentia, ut ex ejus effectibus satis colligitur. Generatur autem Pituita è chylo crudiore, tum in vasis sanguinariis, seu vitio alimenti, sive ejusdem copia, ut in voracibus, seu vitio fermenti, ut in se-nibus: tum etiam è crudore sanguine generari videatur, tum constrictis frigore poris catarrhi excitantur, aut gravedines; tunc enim pars sanguinis crudior per salivales ductus percolatur. Pituita varias in corpore humano fortitudi differentias, ab excessu qualitatum, quæ ipsi præternaturaliter adveniunt. Hinc alia dicitur tenuis, alia crassa, alia vitrea, quæ insignem habet crassitatem ob partes terreas, quibus abundat, acido permixtas: hæc autem tantum in intestinis reperitur. Alia dicitur Gypsea, quod nempe in calculos

con-

concrescat, ut in renibus. A sapore autem alia dicitur dulcis, alia acida, alia salsa, alia insipida, &c.

## PROPOSITIO V.

*Quae ad humorem melancholicum spectant expli-*  
*cantur.*

**H**Umor melancholicus frigidus censetur potentia; quatenus nep̄e sanguini uberioris permixtus, alkali bilis mortificat, ac sanguinis consistentia auget, ac pro inde ejusdem calorem, qui in motu intestino consistebat, minuit: cumque sanguinem figat, eum reddit consistentem, ideoque recte praedictus humor dicitur siccus. Melancholia dividitur in naturalem, & p̄ternaturalē: naturalem appellant unum ex quatuor humoribus, ē quibus antiqui massam sanguinariam constare putabat, eam enim existimabant esse partem sanguinis crassiorem, ac veluti illius fecem.

Melancholię autem p̄ternaturalis diversæ enumerauntur species: prima est, quę à materia pituitosa suscitatur; hæcque est omnium mitissima. Secunda est, quę ex sanguine accepto pro tota massa, in qua omnes humores continentur: ex hac enim cum multum habeat acidi potentialis, plurimum etiam acidum generari potest. Tertia est, quę ex bile, seu potius ex ejus materia remota resultat: hancque melancholię speciem longè saviorem esse ceteris putant, & graviora excitare symptomata. Melancholicus autem succus exaltatus variis effectibus se prodit: vomitu enim dentibus stuporem inducit; cum saliva in os depositus eos aliquando erodit: in divertis corporis partibus dolores excitat, easque exulcerat: ut patet in scorbutis, alia que pessima symptomata inducit.

PRO-

## PROPOSITIO VI.

*Humor glandularum renalium, Lympba, Sero, &*  
*Spiritus explicantur.*

**H**Umor glandularum renalium est liquor crassus, & subniger, qui ē glandulis illis defertur in venam cavam, & sanguini permiscetur. Lympba est humor ille limpidus, qui in vasis lymphaticis continetur, & partim in ductus Chyliferos, partim in venas exoneratur. Serum est humor tenuis, & aquosus, qui facilè reliquis humoribus permiscetur: unde vix sine aliorum aliqua miscella reperitur.

1. *Humor glandularum renalium ē sanguine educitur.* Ratio est quia duo sunt tantum vasorum genera aliquid in illas glandulas deferentia, Nervi scilicet, & Arteriæ: ergo succus, qui in illis glandulis percolatur, vel est à sanguine, vel à spiritibus animalibus per nervos delatis: sed non ab his, quia cum subtilissimi sint, nequeunt esse materia ad generationem tam crassi, ac subnigri humoris: ergo humor ille deducitur à sanguine, in quo omnis generis particulae continentur. Sed dices; ad quid ergo nervi ad glandulas renales ducuntur. Respondeo ipsis ideo esse concessos, quemadmodum & reliquis, ut temperent humoris, quem continent influxum, & effluxum, quod quidem medio motu, ac sensationibus à nervis prædictis perpetratur.

2. *Humor prædictus in glandulis alteratur, & aliqualem accipit vim fermentativam.* Probatur, nam aliter humor ille frustra in glandulas traducetur, ac mox sanguini redderetur, nisi in eisdem aliquam novam alterationem acciperet: haurire autem inde vim aliquam fermentativam, patet ex necessitate

no-

novę fermentationis sanguini inferendę: cum enim sanguis è partibus inferioribus redux spiritibus partim sit destitutus, & succi nutritii parte relicta, partes crudiores regerat versus cor, eget principio aliquo fermentativo, cuius ope, facta nova fermentatione, praedicta reparentur.

3. *Lymphæ materia è sanguine derivatur, & in glandulis in quibus percolatur, vim quandam accipit fermentativam.* Prima pars eodem modo probatur, quo simile quid de humore glandularum renalium. Secunda verò pars probatur quia aliter frustra esset tam mira glandularum structura. Tum quia Lymphæ vis fermentativa necessaria est, ut eam sanguini venoso communicet, qui cum sit spiritibus ex parte spoliatus, minime coctum reducat succum nutritium, fermento aliquo indiget, cuius ope & succus nutritius melius coquatur, novique spiritus accedant, ad quæ omnia fermentatio est valde necessaria.

4. *Serum in animalium corporibus, præsertim sanguinis, est necessarium.* 1. Ad faciliorem alimentorum dissolutionem, & coctionem. 2. Ut fermenta deducantur in actum. 3. Ad succi nutritii delationem. 4. Ad separationem excrementorum, eorumque excretionem. Primum præstat sua humiditate, quæ valde ad dissolutionem conducit; & ut salina corpuscula, eo humore soluta, faciliter actu coctionem efficiant, quod est secundum. Tertium efficit quatenus succum nutritium, alioquin viscidum, faciliter per subtile ductus, illo liquore tenui dilutus ad partes nutrientias deferatur. Quartum autem probatur, quia cum excrementa, quæ per subtilissimos ductus debent percolari, multis particularis alkalicis constent, tum & acidis, ac salifis, quæ in liquore aquo dissolvuntur, idcirco præfato

to humore misceri oportet, ut & cum ipsis sulphurex particulæ prædictis societate facile excernantur.

5. *Spiritus è sanguinis massa per continuas fermentationes excitantur, omnibus humoribus permiscentur, & in cerebro à sanguine separantur, ut in nervos influant.* Prima propositionis pars probatur: nam ex his omnibus, quæ in cibum animalium cedunt, convenienti fermentatione, ingens spirituum copia elicetur, sub specie scilicet liquoris fluidissimi, cuius partes ita exiles sunt, ut omnia fere corpora pervadant, lenique calore dissipentur, ita ut vix in vasis possint coerceri: ergo idem intra animalium corpora contingit circa sanguinem continua effervescentia agitatum, & è chylo genitum per varias ejusdem chyli fermentations in ventriculo, intestinis, ac demum in vasis sanguineis factas. Secunda verò pars, quod nempe in nervis præcipue hospitentur, ubi postquam in cerebro sunt à sanguine secreti immittuntur, patet ex necessitate eorum ad motus animalis obeundos, ut alibi diximus.

Tres communiter assignantur spirituum species, nempe *Naturales*, *Vitales*, & *Animales*, qui non substantia, sed muneribus, quibus inserviunt, distinguuntur. *Spiritus naturales* dicuntur, qui functionibus facultatis vegetativæ inserviunt, videlicet variis concoctionibus, & preparationibus succi nutritii, aliorumque corpori utilium. *Spiritus vitales* sunt qui sanguificationi inserviunt; *spiritus verò Animales* sunt qui functionibus sensus, & motus sunt destinati.



## PROPOSITIO VII.

*Quæ ad Urinam, Transpirationem, & Sudorem pertinent, exponuntur.*

**U**RINA est humor ille, qui è Renibus in vesicam urinariam defluit, & per uretram excernitur. Circa quam sequentia sunt adnotanda.

1. *Urina in renibus separatur à sanguine ad eos deflato per Arterias emulgentes.* Ratio est quia non ab alio potest derivari, nisi ab his humoribus, qui ad renes deferuntur: sed nullus aliud humor ad renes defertur, nisi sanguis, ac spiritus animales: ergo ab horum alterutro derivatur: sed non à spiritibus animalibus, qui tam diversè sunt naturæ, nec sufficere possunt ad tantam urinæ quantitatem: ergo derivatur à sanguine.

2. *Urina præter humorem aquosum, multum salis continet tum fixi, tum volatilis, parum sulphuris, & acidi, terreque pauxillum.* Patet hoc ex ipsius analysi, qua constat prædictas substantias in urina contineri. Quoniam autem urina è sanguinis massa defluit, idcirco ex ejus colore, consistentia, & contentis non levis fertur conjectura de sanguinis constitutione, ac de variis affectionibus partium illarum, per quas transit.

In Urina itaque potissimum consideranda veniunt *Consistentia, Contenta, Color, & Odor.* Ratione consistentia dicitur urina tenuis, crassa, vel mediocris consistentia. Tenuis perspicuitate communiter dignoscitur, tuncque plurimo humore aquo constat. Hæc urinæ tenuitas accidit 1. Ob potum nimum brevi tempore haustum. 2. Fit tenuis quando ea, quæ urinæ aliquam crassitatem conferebant, aliqua

in parte deponuntur, ideoque redditur clara. Ob hanc rationem si urina, quæ in principio morbi erat moderata consistentia, & aliqua flavedine tingebatur, tenuis fiat, eoque colore privetur, non levem delirii conjecturam inducit, quam certiore reddit quævis capitum affectio: indicatur enim tunc bilis in cerebro decubitus. 3. Quando in morbis adeat cruditas, cum scilicet sanguis nihil præcipitat, nec ulla fit humoris morbus mortificatio, tunc inquam, parum à sanguine decoquitur, ut urinæ permisceatur, ideoque tenuis efficitur. 4. Cum Transpiratio deficit, ut plurimum evadit urina tenuior, quia aquosus humor, qui transpiratione non excernitur, ad vias urinarias digreditur.

Urinæ crassities inducitur à causis oppositis earum, quæ tenuitatem inferunt; quæ si medium tenuerint, moderatam consistentiam urinæ tribuunt.

Contenta autem urinæ ea dicuntur, quæ ipsi tantum innatant, aut ita ipsi permiscuntur, ut ab ea possint facile separari. Dividuntur autem contenta in *essentialia, & accidentalia.* *Essentialia* dicuntur, quæ plerumque in urinis reperiuntur, tum sanorum, tum egrotantium. *Accidentalia* verò, quæ raro in illis reperiuntur. Primum contentum communiter *Sedimentum* appellatur; estque corpus quoddam stupeum urinæ innatans: quod quando vasis fundum, in quo urina continetur, petit *hypothasis* dicitur; *Nebula*, quando summum occupat; *Suspensum* autem quando medium inter prædicta extrema locum tenet. *Contentum* in urina tunc maximè abundat, quando coctiones optimè peraguntur: ideoque illius copia optima judicatur, dummodo prædictum contentum album sit, æquale, leve, & collectum, easque qualitates habeat,

quæ in sanis reperiuntur.

Colores in urinis, potissimum observabiles, sunt albus, pallidus, flammeus, seu fulvus, flavus, ruber, niger, qui colores suam habent, quoad majorem, minorem intensionem, latitudinem: ad nigrum etiam reducuntur lividus, & viridis. Albus color urinæ inducitur, cum ex solo humore aquo constat. Color pallidus non à solo calore provenit, sed etiam ab aliqua bili, aut materia bilioꝝ permixtione, quæ fit ob rectam sanguinis fermentationem, & sufficientem seri in sanguine moram. Hac de causa, cum urina, quæ tenuis erat, & alba, pallescere incipit, indicium est incipientis coctionis, salibus nempe, qui ob vehementiam fermentationis dissolvebantur, se se contemperantibus. Color flammeus à majori oritur bili copia; quæ adhuc major est cum color est flavus; adhuc major, cum ruber cercitur in urinis: color tandem niger ab atra bili procedit, quæ ex mixtione succi acidi acrioris cum bile fervidoꝝ, & crassiore generatur: & prout illorum acrimonia major fuerit, aut minor, color est aut intense niger, aut lividus, aut ad viorem tendens.

*Transpiratio est balitum per cutis poros insensibiliter facta excretio: quod autem hoc modo excernitur, Transpirabile appellatur. In animalibus duplice via fit transpiratio, scilicet per poros insensiles partium solidarum; & per ductus ad cutem desinentes, ac separationem tenuioris excrementi destinatos, aut etiam aliquando crassioris à massa sanguinis. Hujus transpirationis necessitatem varia testantur incommoda, quæ cutis constipationem, prohibitamque transpirationem sequuntur: recrementa enim illa tenuia, quæ à sanguine seceruntur, ni effluvio illo insensibili per tran-*

transpirationem ejicerentur, sanguinis massam corrumpent, ac dissolvent.

Quod per transpirationem insensibilem excernitur per habitum corporis, multo plus est, quam quod per sensibilia excrementa: quod facile cognosci potest ex pondere assumpti cibi, ac potus, & pondere excrementorum sensibilem. Experimento autem compertum est in plerisque unica die naturali per insensibilem transpirationem tantum evacuari, quantum quindecim diebus per alvum. Hinc si corporis pondus plus solito augeri incipiat, absque majori cibi, vel potus additione, vel excrementorum retentione, certe facta est *Adiaphrenia*, seu pororum constipatio. Transpiratio autem, quæ à corpore salubriter austert multum, & inutile pondus, non est ea, quæ cum sudore excernitur; sed halitus ille invisibilis, qualis hyeme uno die naturali ad 50. uncias, & ultra exhalare potest. Hinc exploso somno, etiam ante sensibilium excrementorum excretionem, quisque sentit se leviores: ratio est quia re vera tribus circiter libris est levior effetus: spatium enim unius noctis, sexdecim circiter uncia lotii excernuntur: quatuor cunctorum excrementorum per alvum: quadraginta vero & ultra per insensibilem transpirationem, ut plurimum, evacuari solent.

*Sudor est humor ille, qui per poros cutis sensibiliter ad instar aquæ excernitur. Ejus materia eadem est, quæ transpirationis, solaque quantitate differunt: sudor enim sensibus percipitur; secus verò transpiratio. Ad sudorem varia cause concurrunt: ejus praecipua causa materialis est humiditas aquæ in sanguine abundans, quæ est reliquorum, quæ per sudores excernuntur, vehiculum. Causa ejusdem efficiens est calor, quo humor aqueus agitatus faciliter à sanguine se-*

paratur, faciliterque à glandulis, ductisque sudoris excepitur. Sudorem etiam causant varia fermenta, quæ massam sanguinis validius agitando, aquam humiditatem ab eo separant: idem per accidens præstant acidam, quæ sanguinem figendo, humorem aqueum excludunt. Sudor etiam sapè provenit à laxitate pororum, & canalium, quæ tanta aliquando fit, ut ea quæ in sanguine reperiuntur frigida per prefatas vias erumpant, ut contingit in Syncope, in qua sudor frigidus, & sapè viscidus promanat. Laxantur insuper prædicti ductus copiosiori humoris affluxu, cum scilicet humor aqueus vi medicamenti diaphoretici à sanguinis massa secesserit. Similiter etiam sudores promovent exercitia ob eandem rationem.

## PROPOSITIO VIII.

*Chylus, Lac, succus nutritius, aliique similes explicantur.*

**C**hylus est lacteus ille tremor, aut liquor, qui in venis lacteis, aliquot post pastum horis reperitur. Hicque est Chylus defecatus, multiplici fermentatione preparatus, ac exquisita filtratione depuratus, circa quem sequentia sunt adnotanda.

1. *Chylus continet multum humoris aquæ, Alkali volatilis non paucum, aliquantum olei tenuioris, succi acidi, & spirituum in quadam mediocritate.* Aquei liquoris in chylo abundantia patet ex multa humiditate, quæ cum alimentis permiscetur, tum & ex potuientis, quæ multam humiditatem suppeditant. Reliquas autem partes supradictas in chylo contineri, facile colligitur ex materia ex qua chylus generatur. Si enim alimenta, quibus animalia vescuntur, dissolvantur, ingentem alkali volatilis copiam, spiritus, & olei quan-

## LIBER IV. CAPUT UNICUM.

quantitatem fundunt: quemadmodum itaque hac omnia ex alimentis, fermentatione per artem facta, extrahuntur, eadē similiter extrahi debent fermentatione facta in ventriculo, ubi fermenta magis idonea concurrunt, quam ea quæ per artem comparantur.

2. *Albus Chyli color potissimum dependet a b alKali volatili, oleo tenui, ac spiritu acido in liquore acido solutis, ac permixtis.* Probatur variis experimentis; omnes enim fere liquores alkali volatilis, & sulphure, seu partibus oleofis imbuti, affuso acido lactescunt: ergo cum alimenta in ventriculo soluta, fundant partes alkalicas, sulphureasque volatiles: & ex variis locis acidum confluat, necesse fit liquorem ex alimentorum solutione emergentem, postquam expurgatus est, ac filtratus, lactescere.

3. *Totus chylus percolatione traducitur in venas lacteas; indeque in massam sanguinis transfertur.* Est contra Veteres, qui existimabant, chylum ex ventriculo, & intestinis immediate deponi in venas mesentariae, indeque cum sanguine ad Hepar deveni, ut ibi in sanguinem, aliosque humores converteretur. Totum autem chylum per venas lacteas in vasa sanguine deferri asserunt Neoterici. Demonstraturque à priori, quia vasa lactea, seu chylifera confertissimis valvulis semilunaribus sunt referata, ita dispositis, ut liberum transitum præbeant chylo ab intestinis versus receptaculum, indeque versus venas sanguineas sursum per ductum thoracicum, & deorsum versus venas emulgentes per ductus, non aliter quod sciam, notos, quam per chyli fluxum. Idem etiam à posteriori demonstratur per fluxum chyli, & ligaturas, quibus si constringantur vasa lactea, intumescunt inter ligaturam, &

intestina, à stagnante scilicet chylo, cuius cursum prohibent ligaturæ.

4. Lac nihil aliud est, quam chylus in mammarum glandulis à sanguine secretus, in quibus ulteriorem subiit perfectionem. Probatur, quia Lactis qualitates eadem sere sunt cum qualitatibus chyli: solum enim in lacte major est crassities, quam in chylo. A sanguinis autem massa separari, evincitur ex eo, quod chylus facile sanguini permisceatur, ac facile possit cum ipso sanguine ad mammarum glandulas deferri, & in his percolari, ac perfici: non enim esset, cur hujusmodi glandulæ conditæ sint, nisi ad prædictam chyli à sanguine secretionem, ac percolationem efficiendam.

5. Succus, qui ab utero versus fetum ad ipsum nutritum transfunditur, lacti valde affinis est; sed multò magis elaboratus, ac succo nutritio magis affinis. Succus autem nutritius in animalibus sanguineis, est pars quædam sanguinis, quæ alba est, viscida, ac facile conglomerabilis: hæc enim pars materia sanguinea maximè idonea est ad partes solidas autriendas, sitque eorum proximum alimentum, quod succum nutritium appellamus: & ratio est quia prædictis dotibus instruta, apta est ut in aliti substantiam convertatur; est enim illi maximè similis, suaque visciditate, partibus corporis adhætere facile potest, & coagulabilitate firmari, tandemque modica alteratione in similem omnino substantiam mutari.


Quæres, utrum succus nutritius contineat quatuor illos vulgares humores, Bilem, Melancholiam, Pituitam, & Sanguinem. Respondeo, eos continere potentia, quatenus continent materiam ex qua illi humores possunt generari, ut re vera generantur validioribus

sanguinis fermentationibus, quibus diversi sales, qui in prædictis humoribus dominantur, ab invicem separantur, ac in actum deducuntur. Hinc colligitur ratio cur mediocri inedia bilis potius augeatur, quam minuatur, quia nempè succus qui in partium nutritionem cederet, vi caloris acrioris, ac deficiente alkalium frâno, ob defectum novi chyli, dissolvitur, ac pars illius salina exaltator, & cum sulphurea bilem constituit.

Quæri etiam potest, in quo Pituita à succo nutritio differat: similes enim sunt in visciditate, & ad concretionem aptitudine. Assero Pituitam esse veluti recrementum, & caput mortuum sanguinis: in pituita enim solus humor aqueus abundat cum pauca terra; cæteris enim elementis activis ferè est destinata: secus verò omnino se habet succus nutritius, ut ex ejus analysi est manifestum.

Tandem materia spermatica, ex qua animalium corpora generantur, debet referri ad succum nutritium, defecatiorem tamen, & multò majori spirituum copia turgidum: & ratio est, quia ex iisdem nutruntur, quibus constant: ex his autem constant ex quibus primò fuere genita: ergo ex simili substantia nutruntur, ex qua primò fuere genita: ergo chylus semini similis est, hocque ad illud jure refertur. Sed de his postea.

Ex dictis patet hunc esse concoctionis progressum. Alimenta mutantur in chylum; chylus in substantiam lacteam; hæc in succum nutritium: succus autem nutritius ulteriori coctione, ac spirituum permixtione in materiam tandem seminalem. Hinc rectè Aristot.lib.4. de gener.animal.cap.7. dixit, lactis materiam eandem esse quam excrementi, ex quo quodlibet animal generatur: tum & nutritionem, ac generationem ex eadem



dem fieri materia. Materiam autem seminalem *excrementum* appellat, latiore nominis acceptione ab excernendo desumpta.

## PROPOSITIO IX.

*Sanguis, ejusque constitutio enucleatur.*

**S**anguis in generali acceptione est *Liquor ille ruber, qui in vasis sanguinis continetur, videlicet Corde, Arteriis, & Venis.* Sanguis in specie dictus, seu prout quartum humorem constituere dicitur, est illa massa sanguinaria pars, qua rubra est, & à qua tota massa ex variis humoribus composita suum mutatur ruborem.

1. Sanguis in prima nominis acceptione continet omnes humores, de quibus haec tenus pertractavimus. Hi autem omnes ita in massa sanguinea miscentur, ac confunduntur, ut sub sanguinis imagine lateant: ita enim se suis actionibus afficiunt, se sequere contemperant, ut in sanguine bene constituto, nullus sensibiliter deprehendi possit: si enim aliquando bilis ita reliquis dominetur, ut sua se prodat acrimonia, ac ita reliquis dominetur, ut ejus in sanguine praesentia sensibus percipiatur, sanguinis labem arguit: sanguinis enim summa perfectio in summa contemperatione consistit.

Ne tamen existimes omnes humores æqualiter in sanguine permisceri, aut ab aliis contemperari: chylus enim ex. gr. recenter sanguinem ingressus, crassiior tantum modo reliquis humoribus confunditur, donec multiplici circulatione, & per exilissima vasa trajectione in subtilissimas particulas fuerit divisus, & sanguinis fermentatione subiectus. Hinc aperte fit, sanguinis constitutionem in horas, & minuta mutari, propter multi-

pli-

plicem diversorum humorum confluxum modò majorē, modò minorem, modò excitatum, modò suppressum.

2. Sanguis in specie, seu rubra illa massa sanguinariæ pars, quæ quartum humorem constituere dicitur, constat potissimum alkali volatili, oleo tenui, paucō acido, diurna fermentatione solutis, exaltatis, ac probè inter se commixtis. Hæc conclusio probatur 1. Experimentis: varii enim succi, in quibus potissimum abundant alkali, & sulphur; & consequenter aliquod acidum, sola digestione, aut coctione colorem rubrum contrahunt. Probatur 2. ex progressu, quo chylus per varias coctiones, & fermentationes mutatur in sanguinem specie talem: nam quamdiu alkali, acidum, & sulphur non sunt perfectè soluta, sed reliquis adhuc materiebus implicantur, ex mutua alkali, & acidi lucta, oritur quædam veluti spuma; & consequenter color albus, juxta ea, quæ in tract. de Coloribus diximus: hæc autem spuma conservatur donec illa elementa fuerint omnino dissoluta, aut saltim maximam partem à consortio partium terrearum libera. Postquam vero per continuas fermentations, liquoris concussiones, ac per colatoria filtrationes, omnis visciditas est ablata, aut admodum immunita, pereunte spuma, simul color albus evanescit: tuncque alkalia volatilia, tum partes sulphureæ, magis, magisque solvuntur, & à partibus terreis expediuntur, sibique arctius copulantur, colorque rubeus accedit: ex his igitur saltim à posteriori colligitur, sanguinem in specie ex predictis materiebus coalescere. Sed cum de sanguine jam multa in diversis locis dicta sint, & postea dicentur; hoc loci præfata sufficient.

## LIBER V.

DE FACULTATIBUS, QUIBUS ANIMALIUM  
CORPORA REGUNTUR, AC SPECIATIM  
de Vegetativa.

## DEFINITIONES.

1. **FACULTAS** in corpore animali, est principium alicujus functionis, aut actionis, ex eis que corpori animali competit, quatale est. Sic principium, quo animal nutritur, seu in se nutritionem efficit, Facultas appellatur nutritiva.
2. **Functio** est actio qua facultas vim suam exerit, suumque effectum producit. Sic Nutritio est functio, seu actio facultatis nutritiva.
3. Facultates animalis dividuntur in *Vegetativam*, & *Animalem*. Facultas vegetativa est ea, cuius opera corpus animalis, alimentis probè preparatis, ac distributis, non solum adusque certos terminos crescit; verum & ne cito decrescat prohibetur: tum & alia corpora eidem similia generantur. Hęc facultas est etiam plantis communis. Facultas animalis est ea, cuius opera animal movetur, & sentit.
4. Facultas vegetativa dividitur in *Nutritivam*, & *Generativam*. Nutritiva est ea, qua corpus nutritur: hoc est, ad certos terminos augetur, ac in certo statu conservatur.
5. Facultas generativa est ea vis, qua quodlibet animal aliud sibi simile generat, aut ex se ad hujusmodi

di generationem aliquid confert. Non enim in unico individuo animali, aut sexu integra generandi vis reperitur.

6. **Facultas nutritiva** dividitur in *Naturalem*, & *Vitalem*. Facultas naturalis est ea, que potissimum primæ alimentorum preparationi incumbit: unde in ore, ventriculo, intestinis, aliisque partibus in infimo ventre contentis suas functiones obit in animalibus perfectis; in imperfectis vero in partibus analogis. Facultas vitalis est ea, que alimentorum preparationem ultimò perficit, eaque distribuit per pulsum, & respirationem, quorum ille cordis, & vasorum ipsi adhaerentium operā perficitur; haec vero per thoracis pulmonumque motum in animalibus perfectis; in imperfectis vero in partibus analogis.

7. Facultatem nutritivam component Facultates sequentes. *Retentrix*, qua alimentum assumptum inera corpus animalis retinetur. *Concoctrix*, quam sequitur *Secretiva*, qua utile ab inutili secernitur. *Excretiva*, qua foras excernitur. *Distributiva*, qua utile in partes corporis distribuitur. *Affimativa*, qua partibus nutrientis assimilatur: & *Unitiva*, qua tandem eisdem unitur.

8. **Facultas animalis** est principium *sensus*, & *motus*: seu quo animal sentit, & movetur. Hinc ex duabus facultatibus coalescit, quarum ea, qua animal sentit, dicitur *Sensitiva*; illa vero, qua se suaque partes mouet, *loco motiva* appellatur. Has omnes facultates exponemus, ac instrumenta, quibus suas functiones exercent, investigabimus.

(\* \* \*)

(\* \* \*)

## CAPUT I.

*De Facultate naturali, quæ est prior pars facultatis nutritivæ.*

## PROPOSITIO I.

*Quid, & quotplex fit alimentum determinatur.*

**A**LIMENTUM est corpus ad nutritionem aptum. Hoc est, quod saltem ex parte mutari potest in materiam aptam ad animal augendum, & ad illud in statu consistentia conservandum, ne decrescat. Alimentum actu est quod actu nutrit. Alimentum in potentia est, quod aptum est ad animalis nutritionem. Hocque est duplex, aliud Proximum, seu in potentia proxima: aliud Remotum, seu in potentia remota. Alimentum proximum est illa materia, quæ per varias præparationes, ac coctiones est disposita, ut nutriat. Alimentum remotum est illa materia, quæ nullam adhuc in corpore animalis suscepit coctionem, aut præparationem; est tamen apta, ut in corpore animalis convenienter præparetur ad illud nutrientium.

## PROPOSITIO II.

*Alimentorum ad nutritionem conditiones, ac requisita exponuntur.*

**A**sso 1. Quodlibet alimentum, ni fuerit jam ase sumptionem resolutum, resolvi debet in sua elementa, aut in corpuscula, seu mixta minus composita: & hæc insuper in tenuiores particulas, in officinis

coctionum intra corpus animalis constitutis. Probatur 1. Quia ut experientia testatur, alimentum ventriculo injectum, ibidem resolvitur; nec aliter posset percolari succus nutritius per filtra densissima, nec a fecibus expurgari. Probatur 2. Quia nutritio est quædam generatio unius mixti ex alio mixto: sed unum mixtum ex alio mixto generari nequit, nisi mixtum, quod corruptitur, fuerit in sua elementa resolutum, aut in mixta, seu corpuscula minus composita: ergo, &c. Minor prob. Nam cum sit mixti ex alio mixto generatio, nova sit elementorum combinatio, novus nexus, ac in nova dosi particularum nova cohæsio: ergo prædicta mixti ex mixto generatio requirit resolutionem prædictam mixti, quod corruptitur, in sua elementa, seu in corpuscula, quæ mixta sint minus composita.

Nullum elementum solitariè sumptum nutritre potest aliquam corporis naturalis partem; potest tamen dum alia elementa elaborantur in officinis corporis, accedere ad illa, & cum ipsis constituere mixtum conveniens ad nutritionem. Prima pars patet: nam quod nutrit debet esse simile nutritio: sed elementum purum nequit esse simile nutritio, seu parti nutriendæ, quæ etiam est quoddam mixtum: ergo, &c. Secunda verò pars est certa: quid enim prohibet elementum accedere succo nutritio, cum in officinis subigitur, ac cum ipso opportunam materiam alimenti compонere.

Asso 3. Non quodlibet mixtum esse conveniens alimentum ad quodvis animalium genus nutrientum: nec quod pluribus ejusdem speciei animalibus convenit, etiam reliquis est conveniens. Probatur quia illa solum mixta esse possunt conveniens animalium ali-

mentum, quæ in horum officinis resolvi possunt in sua elementa, aut simpliciora mixta, ut diximus: sed non quodlibet mixtum ita resolvi potest à quovis, etiam ejusdem speciei animali: ergo, &c. Minor probatur experientia: nam pleraque sunt alimenta, quæ à certa animantium specie concoquuntur: secus verò ab aliis: eo scilicet, quod in iis facultatis concoctrice vires impares sunt ad illorum misteriorum dissolutionem. Hæc autem potentia provenit, non modò ex virtutis dissolventis imbecillitate; verùm etiam ex instrumentorum ad dissolutionem efficiendam improportione. Quodlibet enim animalium genus specialia habet pro coquendis, dissolvendisque alimentis instrumenta eorumdem substantię proportionata; quæ si aliis alimentis applicentur, ea non dissolvent. Sic Aqua regia, quæ Aurum dissolvit, Argentum non attingit: & Aqua fortis, quæ dissolvit argentum, Aurum illæsum relinquit. Ex his deducitur ratio cur quedam mixta, que aliquibus animalibus sunt maxime pernicioſa, aliis sint optimum nutrimentum: provenit enim hoc à diversitate dissolventium, & à diversimoda dissolutione: particulae enim quæ acres sunt, & corrosivæ, in aliquibus animalibus in dissolutione magis acuuntur: in aliis vero vel obtunduntur, vel ita aliis implicantur, ut nocere non possint.

## PROPOSITIO III.

*Famis, & quæ ad ipsam pertinent, expli-  
cantur.*

A appetentia alimenti necessaria fuit animanti, ut alimenta quereret, & sumeret, sive in sua conservationem incumberet. Duplex est autem appetentia, altera quidem alimenti solidi, quæ *Famis* appellatur; altera alimenti liquidi, qui dicitur *Sitis*. De-

prima in præsenti propositione agemus; de secunda in sequenti.

Famem, seu appetentiam solidi alimenti per quan-  
dam ventriculi, oesophagi, fauciumque affectionem ex-  
citari, est res notissima. Qualiter autem, aut qua de  
causa talis affectio excitetur, inquiritur. Relictis au-  
tem aliarum sententiarum impugnationibus, assero fa-  
mem excitari à succo acido fermentativo, qui in ven-  
triculo continetur, quo, aut cujus halibus, cum orifi-  
cium ventriculi ita laceſit, ut hæc affectio ad cere-  
brum traducatur, alimentum solidum appetitur, & ani-  
mal ad illud querendum determinatur, si absens sit, ac  
ad illud sumendum, si fuerit præsens. Probatur, nam  
ut testatur experientia, famis extincta, assumptis aci-  
dis, excitatur, & jam existens intenditur: ergo succi  
acidi vim habent excitandi famem, seu appetentiam so-  
lidorum: sed in ventriculo continentur succi acidi, ut  
sæpius diximus: ergo illi famem excitant, si aliunde  
non impedianter: impedianter autem ab alimentis  
assumptis, quia acidi succi illis permixti temperantur;  
& eorum actio in ipsa alimenta, non verò in ventri-  
culum exercetur. Confirmatur: nam alkalia, & ipsis  
analogæ, quæ acidorum vim infringunt, si assumentur,  
famem sedant, qualia sunt spiritus salis ammoniaci,  
ejusque flores: ergo signum evidens est famem ab aci-  
dis in ventriculo hospitantibus excitari; si quidem co-  
hibetur ab his, quibus acidorum actiones obtundun-  
tur.

Ex dictis colligitur, cur ventriculo alimentis vacuo,  
fames vigeat. Ratio enim est 1. Quia tunc succi acidi  
in ventriculum fluentes, sinceri sunt, totisque viribus  
in superioris ventriculi orificium agunt, quod exquisitiſ-  
simum habet sensum. 2. Quia alimentorum reliquiæ,

quæ inter ventriculi plicas hærent, ab acidis succis alteratae insignem aciditatem contrahunt, & aliorum acidorum actiones adjuvant. Tanta autem plerumque est horum succorum vis, tamque potenter superius orificium ventriculi vellicant, ut propter ingenitum hujus partis cum corde consensum, præ dolore, animi deliquia subsequantur.

## PROPOSITIO IV.

*Sitis, & quæ ad ipsam spectant, exponuntur.*

**S**unt causæ sunt illa omnia, quæ fauces, partesque adnexas exsiccant; aut quæcumque corpora salina, aut alkalica, quæ præfatas partes vellicant. Prima pars patet, nam quoties estū, aliisvè causis fauces arescent, sitis excitatur. Secunda pars constat, nam quoties biliosi halitus ad ventriculum, cœphagum, ac fauces deferuntur, sitimus; à qua molestia paucis alicuius liquoris acidi guttis citius liberamur, quam copiosiori aqua potu; quia scilicet alkalium vires, acidorum admixtione enervantur.

Tandem advertere oportet, in potulentis etiam simplicissimis, qualis est aqua communis, aliquid reperi quod nutritre potest: ac præterea eorum usum animalibus necessarium esse, 1. ut eorum ope alimenta melius dissolvantur. 2. ut postquam fuerint soluta, facilius per colatoria trajiciantur, filtrantur, ac in varias corporis partes devendantur. 3. ut quæ excrementia sunt, per urinæ, sudoris, ac transpirationis vias cum illis excernatur.



## PROPOSITIO V.

*Alimentorum præparationes, antequam in ventriculo mutentur in chylum, exponuntur.*

**C**um animalia tam multis constent partibus heterogeneis, oportet, ut ex alimentis variæ substantiæ eliciantur, quarum aliae partibus solidis, aliae fermentis, & humoribus materiam idoneam exhibeant. Hinc quamoptè animalibus natura prospexit, ut ea quæ in eorum nutritionem cedere debent, multiplici præparatione disponerentur.

Primam autem præparationem aggreditur natura in officinis subterraneis, in quibus ignis ibidem inclusi ope, debitam coctionem, ac dispositionem nanciscuntur. Sic innumeri succi in terrę visceribus decocti in plantarum alimentum cedunt: ingressi autem per subtile radicum ductus, vegetantium corpora replent, in quorum mirabili structura mirificè percolantur, filtrantur, ac ab impuris puriora secernuntur, donec fructus salubres exhibeant, hac secunda preparatione ad animantium usus optimè aptatos.

Præfata autem variarum coctionum series, quibus natura plantarum fructus, ac semina disponit, ut aptum fiant animalium nutrimentum, non in omnibus plantis sufficit, ut eis homo commodè, ac salubriter vescatur, ob debilitatem instrumentorum, in quibus chylus elaboratur: ea propter opus fuit, ut adhibitis artibus ulteriùs perficerentur, quales sunt ars Pistoria, Culinaria, Dulcinaria, &c. quibus alimenta prædicta, non modo gustui condirentur, verùm & nutritioni feliciter perficiendæ disponerentur.

Præter has autem præparationes externas, duas insuper alimenta subeunt in ore animalium: alteram sci-

licet masticatione, alteram salivæ permixtione. Quod ad primam attinet, perspicuum est, eam alimentorum divisionem, quæ dentibus fit incisoris, & tūsionem, & attritionem, quæ à molaribus efficitur, maximi esse momenti, ut vi dissolventium in ventriculo eadem alimenta facile, ac citè in sua elementa resolvantur. Ob eandem rationem solent Chymici Corallia, Margaritas, aliaque similia, priùs minutissimè confringere, quam ea suis tradant menstruis dissolvenda. Salivæ autem assūtione alimenta in ore præparari patet, nam ut suprà diximus, in saliva reperiuntur dissolventia principia, quæ satis colliguntur ex illius aciditate saltē occulta, quæ Mercuriū mortificat: tum ex actuali fermentatione, quam alimentis inducit: citius enim panis, & alia corrumpuntur, si fuerint saliva perfusa: mitas facio alias rationes idem probantes: ergo alimenta in ore non modicam accipiunt à permixta saliva præparationem.

Postquam autem alimenta tam multiplici sunt præparatione disposita, ut deglutiuntur; à lingua in orificium superiùs œsophagi propelluntur, indeque per œsophagum in ventriculum demittuntur, ut in eo insigis fiat alimentorum concoctio, qua in chylum mutantur, ut in sequenti propositione explicò.

#### PROPOSITIO VI.

*Mutatio alimentorum in chylum in ventriculo facta, exponitur.*

POstquam alimenta prædictam in ore præparationem acceperunt, ad ventriculum per deglutitionem traducuntur, ut ibi ea alimentorum mutatio fiat, quæ chylōsis appellatur, quia per ipsam in chylum convertuntur. Queritur autem nunc chyloeos causa, seu

seu quid illud sit, à quo in chyli officina alimenta in chylum conve rtuntur. Omnes penè veteres Philosophi existim arunt, calorem ventriculi esse chyloeos opificem. Oppositum tenent jam communiter omnes Neoterici.

Affero itaque 1. Calorem non esse chyloeos causam. Probatur nam illud quod per se, & quatenus tale non potest alimenta dissolvere, & in chylum mutare, non est causa per se chyloeos: sed calor per se, & quatenus tale, non potest alimenta dissolvere, & in chylum mutare: ergo calor per se, & quatenus tale non est causa chyloeos. Minor prob. Si calor posset per se alimenta dissolvere, & in chylum convertere; posset id ubique præstare, adhibita saltim certa moderatione: sed experientia constat, qualiscumque caloris gradus adhibeat, nullum alimentum illius vi posse dissolvi, ita ut in chylum mutetur: ergo, &c. Minor patet ex variis alimentorum præparationibus ope caloris factis, quibus alimenta ad chylosin quidem disponuntur; numquam tamen in chylum mutari possunt. Patet ergo non modò calorem non esse causam chyloeos, verum etiam extra ventriculum nullum esse chylificationis locum, quia scilicet extra illum nuspian vera chylificationis causa reperiatur, quanvis calor ubique reperiatur, simulque alia quibus alimenta dissolvuntur.

Confirmatur, nam in eodem animali ex diversis alimentis æquè laudabilis chylus generatur: sed hoc non potest tribui calori, qui cum semper idem sit, debet in diversa diversimodè agere, eaque diversimodè mutare: ergo, &c. Qualiter autem ab eisdem acidis fermentatis id præstari possit, patebit infra.

Confirmatur 2. Nam in animalibus frigidissimis,

qua-

quales sunt pisces, ea alimenta facile solvuntur, ac mutantur in chylum, quæ in animalium solidorum ventriculo integra manent, & inculta: sed hoc contra contingere, si calor esset causa per se chylificationis: ergo, &c.

Affero tamen 2. Moderatum calorem non parum conferre ad dissolutionem alimentorum, & chyli generationem. Probatur, nam dissolutio, & chylificatione sunt motu particularum: non enim partes possunt ab invicem separari, ac noviter combinari, quin moveantur: sed ad hunc motum non parum confert calor, ut ex dictis in Physica generali est apertum: ergo, &c. Hinc sapè ventriculus externo caloris fomento, ad melius, faciliusque coctiones faciendas juvatur.

Affero 3. Causam chyloeos, seu dissolutionis alimentorum in ventriculo, eorumque in cremorem illum, quem *chylum* appellamus, conversionis, esse acidum quoddam fermentativum, quod ex succis salivalibus, aliisque componitur. Probatur, nam liquor predictus acidus est: alimenta autem plurimum alkali volatilis continent: ergo illa nequeunt in ventriculo permisceri, quin fermentatio excitetur, ut constat ex dictis in tract. de Ferment. Sed ex hac fermentatione necessariò sequitur alimentorum dissolutio, quam chylificatio consequitur: ergo acidum predictum fermentativum est chyloeos causa. Confirmatur, nam in morbo *Lienteria* appellato, in quo alimenta cruda egeruntur, si ruetus acidus superveniat, indicat mortuum illum brevi desitum, vimque coctionem alimentorum jam instaurari. Item experientia testatur acidis non modo appetitum excitari, verum etiam vim coctionem roborari: & è converso hanc debilitari his materiebus, quæ acidum nimis infringunt: ergo acidum

dum predictum causa est fermentationis, dissolutionis alimentorum, ac eorumdem in chylum conversionis.

Sed objicies. Acidum in acidum non agit, sed in alkali: sed causa chylifica agit in pleraque alimenta acido redundantia; ut potè ea in ventriculo dissolvit, & in chylum convertit: ergo male tribuitur chylificatione acido predicto fermentativo. Respondeo tamen concessa majori, distinguens minorem; agit in alimenta acido redundantia, quatenus hæc alimenta acida continent, nego: quatenus alkalicis etiam componuntur, concedo. Acida itaque interdum continent alkali occultum, ac ita in illo mixto aliis particulis intertextum, ut cum acido conflictari nequeat: cum vero in ventriculum ingrediuntur, acidum ventriculi juvat acidum alimentorum, & utraque in eorumdem alkali agunt, ac fermentationem excitant. His accedit, quod acidi succi in ventriculo hospitati, non sunt ita sinceri quin alkali habeant etiam permixtum: unde sit ut in alimentorum fermentatione, acidum fermentativum ventricoli agat in alimentorum alkali; & alimentorum acidum, in acidum ventriculi: sive efficiatur fermentatio illa, qua alimenta coquuntur, & convertuntur in chylum.

Advertendum tamen est, predictum acidum, ut congruum sit ad chylificationem fermentum, oportere ut convenienter in glandulis, in quibus percolatur, modificationem suscipiat. Hinc illi validius ad alimenta coquenda habent fermentum, quorum glandulae succum salivalem fundentes, simeorem habent substantiam: glandularum enim substantia si mollior, & laxior sit, facilem aliis humoribus transitum permittit, à quibus acidii fermentativi vis non modicum encravatur.

Quæ-

Quæres tamen, quomodo potus aquæ frigidæ alimentorum coctionem promoveat. Respondeo eam promovere quatenus nimium calorem temperat: calor enim nimius alimenta corruptit: tum etiam aqua frigida fervorem bilis attemperat; bilis enim si in ventriculo excedat, fermenta infringit.

## PROPOSITIO VII.

*Mutatio chyli in intestinis, ac venis lacteis facta, exponitur.*

Postquam alimenta prædictorum fermentorum vi, in chylum fuere conversa, chylus hic in intestina detruditur; non tamen adhuc omnino perfectus, nec lacteo illo colore imbutus; sed potius multiplici tintura pro alimentorum diversitate, è quibus fuit genitus: intruditur itaque in intestina, ut ibi ulterius subigatur, & excrementis omnibus depositis, lacteum calorem adeptus in venas lacteas deponatur. Quæ autem in hoc decursu contingunt breviter exponam.

1. Alimenta proba in moderata quantitate assumpta, non ante è ventriculo in intestina devolventur, quam fuerint dissoluta, & in supradictum cremorem, seu chylum conversa. Ratio est, quia si incocta ad intestina transirent, corpus cruditatibus implerent, ac morbosum efficerent: prima enim coctio in ventriculo facta, cum sit ad secundam dispositio, non emendatur saltim integrè in secunda.

2. Demittuntur autem versus intestina alimenta in chylum mutata, relaxato Pyloro, seu inferiore ventriculi orificio, ad quam relaxationem determinatur per quandam sensationem satis jucundam, quam alimenta ipsa ita mutata, ibi excitant: hæc enim suavis sensatio, aut saltim acrioris cessatio, fibras illas oportune jam

laxat, quæ antea Pylorum claudebant, ne ante tempus prædictus descensus fieret.

3. Ingressus jam in intestina chylus, novam in eis, ac præcipue in Jejunio, suscepit fermentationem, qua magis dissolvitur, eliquatur, attenuatur, simulque disponitur, ut depositis excrementis, prior ejus pars in venas lacteas transmittatur. Ad hanc ulteriorem fermentationem concurrent bilis, succus pancreaticus, & alijs, qui è villosa intestinalis tunica exsudat, qui omnes sunt fermentativi: tum & fermentum, quod chylus in ventriculo suscepit, quo solo ulterius fermentaretur, quemadmodum & massa farinacea, cui per mixtum fuit fermentum, etiam mutato vase fermentescit.

4. Chylus tandem dum per venas lacteas traducitur, in glandulis Mesenterii percolatur, ac per ductus chyliferos in vasa sanguinea defertur, ubi nova etiam fermenta suscepit. Hinc fit, ut cum incipit chylus in massam sanguineam infundi, pulsus evadat, non modo plenior, & validior, verum etiam frequenter.

Ex dictis satis colligitur, non solum ventriculum, & intestina chylificationi laborare, sed etiam Hepar, Pancreatem, Glandulasque salivales, & alia, in quibus alimentorum fermenta sanguine separantur, & exaltantur.

Quæres tamen: Qui fiat, ut sumpto panis frustulo, aut haustis quibusdam liquoribus, statim reficiamur, cum antea vires deficere videntur: non enim tam breviter sumpta alimenta alterari, concoqui, & eliquari possunt, ut è ventriculo in intestina, indeque in lacteas præfatum decursum perficiant. Sed respondeo, li- quores prædictum effectum præstantes, valde esse spi-

rituosos : tum & alimenta coctione aliqua , & fermentatione præparata , spiritus , partesque volatiles contine , quæ si tantisper in ventriculo solicitentur , à reliquis compartibus separantur , & qua data portarentes , per Pylorum , quantumvis clausum in intestina descendunt , indeque per venas lacteas , motu rapido ad cor feruntur , cui vigorem conciliant , ac ibidem sanguinem plus fermentant , ac spirituum copiam augent , qui brevissime per corpus diffusi , eum reficiunt.

Contra ea tamen quæ diximus de aciditate fermentorum , quæ ad chylificationem destinantur , objicies 1. In animalibus sanis nullum reperiiri acidum ; neque in sanguine apparere , quin sit morbi alicujus parent , aut soboles ; non ergo reperiuntur acida prædicta ad chylificationem destinata. Respondeo , duo acidorum genera esse distinguenda , aliud quod plerique extra-  
neum , & sylvestre appellant ; alterum quod connaturale nominatur. Verum quidem est primum acidum esse morbi parentem , aut sobolem ; secundum verò ad præcipua naturę munia esse proportionatum , quod verè in ventriculo , aliisque partibus reperiiri , quamplurimis signis , & effectibus est manifestum , ut supra diximus.

Objicies 2. Nullam aciditatem percipi in saliva , aliisque fermentis ventriculi , dum animal est sanum : ergo , &c. Respondeo nullum sensum excitari aciditatis , salivæ , & aliorum fermentorum ob diversas rationes. 1. Propter continuum eorum in organum gustus illapsum ; ab assuetis enim non fit passio. 2. Propter aciditatis imbecillitatem. 3. Et potissimum , propter visciditatem Pituitæ , cui permiscetur : hac enim acidorum aculeos obvolvit , & ab eisdem vim pungendi adi-

admit. Nec inde prohibetur actio fermentativa ; etenim halibus , qui ex alimentis , præcipue masticatis , erumpunt , fermentorum particulae tum alkalicæ , tum acidæ , tum etiam falsæ concitantur in motum , fitque fermentatio. Alia ex dictis solvi possunt.

## C A P U T II.

*De Facultate Vitali , que est secunda pars Nutritiva.*

**F**ACULTATEM vitalem partem esse facultatis Nutritiva , diximus initio hujus libri defin. 6. Ipsa enim ultimam veluti manum imponit alimentorum præparationi , eaque per pulsum , ac respirationem per totum corpus distribuit : hancque in praesenti breviter expono.

## PROPOSITIO VIII.

*Chylus , & sanguis in vasis sanguineis fermentantur.*

**A**spero 1. Postquam chylus in vas a sanguinea de- latus est , & sanguini permisitus , fermentatur. Probatur , nam statim ac chylus in vasa sanguine translatus est , pulsus evadit plenior , ac frequentior , calorque inteditur : sed horum effectuum nulla alia causa potest assignari præter chyli in sanguinem fusi fermentationem : ergo , &c. Confirmatur. Neque enim chylus eas mutations suscipere potest in vas sanguineis sine fermentatione : ergo in illis fermentatur.

Affero 2. Totam sanguinis massam continuò in suis vasis fermentari. Ratio est quia ex sanguinis massa continuò educuntur spiritus, Bilis, Saliva, Succus Pancreaticus, aliaque fermenta, & succus nutritius: sed hæc omnia nequeunt ex massa sanguinis educi sine fermentatione: ergo, &c. Minor probatur: nam omnia prædicta nequeunt è massa sanguinis educi, quia hujus principia, & elementa invicem separantur, novaque in eant connubia: sed dicta principia non possunt separari sine fermentatione, seu motu intestino particularum, in quo potissimum fermentatio consistit: ergo, &c.

Quæritur autem nunc, quænam sit causa hujus fermentationis, tum chyli, tum sanguinis in vasis sanguineis. Communis antiquorum, Philosophorum, ac Medicorum sententia, cui aliqui Recentiores adhaerent, tener cor esse causam hujus fermentationis. Affero tamen cum Francisco Bayle, aliisque, causam immediatam ac præcipuam dictæ fermentationis esse ipsa fermenta, quæ chylum ex alimentis in ventriculo, & intestinis elaboraverunt; & quæ à glandulis Mesenterii eidem chylo permiscentur, tum & à lymphâ, quæ eidem chylo sociatur: cor tamen ad eandem fermentationem concurrende.

Prima pars probatur. Nam maxima pars fermentorum, quæ chylosin efficiunt, cum chylo percolatur: ut colligitur ex chyli purioris falsoidine, quæ non aliunde provenire potest, quam ab alkali bilis, & acido salivæ, succi pancreatici, & ejus, qui è ventriculi glandulis erumpit. Frustra item chylus in Mesenterii glandulas per tot venarum capillamenta diffunderetur, nisi in his aliquod fermentum susciperet. Lympham similiter fermenti rationem habere respectu chyli, ex

ejusdem natura facile colligitur: continet enim spiritus, tum & aliquod acidi, & alkalici, ut alibi diximus: ergo omnia hæc fermenta sunt causa fermentationis prædictæ.

Secunda pars; cor nempe ad ipsam concurrere, patet: sanguinem enim movendo, fermenta prædicta ad mutuam actionem applicat, & sanguinem ad fermentationis motum disponit: non enim fermentorum particulæ in se mutuò agere possunt, nisi miscantur, & agitatione mutuò se se impellant; ad quod sanguinis motum plurimum conducere perspicuum est; ergo cor hoc modo ad dictam fermentationem concurrit.

Omnia autem fermenta interna prædicta non sufficiunt ad debitam in sanguine effervescentiam conservandam, ut ex eo tot spirituum copia suscitetur; ideoque oportet alias ejusdem fermentationis causas externas adficere, ut statim patebit.

### PROPOSITIO IX.

*Sanguis etiam fermentatur aliis causis ab extrinseco per respirationem susceptis.*

Communis antiquorum Philosophorum, & Medicorum sententia tenuit, ideo sanguineis animalibus concessam communiter fuisse respirationem, ut ipsius ope cor refrigeraretur. Verum hujus sententiae falsitatem convincunt aliquæ rationes. 1. Quia frustra tam intensus calor cordi esset concepsus, qui indigeret per aliquod extrinsecum ad moderationem reduci. 2. Quia in Fetu ante respirationis usum, sanguis temperatior existit, pulsusque magis languidus, quam cum respirationis usum est adeptus. 3. Quia aqua intra pulmones attracta melius cor refrigeraret; cum tamen suffocationem inducat, ut patet in demersis.

Affero

Affero itaque præcipuum respirationis usum esse, ut ex infuso in pulmones aëre, aliiquid in sanguinem transmittatur, quo ejus calor, & effervescentia conservetur, & incrementum accipiat. Ad hujus asserti probationem supponendum est, quod alibi jam diximus, aërem nos ambientem multa rerum miscella esse imbutum, totamque atmosphèram constare maximam partem ex multiplicium corporum effluviis: hinc ex effluviis noxiis per aërem dispersis, contrahi solent epidemias: similiterque sanitas viget cum aëris laudabilibus, ac salubribus effluviis imprægnatur. His positis.

Probatur 1. conclusio: cum enim aëris exilissima contineat corpuscula, quæ durissima etiam corpora penetrare possunt, ea proculdubio cum aëre inspirata, facile molles Pulmonum membranas pervadent; præcipue cum ad hanc penetrationem non parum conseruat aëris in pulmones illapsus, cum quadam impetu factus. Hæc itaque cum aëre inspirata corpuscula, & pulmones subeuntia, in sanguinem transmissa, eidem permixta, ejus fermentationem promovere, caloremque fovere non desinent, ut in simili diximus de Vegetantibus, ac Plantis.

Probatur 2. aliiquid ex aëre decerpi, quod in sanguinem per pulmones deducatur. Aëris enim qui semel inspiratus est, nullius est ad inspirationem usus: ita ut nisi novum aërem continuò inspirando accipiamus, non minus suffocemur, quam si respirare prohibemur. Unde sit, ut five candela accensa, five animal respirans in vase includantur, brevi animal suffocetur, ac convulsionibus diversis intereat: & candela flamma extinguatur: ergo tum flamma ignis; tum & flamma vita, ac calor sanguinis vitalis, fermentis ab aëre su-

fce-

sceptis indigent, ad sui conservationem, ut jam alibi diximus.

Objicies tamen. Animalia respirantia longè calidiora sunt aliis, quæ non respirant: illis autem respirationis usus concessus est tamquam necessarius; iis vero denegata sunt ad respirationem organa, & instrumenta. Quod clarè innuere videtur, respirationem ad id esse institutam, ut vehementior cordis calor, aëre inspirato attemperetur. Respondeo tamen negans consequentiā: constat enim experientia animalia cū respirent, & frequenter, tum eorumdē pulsus validiorem esse, & frequentiore, quam ante respirationis usum, ut videre est in fetu, integris involucris, quibus continetur extracto, in quo arteriarum motus tardus experitur, & languidus; resectis autem involucris, usque respirationis permesso, statim calor, ac pulsus frequens, & validus evadit.

Quæres tamen quale sit illud aëris fermentum, quod per respirationem excipitur. Respondeo cum Joanne Mayovv, Franc. Bayle, & aliis, esse spiritus nitri, seu spiritum nitro aëreum, salem etiam ammoniacum, aut aliiquid ipsis analogum. Hoc licet non certò probabiliissime tamen suadetur. Cum enim certum sit sanguinis effervescentiam intercidere ferè statim atque respiratione, novique aëris in pulmones infuso intermittitur, rectè colligitur aliquod fermentum ex aëre sanguini accedere: sed ut diximus cum de Fermentatione ageremus, omne fermentum vel ex acido, vel ex alkali- co, vel ex utroque coalescit: ergo quod ex aëre in sanguinem transfunditur, vel acidum est, vel alkali- cum, vel utrumque: sed hoc aëris acidum nihil aliud esse, nisi spiritus nitri: & hoc alkalicum esse salem am- moniacum, non levibus rationibus suadetur: ergo, &c.

Mi-

Minor probatur: nam si spiritus nitr. solus sanguini misceatur, ruborem splendidiorem illi conciliat: idemque sal ammoniacus solus præstat, ita ut sanguinem jam concretum liquidum reddat: cum igitur horum fermentorum ingens copia per aërem sit dispersa; sunt enim maximè volatilia; valde probabile redditur, fermenta prædicta, per respirationem sanguini communicata, esse illa, quæ ejusdem effervescentiam, motumque promovent, ac conservant.

## PROPOSITIO X.

*Quæ ad Traspirationem pertinent explicantur.*

**Q**uemadmodum ex aëre in animalium corpora, quamplurima, ut vidimus, ope respirationis, fermentorum corpuscula invehuntur: ita ex eisdem animalium corporibus, ope traspirationis plurimis in aerem corpusculorum effluxus emititur: ita ut aerem inter, & animalium corpora continuum sit stabilitum commertium. Circa transpirationem ita que hæc sunt breviter adnotanda.

1. Animalia calidiora, cæteris paribus, magis transpirant. Ratio est, quia in his animalibus ope rarefacentis caloris, latiores sunt transpirationis viæ; & corpuscula transpiranda, ad majorem motum ope caloris concitata, facilius per poros erumpunt. Hinc animalia respirantia, cæteris paribus, magis transpirant; sunt enim non respirantibus calidiora.

2. Non solum ex animalium corporibus, ope transpirationis effluvia in aerem emittuntur; verum etiam per eorumdem corporis habitum aliquid in ipsa intromittitur: ita ut quemadmodum respiratio duabus partibus componitur, altera nempe qua aer accipitur, di-

citurque inspiratio; & altera qua redditur, & vocatue expiratio; ita & trâspiratio duabus etiâ partibus cõtare concipitur, altera qua ex aere corpuscula recipiuntur; altera qua ex corpore foras emittuntur. Aliquid autem per habitum corporis intra corpus ab aere infundi. Probatur 1. Quia animalium corpora creberrimis poris constant, qui subtilissima corpuscula facile possunt admittere; in aere insuper exilissima sunt corpuscula, qua præfatos poros subire possunt: sed hæc duplex aptitudo non est frustra, nec ad aliud esse posse concipitur, nisi ut tenuissima corpuscula in aere hospitata invehantur in animalium corpora: ergo, &c.

Probatur 2. experientia: nam medicamenta purgantia extrinsecus admota ventrem turbant; quod non aliter efficiunt, nisi quatenus tenuissimæ eorum particulae, quibus purgandi vis insidet, calore agitata, & à reliquis medicamentorum partibus secreta, conceptio impetu, se se per poros in sanguinis massam insinuant: quid ergo mirum, in animalium corpora, subtilissima corpora ex aëre ingrediantur. Ex his luculentur colliguntur, quam necessarium sit, ut aët in quo vivimus, purus sit, & à pravis halitibus liber, cum illis, quibus abundat corpusculis tot ad nostrum corporis sinus adita pateant. Quam autem ad valetudinem conservandam necessaria sit moderata transpiratio, quotve symptoma ex prohibita transpiratione proveniant, jam alibi diximus.

## PROPOSITIO XI.

*Quæ ad Sanguificationem, & nutritionem spectant exponuntur.*

**S**anguinis essentia, & constitutio in ultima prop. libri præced, exposita est: nunc autem ejus genesis est explicanda. Affero 1. *Sanguinem ex sbylo generari.*

*n.* Nulla enim alia materia in venas defertur, ex qua sanguis possit generari præter chylum: quod enim ex aere per pulmones ministratur, parum admodum est respectu multitudinis chyli ad sanguinis generationem: ergo sanguis ex chylo generatur.

Affero 2. *Neque cor, neque vasa sanguinea dici possunt causa sanguificationis.* Colligitur ex alibi dictis: nihil enim in illarum partium substantia reperitur, quod possit tam varias, ac tantas in chylo mutationes excitare, ut ex eo tam varii prodant humores. Confert tamen cor, quatenus suo impulsu, sanguinem quasi quassat, & tundit: tum & alia vasa, quatenus chylum, & sanguinem continent, & dedueunt.

Affero 3. *Veram, & immediatam causam sanguificationis esse fermenta supra dicta:* tum scilicet interna, præsertim bilis, succus pancreaticus, lympha, succique omnes salivales: tum externa, ea nempe quæ ab aere per pulmones sanguini assunduntur. Probatur, nam illæ sunt verae, & immediatae cause sanguificationis, per quas chylus in eos humores mutatur, qui massam sanguineam constituant: sed chylus per supra dicta fermenta immediate mutatur in humores, qui massam sanguineam constituant: ergo, &c. Minor prob. Nam chylus mutatur in illos humores per fermentationem, quam illa fermenta efficiunt, per quam chylum dissolvunt in sua elementa, sive prima, sive secula, eaque in diversas combinationes, & mitiones efformant, quæ prædictos humores constituant: ergo prædictæ chyli mutationes, ope horum fermentorum efficiuntur. Hanc autem inter se diversitas pendet à variis determinationibus, quas in diversis corporis partibus suscipiunt: quod quidem modo sequenti potest exponi.

Cum

Cum sanguis, suscepto à mox infusis fermentis effervescentiæ motu, de quo supra satis diximus, statim in omnes corporis partes distribuatur, necesse est, ut in iis juxta varias illarum constitutiones, & dispositiones diversimodè afficiatur, diversisque patiatur solutarum partium cohesiones. Hinc in Hepate ex. gr. propter specificam hujus visceris substantiam, partes sanguinis alkalice, & sulphureæ deponuntur, & in ductus biliarios percolantur, tum & trajectione per hepatis glandulas alterantur, certoque modo ita miscentur, ac combinantur, ut liquorem biliosum constituant, qui amplius in decursu per canales biliarios elaboratur. Reliquæ autem partes sanguinis, quæ in bilem non abierunt, ab Hepate rejectæ, in Venæ cavæ ramos, per illud viscus dispersos transeunt, & ad cor remeant, ut multiplici facto circuitu, ad eas tandem partes perveniant, in quibus ab aliis adhuc particulis secernuntur, aliasque convenientes mutationes accipient; inutiles vero per vasa excretoria ejiciantur. Hinc aliorum humorum in glandulis secretio, & præparatio potest similiter exponi.

PROPOSITIO XII.  
*Ultima alimenti ad nutritionem dispositio, ipsiusque nutritionis modus explicatur.*

POstquam massa sanguinea fermentorum prædictorum ope prædictis humoribus est constituta, variæ ejus particule magis active, ac tumultuosæ, variis agitationibus, peculiares concursus, & concretiones moluntur; aliæ verò minus active, majorique nexu invicem copulatae, sibi strictius coherent, sicutem componunt in sanguinis massa portionem illam, quæ à reliquis secreta, albumen ovi maximè refert; humor au-

M 2

tem

tem iste, quantumvis sensibus appareat homogeneus, diversos tamen humores, aut humorum materiam continet: quemadmodum enim in pullo ex simili humore, tam variis in illo humores generantur; ita ex isto in vasis sanguineis, iteratis fermentorum affusionibus, variis succi progignuntur. Hæc itaque sanguinis portio glutinosa estimanda est verum, & immediatum partium solidarum nutrimentum. Quod ex ipsis qualitatibus optimè suadetur: nam primò sua viscibilitate facile nutriendis partibus adhæret. 2. Teste gustui, suavis est, & omnis acrimonię expers: tum & ejusdem partium cohaesio, totiusque liquoris facilis induratio: hæc, inquam, omnia indicant, hanc portionem sanguinis viscidam, aptum esse ac immediatum partium solidarum nutrimentum; præsternit cum motui circulari, quem simul cum sanguine exercet, multisque percolationibus, eis partibus ex quibus coalescit, inducatur substantia similitudo cum partibus nutriendis: hoc enim posito, similes particula similibus necuntur, ac copulantur: quo sit ut partes illæ, aut incrementum accipient, aut detimento per transpirationem facta resstant, ac corporis partes in sua consistencia confervent.

## PROPOSITIO XIII.

*Quid calidum innatum, & humidum radicale sint, exponitur.*

**P**er calidum innatum nihil aliud intelligimus præter sanguinem optimè temperatum, & ad summam mediocritatem, convenienti humorum ex quibus componitur, mixtione, ac proportione deductum. Hoc autem nomine *Calidi* donatur sanguis, quia licet ejus caliditas temperata sit, ab ea tamquam

qua-

qualitate præcipua, sumitur denominatio. Dicitur etiam *calidum innatum*, quia proportione servata talis esse debet, qualis esse solet, & debet in prima animalis generatione. Hinc calor nativus per omnia membra diffusus nihil aliud est, quam moderata illa temperies, qua in omnibus membris viget, quamque foveat moderati sanguinis, seu calidi innati influxus, in qua tamen viget ille caloris gradus cuique speciei animalis proportionatus, ac congruus.

**H**umidum radicale, aut primogenium nihil aliud est quam purissima, ac defecatissima succi nutriti portio præcipuis generationis animalis principiis simillima, unde *Primogenii* nomen obtinuit: & consequenter. *Radicale* est appellatum, quod nempe primæ illi radici, aut primordio animalium sit similis. Reliqua quæ tum de calido innato, tum de humido radicali dicitur sunt tantum de nomine.

## LIBER VI.

## DE FACULTATE ANIMALI, AC SENSITIVA.

**F**ACULTAS animalis est principium sensus, ac motus in animalibus: sicque mirabile illud organorum apparatum comprehendit, quem Naturæ Opifex animantibus indit ad tam varias sensationes efficiendas. Hanc rerum jucundissimam syllavim non sine ingenti animi delectu in præsenti Libro percurrentem suscipimus. Sed aliquas definitiones premittamus.

## DEFINITIONES.

1. **F**acultas animalis est Principium functionum animalium specie talium, sensus videlicet, & motus in specie dicti. Neque enim omnis motus, quo corpora animalium moventur, est animalis, velut ille qui à gravitate procedit: sed ille dumtaxat motus dicitur animalis, qui ad determinationes per sensus consequitur.

2. *Sensus, seu Facultas sensitiva est principium illud, seu dispositio, qua in sensoriis impressiones obiectorum sensibilium recipiuntur, ut ad motum aliquem animali congruum determinatio exciteatur.*

3. *Sensorium est organum, in quo fit impressio ab obiecto sensibili mediate, vel immediate, ut consequenter ad illam, ob peculiarem organi dispositionem, aliqua oriatur ad motum determinatio. Sic oculus à corpore luminoso, seu à lumine afficitur ob specialem structuram modumque substantiae; non vero Auris.*

4. *Sensorium externum est organum quodvis externum, aptum suscipiendis impressionibus obiectorum extenorum sensibilium.*

5. *Sensorium internum est organum quodcumque internum, ob sui peculiarem dispositionem aptum suscipere internas impressiones, diversas ab illis, quibus sensoria afficiuntur. Sic superius orificium ventriculi ab humoribus acidis afficitur, qua affectio ne excitatur animal ad alimenta querenda, & assumenta.*

6. *Sensorium commune, aut Primarium est organum internum, cum quo, aut in quo sensoria privata*

*ta externa, & interna communicant: de cujus notio ne, & existentia inferius pertractabimus.*

7. *Species sunt imagines obiectorum sensibilium, seu affectiones ab eisdem obiectis in aliquo sensorio impressae, ad sensorium commune transmissae. De quibus postea.*

## CAPUT I.

*De partibus facultatem animalem constituentibus, in genere consideratis.*

## PROPOSITIO I.

*Partes facultatem animalem constituentes enun ciemantur.*

1. **F**ACULTAS Animalis constat, ut diximus, ex facultate sensitiva, & locomotiva; & consequenter adaequatè sumpta, organa predictarum facultatum complectitur. Organa autem facultatis sensitivæ, & motricis communicant inter se. Ratio autem est, quia sensus sunt animalibus concessi, ut ipsorum usu, animalia suæ conservationi consulant, noxia nempe devitando, & quæ sibi commoda sunt, & convenientia querendo, ac prosequendo: etenim autem sensus id munus præstant, quatenus facultatem loco motivam incitant, ac determinant, ut animal noxia fugiat, ac sibi congrua querat: sed hæc determinatio fieri nequit, nisi harum facultatum organa communicent, sintque inter se invicem connexæ ergo, &c. Hoc idem evidenter convincitur ex dictorum organorum structura: omnes enim nervi tam sen-

forii, quam motorii suam in cerebro habent originem; quo sit ut nervis sensoriis aliqua affectione concitatis, aliqua etiam in motoriis excitetur affectio.

2. *Organa facultatis sensitivæ integrantur ex cerebro, Nervis; organis peculiaribus sensuum externorum, ac internorum; & spiritibus animalibus;* ita tamen ut sublato quocumque organo sensuum externorum, aut internorum; adhuc essentialiter persistat facultas sensitivæ, non verò sublato cerebro, aut spiritibus animalibus deficientibus. Prima hujus conclusionis pars probatur, nam organa facultatis sensitivæ iis integrantur, ex quibus simul junctis oritur aptitudo ad obeunda omnia facultatis sensitivæ munia: sed ex omnibus praedictis simul junctis confurgit in organis facultatis sensitivæ aptitudo ad omnia ejusdem facultatis munia obeunda: ergo ex omnibus praedictis integratur. Minor prob. Nam si deficiant spiritus, omnis interdicitur sensuum functio: ergo spiritus necessarii sunt ad facultatis sensitivæ functiones obeundas. Cerebrum etiam esse ad easdem necessarium, est evidens: nam ipso detracto, vis sensitiva in animalibus statim concidit. Præterea organa facultatis sensitivæ communicant cum organis loco-motivæ, quæ quidem communicatio sit in cerebro, è quo omnes nervi tam sensorii, quam motorii suam ducunt originem: sed hæc communicatio inutilis foret, si aliqua sensitivæ facultatis functio dari posset sublato cerebro: ergo, &c. Deinde spiritus animales generantur in cerebro, indeque in omnia sensus, & motus organa disfunduntur: ergo sublato cerebro, tolluntur praedicti spiritus: sed hi, ut diximus necessarii sunt ad constituta organa facultatis sensitivæ; imò aliqui in his spiritibus consistere ajunt facultatē sensitivam: ergo, &c.

Or-

Organa autem sensuum tum interna, tum externa necessaria esse, patet: nam his deficientibus, nulla ab obiectis sensibilibus potest recipi impressio ad motum animalium necessaria. Nervos item omnino requiri est certum: nam si alicujus sensorii externi, aut interni nervus præscidatur, nulla sit in tali sensorio ab obiectis impressio, aut saltim ea ad cerebrum nequit traduci, quod necessarium est, ut alibi diximus, ut possit animal ad convenientes motus determinari. Constat ergo omnia prædicta integrare organa facultatis sensitivæ.

Secunda autem conclusionis pars, nempe sublato cerebro, aut spiritibus animalibus deficientibus, facultatem sensitivam persistere non posse, jam ex nuperim dictis satis colligitur. Verum quidem est, si sensus alicujus organum, ver.gr. oculus pereat, facultatis sensitivæ organum, non fore integrum, ut potè deficiente potentia visiva, non integra est sensitiva facultas; ceterum dummodo cerebrum conservetur, & spiritus animales cum aliquo ex organis sensuum, manet essentia absoluta facultatis sensitivæ; si verò cerebrum, aut spiritus animales deficiant, cuncta concidunt: ergo, &c.

Sed objicies, si Serpentes, Lacertæ, & similia, quæ circularibus incisuris sunt distincta, transversim secantur, singula eorum partes, si acu ex.gr. pungantur, variis motibus agitantur, non absimiles his, quibus agitantur, quando erant inter se, & cum capite conjuncta: ergo in his partibus animalium vigent adhuc tunc ambæ facultates locomotiva, & sensitiva: sed in his non datur cerebrum: ergo sine cerebro possunt vivere facultates prædictæ. Respondeo in his animalibus singulas medullæ spinalis partes, è quibus nervi hinc inde

inde erumpunt, considerandas esse tamquam minora cerebra, in quibus nervi tum sensorii, tum motorii, per aliquam connexionem sibi invicem ex parte communicant: ideoque minimè infertur prædictas facultates posse sine cerebro consistere.

3. *Licet peculiares sensus externi, & interni spe-  
ciant ad integratatem facultatis sensitivæ: būjus ta-  
men facultatis essentia conservari potest sine quocum-  
que ex prædictis sensibus peculiaribus; non tamen si-  
ne sensu communi. Qod sensus peculiares tum exter-  
ni, tum interni, sint de integratate facultatis sensitivæ,  
patet ex dictis: quolibet enim deficiente, jam non est  
integra facultas sensitiva; licet maneat huius facultatis  
essentia in reliquis sensibus. Qod verò sublato sensu  
communi, nullatenus remaneat, patet: nam hoc per-  
eunte, pereunt omnes alii sensus: hi enim omnes vi-  
gent ope sensus communis, acceptis scilicet à cerebro  
spiritibus; ita ut si per impossibile organa sensuum  
remanerent integra, sublato tamen sensu communi  
animal non sentiret. Præterea organum sensus com-  
munis est cerebrum, cum sensuum organa cum cere-  
bro communicent, & per illud cum organis facultatis  
motricis: ergo quemadmodum sine cerebro, ita & si-  
ne sensu communi, facultas sensitiva nullatenus valet  
persistere.*

4. *Diversitas organorum sensuum tum extero-  
rum, tum internorum, consistit in diversitate stru-  
cturæ, & substantiæ, quibus sunt constructa. Hæc  
conclusio patet evidenter. Quis enim non videt insi-  
gnem differentiam inter substantias organi visus, audi-  
tus, & cætorum sensuum; tum & quam diversa sit  
eorum structura: & quidem si tum substantia, tum  
partium stuctura eadem in omnibus esset, eadem quo-*  
*que*

LIBER VI. CAPUT I. 187  
que esset ab obiectis affectio, eademque sensatio, nulla-  
que esset inter eos diversitas.

### PROPOSITIO II.

*Spiritus animales generantur in parte corticali  
cerebri.*

**P**ars cerebri corticalis ea dicitur, quæ est cerebro instar corticis. Assero itaque in hac generari spi-  
ritus animales. Ratio est, quia prædicta cerebri pars  
ex confertissimis, & exilissimis glandulis coalescit, quæ  
certè, quemadmodum & ceteræ glandulae, ad specia-  
lem aliquem humorem è sanguinis massa separandum,  
sunt destinatae: sed in prædictæ partis glandulis nihil  
aliud à sanguine separari potest, nisi spiritus ut in ner-  
vos traducantur: utpote illi soli sunt ibi potissimum  
necessarii ad functiones animalis obeundas: ergo ibi  
sit spirituum animalium generatio. Et confirmatur,  
quia fibræ ex quibus substantia cerebri alba componi-  
tur, altera extremitate desinunt in prædictam partem  
corticalem, & glandulosam; altera verò parte in or-  
gana sensus, & motus: quod aperte innuit in dicta  
parte generari spiritus, ut inde in præfata organa dif-  
fundantur.

Hinc rejicitur communis antiquorum sententia asse-  
rentium præfatos spiritus generari in ventriculis cere-  
bri: in his enim nihil est, cui tribui possit vis gene-  
randi spiritus: ac præterea si ibi essent geniti, propter  
latas, ac undique patentes vias breviter dissiparentur.  
Tum etiam quia nullæ patent viæ, quæ ex cerebri ven-  
triculis deducant spiritus in nervos: fibræ enim sub-  
stantiam cerebri componentes, inter quas ventriculi  
sunt excavati, non in ventriculos cerebri; sed in sub-  
stantiam corticalem prædictam desinunt: ergo hæc, non  
verò

verò illi sunt spirituum animalium officina.

## PROPOSITIO III.

*O*bjecta sensibilia agunt in organa sensuum per motum localem.

**A**spero obiecta sensibilia agere sive mediate, sive immediate in organa sensuum per motum localem, ea scilicet movendo, pellendo, tendendo, vibrando, aliisque similibus modis immutando, & afficiendo. Probatur nam obiecta sensibilia corpora sunt: sed corpora quatenus talia non aliam habent agendiam nisi per motum localem, ut in tract. de Motu dictum est: ergo obiecta sensibilia tantum agunt in organa sensuum ea movendo. Probatur 2. Quoties actio obiectorum sensibilium est nimis violenta, organa sensuum divelluntur, distrahuntur, ac dissolvuntur: sed hæc omnia sunt varii diversarum impulsionum effectus: ergo, &c. Probatur 3. Eo enim modo agunt obiecta in organa sensuum, quo solo possunt excitare animalia ad certos motus: sed obiecta tantum movendo possunt determinare animalia ad certos motus: ergo obiecta agunt in organa sensus ea movendo. Major constat ex supradictis: ideo enim sensus sunt animalibus concessi, ut per affectiones in eis susceptas, motus necessarios ad sui conservationem exerceant. Minor autem pater, quia corpora per solum motum possunt alia corpora movere, aut motum, ab alia quavis causa producendum determinare.

Dixi autem obiecta mediate, vel immediate sensus mouere, quia aliquando ea immediate movent, ut sapida organum gustus, que nisi immediate ei applicentur, eum non immutant: aliquando verò mediante aliquo alio sensum moyent: sic lucidum, mediante ali-

aliquo per medium interjecto, organum visus ad visionem movet, ipsumque immutat. Quid autem hoc sit, postea patebit.

## PROPOSITIO IV.

*M*otio obiectorum sensibilium in sensus, traducitur per nervos in sensorium commune.

Probatur, nam si motio illa, seu affectio in sensibus internis, seu externis excitata, non traducetur in sensorium commune, frustra condita essent organa praedictorum sensuum: sed hoc non est dicendum: ergo, &c. Major probatur. Si praedita motio ad sensorium commune non traduceretur, nullus sequeretur motus animalis, cuius gratia condita sunt sensuum organa, ut suprà diximus: ergo frustra hæc organa condita essent. Antecedens probatur: nam nullus futurus est motus, ubi nulla est ad motum determinatio: sed si motio illa non traduceretur ad sensorium commune, nulla esset ad motum determinatio: ergo, &c. Minor probatur. Tunc nulla est ad motum determinatio, quando nulla fit mutatio in principio motus, in cerebro scilicet, unde influunt spiritus ad movendum: sed si praedita motio ad sensorium commune in cerebro locatum, non traduceretur, nulla fieret in eo mutatio: ergo, &c.

## PROPOSITIO V.

*E*xplicatur modus, quo praeditæ impressiones ad sensorium commune transferuntur.

**U**t modus intelligatur, quo impressiones in sensibus ab obiectis factæ traducuntur in sensorium commune, supponendum est, nervos per totum corpus dispersos a cerebro ducere originem, ubi primum

corum principium situm est : ut autem prædicta traductio cōvenienter fiat, omnino oportere, ut nervi sint moderata spirituum animalium copia pleni, ac tensi: aliter enim laxi essent, ac flaccidi, & consequenter inepti, ut susceptas in sensoriis privatis motiones in sensorium commune traducant : quod perspicue patet in intellino aere pleno, ac distento, quod si inflectatur, statim ac dimissum est, vi aeris elas̄tica, tum & propriarum fibrarum vi, in pristinam rectitudinem se reducit : tum & vix potest in altera extremitate leviter attingi, quia statim altera moveatur, aut tremat : quod secus contingit, si aere fuerit vacuum ; cum enim flacidus sit, variis modis contrectari potest, concuti, aut agitari, quia suscepta in una extremitate motiones ad alteram extremitatem traducantur. Similiter igitur in nervis omnia prædicta contingent.

His positis, explicatur traductio motionum à sensibus privatis per nervos in sensorium commune. Cum enim nervorum tubuli ad usque cerebrum continuati, spiritibus sint pleni, tensi sunt, ac juxta suprà dicta, non potest moderato iētu altera illorum extremitas impelli, aut quovis motu moveri, quia impulsio ad alteram extremitatem traducatur : ergo impulsio illa, seu impressio, facta ab obiecto in sensorio privato, traducitur ad sensorium commune per nervos. Potissimum autem ad hæc accedit, quod cum exilissimi nervorum tubuli sint spiritibus pleni, nequit tubulas in altera parte ab obiectis externis concuti, aut comprimi, quia spiritus ad alteram extremitatem refuunt, aut saltem impetum radici nervorum imprimant, similem illi, quem ab obiectis receperunt. Hac autem impressionum sensibilium delatione ad sensorium commune posita, facile concipitur quomodo animal ad certos motus ab illis im-

impressionibus determinetur : determinatur enim quantum per nervos sensorios, qui ab obiectis moti sunt, & concussi, quadam fit in origine nervorum, motui destinatorum distractio, & orificiorum eorumdem dilatatio, & apertio : tum & per spiritum concussionem, eorumdem fit per apetta tubulorum ostia intra eosdem nervos motorios impulsio, ac motus versus membra illa, eorumvè musculos, que motus illos efficere debent.

Exemplum habes in organo musico pneumatico, cui non irrectè organum facultatis animalis comparatur. In organo itaque pneumatico plures sunt tuborum, ac fistularum ordines : sunt insuper folles, quorum alterna dilatatione, ac contractione, aët in prædictos tubos impellitur, quorum eos tantum replet, aut invehit, in quos, apertis valvulis, expeditum aditum reperit, in eisque sonos diversos edit. Determinatur autem organum ad prædicta ab Organendo, quatenus nemp̄ has, aut illas palmulas premit. Cum enim palmula quelibet deprimitur, deprimitur etiam paraglossa eidem respondens, cuius depressione recluditur crena, qua è ventorum thesauro patet vento aditus ad tubum: ventus autem folium vi immisus, lingulam in tubi orificio locatam pulsat, tubumque ingressus sonum edit, gravem, aut acutum juxta tubi in longitudine, ac latitudine rationem. Præterea sunt in eodem organo musico varia fistularum systemata, seu ordines tibiolarum, tubarum, &c. quorum modo hæc, modo illa sonant, idque ad placitum Organandi, qui arcano regis- trorum artificio utens, modò hoc, modò illud systema claudit, aut referat.

Hæc, inquam, omnia que organo pneumatico inesse diximus, organis facultatis animalis esse apprimè si- mi-

milia, attente consideranti fieri perspicuum. Primo enim nervi, nervulorumque rami, cum sint in longum excavati, tuborum, aut fistularum speciem egregie exhibent: cortex infuper cerebri, unde spiritus animales erumpere diximus, ventorum thesaurum, seu arcum referunt. Cor vero, aut si placet, pulmones instar folium sunt: varia autem sensoria varia fistularum systemata, suis dotata regis tristis exhibent. In hujus autem tam mirabilis structure organo, obiecta vices gerunt. Organandi, à quibus dum haec, aut illa nervorum fibrae pulsantur, in hos, illosq; nervos motorios, spiritibus animalibus aditus aperitur, quibus membra diversis motibus exequendis determinantur.

Ex his que hucusque diximus, id tamquam certum statui potest. 1. Ab obiectibus sensibilibus in sensoriis privatis quasdam motiones excitari. 2. Prædictas motiones, seu affectiones ad sensorium commune per nervos traduci. 3. Ex eisdem motionibus sic traductis, quasdam animalium motus oriri. Et hac quidem omnibus animantibus sunt communia. 4. Præter dicta in homine excitari quandam perceptionem affectionis ab obiecto sensibili inducere: quam perceptionem, seu cognitionem in brutis reperiiri, alibi negavimus.

### PROPOSITIO VI.

*Impressiones ab obiectis in sensoria non sunt mediis illis speciebus, que ab Aristotelicis communiter admittuntur.*

**C**ommunis est Peripateticorum sententia supradicta: motiones, aut impressiones fieri in sensibus ab obiectis, mediis quibusdam speciebus, quas intentionales appellant, & obiectivas. Has tamquam ficticias rejiciunt communiter recentiores Philosophi, ut Franc.

Franc. Bayle *Phys. partic. tract. 2. lib. 2. sect. 2. disp. 1.* art. 4. num. 18. Antonio le Grand *part. 8. art. 10.* R.P. Saguens *Phys. disp. 3. art. 6. num. 8.* & aliis communiter. Affero itaque nullas dari species intentionales obiectivas, quales Peripatetici communiter adducunt.

Probatur 1. Quia intelligi nullatenus potest, que sit prædictarum specierum natura: neque enim sunt corpus, ut fatentur Adversarii; neque spiritus; unde nulla de ipsis idea formari potest: ergo non sunt admittenda. Probatur 2. Quia prorsus inexplicabile est, qualiter ab obiectis producantur: vel enim postquam producta sunt conservantur, vel pereunt. Si primum, ergo absente obiecto conservarentur, & visus ex gr. eodem modo immutaretur absente obiecto, ac ipso praesente: & consequenter eodem modo videretur, quod est ridiculum: si pereunt statim ac sunt producta: ergo singulis instantibus, & in singulis mediis partibus assignabilibus noviter producuntur: at si ita sit, certe visibilium species obiectum reperfarent etiam in tenebris, aut si defectu luminis ad sensorium non veniuntur, saltim frustra tunc producuntur, ab obiectis.

Probatnr 3. Quia prædictæ species sunt prorsus inutilis: nam ad gustum v. gr. efficiendum proculdubio sufficient sales rerum gustabilium, que organi fibras vellicant, ac movent: similiter ad odoratum sulphureæ particulae sufficient, ut sensoris fibrillas immutent: ad auditum nihil præter aeris undulantis ad tympanum appulsus requiritur, ut fiat auditio: quemadmodum & ad visum, modificati luminis incursiones: & ad tactum, rerum tactibilium applicatio: ergo omnino gratis præfatae species effectæ sunt, cum ad sensa:

tiones efficiendas sint iunctiles. Si tamen velis lumen ab obiectis modicatum, & ab eisdem ad oculos reflexum esse species visus: & aeris undulationes esse species auditus, id admittere nullatenus renuam, ut postea patet.

## C A P U T II.

*De sensibus in particulari, praecepue exteris.*

## PROPOSITIO VII.

*Sensuum distinctio, & numerus determinatur.*

**S**ENSUUM prima divisio est in *internos*, & *externos*. Sensus *Interni* sunt, qui in intimis corporis partibus existunt: *externi* vero, qui in exterioribus corporis partibus sunt collocati.

2. Sensus externi communiter quinque enumerantur, videlicet *Visus*, *Auditus*, *Gustus*, *Odoratus*, & *Tactus*. Sensus autem interni juxta Aristotelicos quinque etiam sunt, nempe *Sensus communis*, *Phantasia*, *Imaginativa*, *Memoria*, & *Cogitativa*, seu *Affinitativa*: licet aliqui confundentes *Imaginativam* cum *Phantasia*, quatuor tantum enumerent. Alii autem praedictis aliis sensus addunt. Quid autem circa praedictam sensuum divisionem, & essentiam dicendum videatur, breviter aperiam.

Affero 1. *In rigore loquendo unicum esse sensum, seu unicum facultatem sensitivam: quæ variis organis distincta est, quibus utitur ad diversas specificè sensations efficiendas. Ratio est, quia omnes sensations*

tan-

tantum inchoative in organis peculiaribus afficiuntur, nec complentur nisi in sensu communi, ut ex praecedentibus propositionibus constat: immo hoc praoccupato, aut impedito, nulla in sensibus peculiaribus, seu privatis sit sensatio: ergo in rigore unicus tantum est sensus, seu potentia sensitiva, quæ per diversa organa sive interna, sive externa diversas sensations elicet. An autem praefata organa privata appellari debeant sensus diversi; vel tantum diversa ejusdem sensus, seu facultatis organa, quæstio est de voce; nec in Logomachia est harendum.

Affero 2. *Dari sensus particulares internos, & externos in sensu predicto, prater sensum communem.* Hæc conclusio satis colligitur ex dictis: & insuper experientia probatur. Nam in animalibus partes quædam sunt, quæ per peculiarem, ac convenientem structuram, modumque substantiæ, aptæ sunt, ut certo modo ab obiectis sensibilibus mediate, aut immediate afficiantur, & per has in eis suscepitas affectiones, animalia ad motus quosdam determinantur, nempe fugæ, prosequitionis, &c. Sed in hac dispositione sita est ratio sensorii, aut organi sensus: ergo, &c. Quanta autem sit harum partium in structura, ac dispositione varietas, ex dicendis de quolibet sensu in particulari, tum interno, tum externo luculentur patebit.

Affero 3. *Sensus externos in homine, & animalibus terrestribus perfectioribus esse quinque suprà memoratos, satisque vulgares: nempe Visus, cuius organa sunt oculi, qui lucidis coloratisque obiectis afficiuntur.*

2. *Auditus*, cuius organa *Aures* sunt sonis excipendiis accommodata. 3. *Odoratus*, cuius organa intra nares condita sunt. 4. *Gustus*, cuius organum lingua inhæret, aut ut plerique censem, in palato. 5. *Tactus*, cuius

jus instrumenta per totum corpus intrinsecūs, & extrinsecūs sunt dispersa. Numerus autem sensuum internorum incertus est; scimus enim præter ea, quæ suprà enumerata sunt, alia reperiuntur; qualis est famis sensorium, in orificio superiori ventriculi situm: tum & sitis sensorium, quod potissimum in fauibus est collatum.

Advertendum insuper est, non omnes sensus suprà enarratos in singulis animalibus reperiiri: imperfecta enim animalia, quia ad pauciores functiones sunt destinata, paucioribusque motibus agent, ut sibi congrua quarant, paucioribus sensibus sunt instructa. Sic quædam solo tactu gaudent, qualia sunt ostra, & alia quæ certis locis sunt affixa. Alia vero visu delectata esse videntur, quorum pleraque ad exploranda circumstantia obiecta, cornibus utuntur, ut cæcus baculo: tales esse creduntur Limaces, Cancri. Locusta, & fortè alia.

### PROPOSITIO VIII.

*Quæ ad tactum, ejusque organum spectant, endantur.*

**S**ensus tactus est omnium maximè necessarius; ideoque omnibus animalibus concessum est: ipsoque tamquam lorica, totum eorum corpus obducitur. Dicitur autem *Tactus à tangendo*, quod nempè hic sensus suas functiones exerceat tantum circa corpora, quæ suo sensorio sunt contigua, quorum contactu determinatur animal ad ea fugienda, quæ ipsi molestiam, aut dñnum inducent.

Affero 1. *Organum tactus potissimum componi ex nervis, & substantia fibrosa, aut membranacea convenienter commissis.* Ratio est, quia ubicumque hæc reperiuntur, comprehenditur organum tactus, tactilium-

que impressiones experientur: & ubicumque organum tactus reperitur duo supradicta inveniuntur: ergo organum tactus ex predictis partibus componitur. Præcipua autem pars est nervea; fibrosa verò & membranosa apposita sunt ad melius, ut scilicet obiecta commodius in partem nerveam agant abique solutio- nis periculo. Quoniam verò organum tactus validiori obiectorum actioni obsistere oportebat, ideo ejus munimentum ita temperatum est, ut ejus duritie nec organum lœdatur, nec obiectorum in ipso actio impe diatur. Hinc quia in exterioribus membris tactus organum validioribus agentibus, & injuriis expositum est, quam qui in membris inerioribus reperitur, ideo illa durius habent munimentum, nam præter substantiam fibrosam, aut membranaceam fibris intertextam, illi obducitur cuticula. In interioribus verò tactus organum molliori substantia fulcitur; ea enim obiecta, quæ in illum communiter agunt, leniora sunt, ideoque si fuerint tantillum acriora, licet vix possent externum tactus organum immutare; in interno tamen sèpè intenissimos dolores excitant, ut patet in Colica: quod quidem mirabili Dei providentia dispositum est, ut in illis partibus validi motus à mediocribus agentibus excitarentur; sicut ad noxia expellenda citissimè animal moveretur.

Affero 2. *Organum tactus per omnes ferè corporis partes esse diffusum:* sic testatur experientia: substantia enim fibrosa, ac nervea, in qua predictum organum consistit, omnes ferè partes complectitur. Hinc membranæ omnes, carumque appendices, intestina, arteriæ, vesicæ, tunicæ, periostium, carnis item, & muscularum fibræ, ac præsertim nervi, & id genus alia, sentiendi facultate sunt instructa; partes vero ali quæ,

que, quæ fibroſæ, aut nervoſæ non ſunt, hujus etiam ſenſus ſunt expertes, ut Adeps, humor quilibet, ut ſanguis, cerebri medulla, in aliquibus tractib⁹ ſaltim, in quibus eſt mollior, & ſimilia.

## PROPOSITIO IX.

*Tactus affectiones explicantur.*

**O**rganum tactus eatenus ab obiectis tactibilibus afficitur, quatenus fibræ, ex quibus componitur, vel diſtenduntur, vel comprimuntur: vel roduntur, aut vellicantur, pulsantur, distrahuntur, solvuntur, vel dividuntur, aut ſcinduntur. Quælibet ex predictis fibrarum motiones, & affectiones, ad earumdem centrum, & radicem traducuntur: quod quidem centrum in cerebro pofitum eſſe afferuimus: ſicque fit tactus completa ſenſatio. Hæc autem fibrarum affectio notabilis eſſe debet; aliter enim non erit ſenſibilis. Hinc corporſculorum proſluvium, quod per inſenſilem transpirationem per medium fibrarum plexum erumpit, non ſentitur, eo quod propter materię fluentis reuinitatem parum admodum fibras afficiat.

Affectiones organi tactus, alia grata ſunt, alia ingrata, & dolorifera. Grata affectio illa eſt, qua molliſter, ac ſuavit̄ organum afficit; ut cum modico calore, blando affrictu, modicus, ac proporrionatus motus in fibris excitatur. Affectio autem ingrata eſt, quæ nimium, & ultra modum organum afficit, atque immurat, illiusque fibras, & plexum valide tendit, diſtendit, distrahit, aut ſcindit: unde affectio ingrata organum aliqua ex parte lœdit, ac mirabilem illum fibrarum plexum, & ductum ex parte ſolvit, atque à ſtuſo connaturali diſturbat. Inter actiones ingratas, dolor eſt inſigne ſymptoma tactus: in quo autem ſita sit

hæc

hæc moleſta tactus affectio, non omnes Auctores conueniunt; plures enim præterim antiqui, videntes ad vehementiores obiectorum in ſenſorium tactus actiones, ſequi communiter ſolutionem continuū, affectiōneſ dolorificam in hac ſolutione ſitam eſſe dixerunt. Verū hoc falſum eſſe inde probatur, quod velociſ partium ſenſibilium ſectiones, aut cum nullo, aut exiguo dolore ſiant: qui certè acerbissimus eſſe deberet, cum fibræ quamplurimæ ſimul, & celertim ſecentur.

Aſſero itaque dolorem conſiſtere in ea tensione, diſtractione, aut diſtensione fibrarum nervearum, qua ipſe fibra in proximo conſtituantur ſolutionis periculo, ita ut si tensio tantillum augeatur, fiat ea ſolutio, qua facta, ceſſat dolor. Hoc ita eſſe ſuadetur, ex vehementibus motibus, ad quos animalia, vi moleſta illius affectionis determinantur, quæ non niſi à vehementibus fibrarum tensionibus queunt excitari. Tum etiam eadem conuincio ſuadetur ex medela affectionem illam ſedante: ea enim omnia dolorem leniunt, quæ fibrarum tensionem tollunt, qualia ſunt relaxantia, & emollientia medicamenta.

Ex his quæ diximus, aliquæ tactus affectiones poſſunt explicari. Quæres itaque i. In quo titillatio conſiſtar. Respondeo, titillationem eſſe affectionem mixtam doloris, & voluptatis, quæ inducitur cum alternati, & ſubito ſiunt fibrarum nervearum tensiones, & relaxations: cum enim à tensione aliqua in ſtatum connaturalem breviter revocantur, jucundior fit affectio: & quemadmodum in Musica ex debitè coniunctis, ac colligatis conſonis intervallis cum diſsonis, gratior auditui ſonus aſſurgit: ita ex alternatis illis tensionibus, & relaxationibus fibrarum, gratiſſima ta-

etui

qui affectio producitur.

Quæres 2. Cur viva caro, ut ajunt, detracta cuticula, acutiore sensu polleat. Respondeo: quia cuticula multas habet fibras sensu carentes, ita ut absque ullo sensu cultello resecantur; fibræ autem illa interiores, nervosæ, & teneriores sunt, magisque aptæ ad minimam etiam affectionem recipiendam.

Quæres 3. Cur nonnulli titillationem adeo timent. Respondeo: quia nerveas fibras in cutem distributas dociliores habent, ac expeditiores: cumque levi affitu plures simul moveantur, multiplex affectio in cerebrum traducitur; & consequenter ad diversos motus determinatio: hinc risus, corporis agitatio, &c. Similiter ex dictis alia resolvēs.

#### PROPOSITIO X.

*Quæ ad gustum, ejusque organum pertinent exempla ponuntur.*

**S**ensorium gustus extra os non extenditur; sed intra ejus terminos concluditur: sedem autem habet in lingua. Ratio est, quia ibi situm est gustatus organum, ubi à corporibus sapidis illæ peculiares affectiones excitantur, quas saporum sensationes appellamus: sed eiusmodi affectiones excitantur in lingua: ergo organum gustus in lingua hospitatur. Si quæ autem fiant prædictarum affectionum in palato, aut aliis oris partibus, obscuriores sunt, ideoque sedes præcipua hujus sensorii est in lingua.

Provenit autem in lingua gustatus organum ex speciali textura fibrarum nervearum, aliarumque ita convenienter complicatorum, ut facile à particulis sapidis hoc, aut illo modo afficiantur. Marcelus Malpighius, & alii censent, hoc organum consistere in papillis, quæ

in

in superiore linguae parte confertæ reperiuntur, quas saltim maximè conferre ad gustatus affectionem recipiendam, certum esse existimo: quia partes linguae prædictis papillis destitutæ, gustandi etiam facultate carent.

Papille autem prædictæ emergunt ab intima, & tenui membrana, qua sub ea, quam glutinosam vocant, existit: & in hac statuendum esse præcipue organum Gustus, inde suadetur, quod sapida non afficiant præfatum organum, nisi fuerint tenui aliquo liquore soluta, ut scilicet eo vehiculo possint per exteriorem linguam membranam, ac per medium seu glutinosam, in animalibus, in quibus hæc reperitur, trajiciantur. Quam ob causam tot sunt canales, per quos saliva in os derivatur, ut scilicet alimenta dissolvat, ac faciliter ad prædictum organum gustus devehat. Hinc fit, ut si lingua in suavi aliquo humore fuerit imbuta, alimenta etiam suavia, ingratum saporem referre videantur, quod nempe humor ille, simul cum alimenti sapore ad gustus sensorium deferatur.

#### PROPOSITIO XI.

*Quæ ad odoratum, & ejus organum spectant exempla explicantur.*

**C**irca locum ubi olfactus organum situm est, non parum controvertitur. Communis veterum sententia tenet consistere in processibus mamillaribus cerebri: sunt autem processus mamillares quædam anterioris partis cerebri protuberantie. Alii verò censent organum olfactus consistere in ipsis naribus, stareque in tenuissima illa membrana, quæ lamellis quibusdam ossis, exiliissimis, ac valde convolutis, in fundo narium sitis, & ossi criboso adhaerentibus, obducitur.

Ita

Ita P. Honorat. Fabri lib. 2. de Homine prop. 56. Bayle Traet. 2. de Corp. animato. lib. 2. sec. 2. disp. 2. ar. 5. n. 15. & alii plerique.

Affero 1. Olfactus organum in processibus mamillaribus praeditis non esse positum. Probatur 1. Nam organum sensus externi extra cerebrum positum esse debet, & licet substantiam nervosam ex cerebro derivatam accipiat, distinctum tamen à cerebro esse debet: sed processus illi mamillares re vera in cerebro sunt, & ex ipsa cerebri substantia, & medulla constant; ergo olfactus organum in ipsis non residet. Et confirmatur: nam organa sensuum externorum ex nerveis fibris mirificè contextuuntur: sed processus mamillares nervi non sunt, cum longè sint nervis moliores; nec alius est qui illos inter nervos recenscat: ergo, &c. Probatur 2. Quia nullè odoribus patent via ad processus mamillares: exilissima enim osis cribosi foramina, quibus halitus odorati ad cerebrum traduci deberent, sunt exactissimè obturata fibris membranosis, è dura, vel tenui matre ad tenuem membranam illam protensis, quam statim organum olfactus esse dicemus: ergo praediti processus non sunt hujus sensorii organum.

Affero 2. Organum olfactus residere in illa membrana tenuissima, quam supra memoravimus, quamvis diximus lamellis tenuissimis esse obductam. Ratio est, quia in ipsa fit nervorum ex tertio cerebri pati praectorum mirabilis distributio, quorum tunica in membranam extenditur; interior verò portio huic olfactus facultati famulatur, quatenus nempe in singularem, & accuratum fibrarum plexum abit: cumque hæc membrana intra nares existat, in quibus re vera nos odorari experimur; certè ipsa est, quæ organum

ol-

olfactus continet, & constituit. In quo autem odores, quemadmodum & sapores consistant, jam alibi diximus, cum de statu corporum sensibili tractaremus. Est autem inter sapores, & odores: tum & inter gustatum, & olfactum insignis cognatio, non modo propter organorum viciniam, ac connexionem, aut etiam propter officiorum similitudinem; verùm etiam propter officii, & exercitii societatem; olfactus enim positus est veluti primus alimentorum explorator, ne quæ noxia sunt, temerè sumantur, in corporis notabile nocumentum.

## PROPOSITIO XII.

*Quæ ad Auditum, ejusque organum pertinent, enucleantur.*

Auditus organum excellentiori constat structura, quam sensoria hucusque explicata: cum enim corpora sonora non applicentur immediatè huic sensorio, sed media aëris motione, & appulsi, idcirco præstantiori partium artificio construi oportuit. Organum itaque auditus duabus partibus constat, altera interna, altera externa. Auris externa duabus etiam partibus constat, videlicet *Auricula*, & *meatus auditorius*. Auricula, quæ tota extra cranium patet, expansa est in homine, & aliquantulum complanata, variis anfractibus inæqualis, qui tandem definunt in cavitatem illam, quam *Concha* appellant. Hanc excipit ductus, seu meatus auditorius, qui versus tympani membranam protenditur: estque prædictus meatus partim osseus: pars autem hæc est productio conchæ coarctata, ac quibusdam incisuris dividitur; partes tamen pelli connectuntur, quæ prædicti meatus integratio.

riora vestit: huic pelli glandulæ insunt, quibus extillat cerumen illud, seu succus subflavus, quo meatus auditorius solet occupari, quive exsiccatione sensim evadit glutinosus.

Extremitati inferiori meatus auditorii obtenditur membrana tympani, quæ prædictum meatum exactè claudit, estque ferè circularis, sicca, tenuis, firma, & pellucida: tum & tensa, ac in Homine ad meatum auditorium obliqua; in bruis autem recta; ipsaque se junguntur partes internæ auris ab externis. Hanc membranam sequitur immediatè cavitas tympani, estque anfractuosa, inæqualis, plurimisque cavitatibus constans, ex quibus angusta specus formatur, quæ cum aliis cavitatibus communicans, corpus spongiosum in homine constituit. Ex prædicta cavitate, seu specu duo deducuntur canales, quorum alter ad anteriora positus *Aquæductus* appellatur, & in palatum aperitur; alter verò oppositus in superiori parte cavitatis situs, aperitur in sinus processus mamillaris: in parte autem superiore ejusdem conspicitur fovea, quæ trium ossiculorum capita excipit.

In Tympani cavitate hæc occurruunt observanda: *Canales duo*, totidem *Hiatus*, seu foramina; *Ossicula quatuor*, tres *Musculi*, & unus *Nervus*. Ex canaliculis, ille qui in palatum definit, vocatur *Aquæductus*, eo quod humores, qui in cavitate tympani colliguntur, extrorsum deducit. Alter canalis osseus est, & è tympani cavitate deducitur.

Duo *Foramina* cavitatis tympani sita sunt in superficie ossis petroſi, quorum alterum, quod à figura *ovale* appellatur, habet in fundo quasi marginem quandam, cui insit basis ossiculi, quod *Stapedem* appellant: alterum foramen, quod vocant *Rotundum*,

ha-

habet in media crassitie incissuram, cui inserta est quedam membrana sicca, tenuis, & pellucida.

*Ossicula* in tympani cavitate contenta, sunt *Malleus*, *Incus*, & *Stapes*: tum & aliud ossiculum, quod cum incide articulatur. *Malleus* autem incidi coarticulatus est, & haec stapedi. *Praefata* autem nomina sunt fortia à figura, qua præfatis rebus assimilantur.

Trium musculorum tympani cavitate contentorum, duo inseruntur in *Malleum*; tertius verò ad *Stapedem* spectat; hujus enim capiti tendine inseritur; chorda autem tenuis membranæ tympani attenditur, quæ ramus esse creditur quinti paris nervorum. Est & alia auris pars, quæ *Laberynthus* appellatur, eo scilicet quod sit valde anfractuosa, de qua quemadmodum, & de aliis organi auditorii partibus satis: hæc enim sufficiunt ad ea explicanda, quæ ad auditum spectant.

### PROPOSITIO XIII.

*Usus organi auditorii, & alia ad auditum pertinencia exponuntur.*

**O**rganum auditus ita comparatum est, ut impulsiones & affectiones in ipso factas à corporibus sonoris excipiat, & ad sensorium commune traducat. In Tractatu autem de Sono diximus, prædictas affectiones, & impulsiones nihil aliud esse quam tremulus vibrationum motus ab aëris appulsi immediatè factus, quatenus hic à corpore sonoro undatim vibratur. Videamus autem oportet, quid ad supradictum munus qualibet organi pars conferat; & in qua potissimum auditionem fieri dicamus.

1. Certum est auditionem in externa auricula non fieri, nec in meatu auditorio: *Praecipuus* enim auri-

206 TRACT. X. DE ANIMALIBUS.  
cula usus est, ut sua amplitudine majorem undantis  
aëris copiam complectatur, & illius impulsiones in  
meatum auditorium dirigat: hōjusque usus est, ut ex-  
adem impressiones in ipso collecte intendantur, intus-  
que dirigantur. Certum etiam est, non fieri auditio-  
nem in ossibus; ossa enim non sentiunt. Item neque  
in membrana, quæ osi petroso obducitur, quia affec-  
tio, quam tremulus aëris motus imprimit, illi com-  
municari non potest. Tum neque sit auditio, ut ple-  
riique volunt, in aëre innato; nec enim aër sentit, nec  
spiritus animales sentiunt, aut audiant, licet sint sensa-  
tionum instrumenta. Tum nec fieri in nervis auditio-  
riis intra cavernulas illas latentibus existimo, licet ita  
communiter tum Philosophi, tum Medici fieri velint:  
nihil enim speciale in his nervis reperitur, quod in  
aliis non observetur.

Affero itaque auditionem fieri in ipso tympano au-  
ris, ac potissimum in ejusdem membrana. Ratio est  
quia tympani hujus membrana ad id muneric aptissi-  
ma est; densissima enim est, tenuis, ac valde secca,  
ac tensa: & consequenter maximè proportionata, ut à  
tremulo aëris appulsa similem tremorem concipiat,  
quem mediis fibrillis nervis ad cerebrum, sferiorum  
que commune traducat, fiatque auditionis sensatio  
completa. Accedit quod prædicta membrana ad im-  
pulsiones cuiuscumque generis facilimè se componat,  
aucta nempe tensione, aut relaxatione, juxta sonos  
acutos, aut graves, quibus aër undulatur, ac concu-  
titur, ut diximus in Tract. de Sono; & in Comp. Ma-  
them. Tract. 6. lib. 1. prop. 7. ipsa ergo est pars, in qua  
potissimum auditio efficitur.

Dixi potissimum, quia tamquam certum existimo,  
alias etiam hujus organi auditorii partes ad auditio-  
nem

LIBER VI. CAPUT II. 207  
nem concurrende, licet minus principaliter. Membra-  
na itaque tympani, lamina item spiralis, quæ circa  
medium cochlear spiraliter circumflectitur, tum &  
membrana reliqua, singula suo modo ad sonos exci-  
piendos, & ad sensum communem deferendos condu-  
cunt. Quemadmodum enim chordarum cythara vi-  
brationes, per manubrium dentibus prehensum inter-  
ioribus partibus communicantur, ita & vibrationes  
in membrana tympani primùm excitata, ceteris par-  
tibus communicantur, & ad usque sferorium com-  
mune transferuntur.

Ex his quæ nuperrimè diximus, & quæ in locis ci-  
tatis explicuimus aperte colligitur, nullas dari species  
auditus distinctas à prædictis affectionibus, seu vibra-  
toris motibus: nisi enim aër undatim tremulo motu  
ad tympani membranam appellatur, nulla affectio  
imprimi potest: igitur cum motus aëris ad tympanum  
usque immediate pulsandum, ac movendum diffun-  
dantur, alia species per medium diffusa omnino su-  
perfluent. Quid quod ipsæ inintelligibiles prorsus  
sunt. Prædictæ autem impressiones in tympano re-  
ceptæ, verè species possunt appellari, & formæ in ma-  
teria, ut loquitur Aristoteles, que nempe determinan-  
& complent potentiam, huic organo inexistentem. Quæ autem circa sonum dubitari, & inquire  
possunt, locis citatis abunde pertractavimus.

#### PROPOSITIO XIV.

*Organum Vitis describitur.*

Cum Vitis cæteris sensibus sit longe præstantior,  
ejus organum sibi jure vendicavit excellentio-  
rem structuram, in qua mirificè Conditoris sapien-  
tia, & providentia resplendet. Hanc breviter exponam.

1. Ocu-

1. Oculi figuram habent sphericam, ideoque intra excavatas in calvaria foveas, quas *orbitas* vocant, sunt collocati: eorum anterior pars munitur supernè superciliis, quarum prominentibus pilis, ea ab oculis arcen-  
tur, quæ supernè deorsum labuntur. Totum autem anterius hemisphærium palpebris obtegitur, quæ in quolibet hominis oculo duæ sunt, altera superior, al-  
tera inferior, quorum margines prominentibus pilis sunt munitæ, ad majorem oculorum tutamen: in ho-  
mīne autem sola palpebra superior est mobilis, eam enim sursum trahit quidam musculus, eandemque alter musculus deprimit. Palpebre interiùs exiles habent glandulas; potissima tamen, & major est, qua ad mi-  
norem oculi canthum sita, succum colligit, qui tum oculum abluit, qui cum abundantius extillat, ita ut intus recipi nequeat, exudat in faciem, ejusque guttae lacrymæ appellantur: ideoque prædicta glandula lacry-  
malis appellatur.

2. Componitur autem oculus ex tribus præcipuis humoribus, nempe *Aquo crystallino*, & *Vitreo*, qui quatuor membranis, seu tunicis continentur. Ut au-  
tem hęc melius intelligentur, inspiciat fig. 1. Quæ oculum exhibet per axem bifariam, secutum, plano scilicet per crystallinum perpendiculariter ducto: in qua figura, ex centro O quatuor ducti sunt arcus con-  
centrici, qui ad chordam AB terminantur: hi igitur quatuor posteriores tunicas exhibent, ex quibus anti-  
cę derivantur. Prima ex posterioribus, quæ nempe ex-  
terior est, vocatur *Sclerodes*; qua deinde sequitur, *Choroides*: tercia *Retina*: interior denique *Hyaloides*: istæ omnes in futuram quandam cōmūnem desinunt ad instar corone, scilicet EAEB: hique sunt processus ci-  
liares: ex his processibus, seu potius ex iisdem tuni-  
cis

cis prædictis, anticę tunice oriuntur, quārum exte-  
rior, nempe AKB, appellatur *Cornea*: interior aper-  
ta in MN *Uvea*, aut *Iris* dicitur. *Crystallinus* item EIFH sua etiam subtilissima tunica munitur, quæ *Aranea* vocatur, quæ quemadmodum *Hyaloides* ex iisdem processibus ortum dicit. His autem tunicis ac-  
cedit membrana, quæ *Adnata*, seu *conjunctiva* no-  
minatur, quæ oculi bulbus in sua orbita continet, of-  
fibusque connectit, quæ à pericranio orta, per totum oculi ambitum usque ad Iridis circulum producitur.  
Sed jam prædictas tunicas, & humores, quorum situs figura exhibuit, singulatim exponamus.

Prima tunica earum, quæ oculum componunt, est *Sclerodes*, seu *Sclerotica*, sic à duritate dicta, estque expansio duræ meningis, totumque oculum involvit: crassa est, dura, densa, æqualis, ac posterius opaca; anteriùs vero, qua parte radios lucis ad interiora oculi traducit, polita est, & cornu instar diaphana, qua de causa, hac ejus pars *Cornea* appellatur. Post hanc tunicam sequitur *Choroides*, sic à tenuitate appellata, quæ chorium imitatur: oculi autem humores comple-  
ctitur, & à tenio matre ortum dicit: pars ejus ante-  
rior ab Uvę similitudine appellatur *Uvea*, crassior est,  
& opaca, ideoque ad radiorum lucis transmissionem in medio est perforata: hoc autem ejus foramen dicitur *Pupilla*. Hęc tunica in diversis animalibus, immo & in hominibus non eundem colorem habet; in aliis enim nigra est, in aliis cœrulea, cœlia, aut alterius co-  
loris. Hęc autem tunica talis texturę est, ut ad lucis, aut caloris præsentiam facilimè dilatetur: in lucis ve-  
rò absencia, aut frigoris præsentia constringatur, quo fit ut ad lucis, seu caloris illapsum pupilla constringa-  
tur: necesse enim est, ut Uveę dilatatione pupile fo-

ramen constringatur; & è conversò, frigore, ac lucis absentia dilatetur: constricta enim uvea, necesse est pupillam dilatari: idque maxima providentia cautum est, ne nimium aperta pupilla excessus luminis oculis noceret.

Tertia membrana *Retina* appellatur, quod nempe retis formam exhibeat, ideoque & *Retiformis* solet nuncupari: hæc tunica nihil aliud est, quam expansio quedam substantiæ medullaris nervi optici: occupat autem posteriorem partem oculi, & extenditur usque ad terminos uveæ, ubi illi adnectantur processus ciliares: illa autem substantiæ medullaris expansio ita sit ut extimarom fibrarum extrema in externo retinæ ambitu desinant; intimè verò in centro ipsius nervi optici; reliqua verò fibre suo ordine ad loca intermedia terminantur: mollissima autem est, ut facile possit lucis impulsionibus affici, & commoveri. Sed jam ad oculi humores veniamus, qui ut diximus sunt tres *Aqueus*, *Crystallinus*, & *Vitreus*, omnes pellucidi, ac omnis coloris expertes.

Humor *aqueus* paucus est, & tenuissimus, existitque inter Corneam, Uveam, & Crystallinum. Humor *vitreus* mole quadruplus est, aut quintuplus humoris aquei, minoremque habet fluiditatem: oculi posteriora occupat inter retinam, processus ciliares, & crystallinum, quo sit ut posteriore parte sit convexus, anteriore verò concavus, ut nempe ea cavitate crystallinum excipiat: in parte etiam anteriori, pellicula induitur subtilissima, quæ vitrea appellatur. Humor autem crystallinus ita dicitur, quod nempe instar crystalli purissimæ sit pellucidus: longè majorem habet consistentiam, quam cæteri humores: illius figura est lenticularis, ideoque *Oculi lens* solet appellari: ita au-

tem inter humorem vitreum, & aqueum collocatus est, ut linea per illius centrum, & centrum pupillæ ducta sit utriusque illius superficie perpendicularis, simulque sit *Oculi axis*. Convexitas autem crystallini utrinque est ferè orbicularis; & in homine sene ut plurimum magis complanata, quam in juvene. Investitur autem tenuissima, ac pellucida tunica, quæ vocatur *Aranea*: ex toto autem crystallini ambitu fibre tenuissimæ erumpunt radiorum instar, quæ ad Uveæ ambitum in Coroidem desinunt, quibus fibris crystallinus in sua sede firmatur, quæ quidem fibræ *processus ciliares* appellantur, ob similitudinem, quam cum ciliorum pilis referunt.

Præter tunicas, & humores memoratos, in Homine præcipue sex musculi reperiuntur, quorum ope oculi varie moventur, quorum quatuor *recti* vocantur; reliqui verò *obliqui*. Quatuor musculis rectis movetur oculus dextrorsum, sinistrorsum, sursum, atque deorsum: duo autem obliqui, seu circulares, hiuc inde se se contrahentes, oculi quem constringunt latitudinem minuant, augentque longitudinem, prout sepe opus est ad visionem distinctam efficiendam. Nervi demum optici restant, verū de his satis egimus lib. 3. prop. 21.

### PROPOSITIO XV.

*Usus partium oculi exponitur, ac tam mirabilis fabricæ finis determinatur.*

**O**Culum esse organum visus, ejusque obiectum esse corpora quacumque splendida, & illuminata, certissimum est: hæc autem obiecta ad visionem conferre, est etiam perspicuum, cum vel ipsis deficiens, aut obice inter ipsa, & oculum posito, cer-

ni nullatenus poscit. Concurrunt itaque obiecta visibilia ad visionem, quatenus modicatum lumen organo visus emitunt, ut alibi diximus, cum de luce, & coloribus ageremus: hoc autem lumen immisum *specierum* nomine donamus, ob rationem infra reddendam. Cum itaque lumen ita sit ad visionem necessarium, idcirco oculus ita à Deo Opifice constructum est, ut conveniens lumini ad usque intima oculi pateat via: cum demum lumen non nisi pellucida corpora permeare valeat, idcirco oculos ex diaphanis corporibus construxit: & quoniam Uveam opacam esse oportebat, hac de causa in ea pupillę foramen, qualis fenestram aperuit, qua luminis pateret ingressus.

Cornea itaque, & tres humores insigniter sunt perspiciui, ut lucis, colorumque radiationes facilius in interiora oculi transmittant. Crystallinus autem humor figura lenticulari donatur, ut scilicet luminis, specierumve radii, media refractione inflexi, ad debita loca deveniant, ibique uniantur: hacque unione conjuncti, fortius ibidem operentur. Quod ut evidenter percipiatur, sit in figura 2. Crystallinum A: obiectum autem sit CE. Certum est autem juxta Dioptrices leges, omnes radios, qui ex C in crystallini A superficiem incident, facta in crystallino refractione, ita inflecti, ut omnes concurvant in puncto G. Similiter omnes, qui ex E proficiuntur, uniantur in puncto F: similiter alii ex ceteris obiecti CE partibus orti, in certis, ac determinatis punctis inter F, & G uniantur: ergo ope crystallini omnia obiecti puncta potentius in retinam agunt: tum & distinctius, omni nempe confusione remota; cum nullus radius ex C profectus in aliud punctum nisi in G terminetur, nec aliquis ex E progressus alio incidat, nisi in F; quod cum unicè à

cry-

crystallino dependeat, certè ipso deficiente, prasata obiectorum in sensum actio prorsus deficeret. Ut hæc melius percipiatur, videantur dicta in Tract. de Lumine, corporibusque diaphanis.

Uveam autem opacam esse fuit necesse, ne oculus aliud lumen admitteret præter illud, quod per parvum pupillę foramen ingredi potest. Si enim totus crystallinus pateret, nimia luminis copia ingens damnum oculo inferret; non enim absimili efficacia crystallinus Soli expositus, luminis trajectione ignem accenderet, ac vitrum lenticulare simili convexitate præditum: oportuit igitur Uveam ita tegere crystallinum, ut illud tantum ab obiectis lumen admitteret, quod visioni perficienda foret proportionatum. Uvea autem foramen, seu pupilla, ita mirabili artificio dispositum est, ut in præsencia obiecti modicum lumen emittentis magis aperiatur, ut eam luminis copiam recipiat, quæ ad illius visionem requiritur: & è contra, in præsencia obiecti nimium illustris, valdesque splendentis, pupilla claudatur, ne plus luminis, quam ad visionem obiecti requiritur, admitteret, cum ipsius etiam oculi detrimento. Proveniunt autem dicti motus, ac vicissitudines pupillæ, non à nostra voluntate; sed ab ipsius obiecti majori, aut minori fulgore: in præsencia enim obiecti valde illustris, ab ipso luminis, & caloris cum comitantis excessu, Uvea rarescit: & consequenter ejusdem foramen, seu pupilla aliquantulo occluditur, ac redditur minor; & è converso, hac majoris luminis absentia Uvea constringitur, ac per consequens Uvea dilatatur, & aperitur.

Humor autem aqueus ad id necessarius fuit, ut Uvea in suo debito situ, ac temperie sisteretur. Similiterque opus fuit vitreo humore, ut retina in debita

à crystallino distantia persisteret. Tunicæ autem reliquæ supra memorata ad id tandem adhibitæ sunt, ut praefatos oculi humores, ne diffuerent, clauderent, ac continerent.

## PROPOSITIO XVI.

*Hinc ad visionem præcipuas partes agit crystallinus; visio tamen fit in retina.*

**E**X his, quæ in præcedenti prop. diximus luculentem patet crystallinum inter cæteras oculi partes, potissimum esse ad visionem instrumentum, cum suscepimus ab obiecto species, seu luminis radiationes ad determinata retinæ loca deducat, distribuat, ac refractionis ope debite conjugat. In ipso tamen, nec in aliis oculi humoribus non fieri visionem, seu non excitari illam affectionem, quam sensatio lucidorum, aut visibilium sequitur, manifestè probatur 1. Nam pars in qua sensatio quævis, qualis est visio exercetur, debet necessario esse sensu prædicta: sed humores, qualis est crystallinus, sensu carent: ergo in ipsis visio fieri nequit. Minor prob, nam partes in quibus nulli sunt nervi, aut nervorum fibræ, sensu carent: sed in humoribus nullæ sunt nervorum fibræ: ergo, &c.

Probatur 2. Nam ab eodem obiecti puncto, & à singulis ejus punctis in omnes, & singulas crystallini partes, radii emittuntur, & in his recipiuntur: non enim obiecti radiationes distribuuntur, & cōgregantur, nisi ad alteram crystallini partem, & ad determinatam ab eo distantiam: ergo quodlibet obiecti visibilis punctum representaretur in omnibus crystallini partibus: & omnia ejusdem obiecti puncta in singulis crystallini partibus: ergo omnes species in crystallino permixtae sunt, & valde confusa: nulla ergo in eo fieri potest per-

perceptio distincta, qualis esse debet visio: ergo crystallinus ineptus prorsùs est, ut in ipso efficiatur visio. Probatur 3. Nam crystallinus, cæterique humores maximè sunt pellucidi: ergo in ipsis radii luminis, & specierum non sstant: & consequenter ab eis affici nequeunt, ut visio efficiatur.

Affero itaque visionem fieri in retina. Probatur 1. Nam ibi fit visio, ubi præter requisita ad sensationem, efficiens, ac distinctius agunt obiecta visibilia mediis speciebus: sed nulla est alia oculi pars, in qua efficiens, ac distinctius operentur obiecta visibilia, nisi retina, cui insuper cuncta ad sensationem requisita insunt: ergo in ipsa fit visio. Major est certa: minor prob. Primò enim retina eximio constat subtilissimorum fibrarum plexu, in quo exquisitam sensationem residere jam diximus. 2. Ope crystallini luminis, ac specierum radiationes refringentis, fit in retina efficiens, ac distinctior obiectorum actio, quatenus nempe, ut diximus, omnes ejusdem puncti obiecti radii in unum, eundemque retinae punctum colliguntur, & uniantur; ita ut quæ ex diversis obiecti punctis proveniant, in diversis item retinae punctis uniantur; nec id in alia oculi parte contingit: ergo solùm in retina prefata ad visionem efficiendam requisita reperiuntur.

Probatur 2. In illa oculi parte visio fieri oportet, ex qua talis affectio ad cerebrum, sensumqæ communem transmittatur: sed hoc maximè convenit retinæ; hæc enim ab ipsa cerebri medulla ortum dicit, quæ in tenuissimas illas fibras, quasi netur, ducitur, & in retinae subtilissimum plexum conformatur: ergo, &c.

Probatur 3. Nam mirabilis illa radiorum incidentium

tum oculo distributio, & collectio ope crystallini facta, in illa parte fieri debet, ubi efficitur visio; aliter enim frustra fieret: sed praedicta radiorum distributio, & collectio fit in fundo retinae, ut supra diximus: ergo in ipso fiet visio. Et confirmatur, nam retina ita in fundo oculi disposita est, ut in ea fiat quamoptimè, & congruenter basis distinctionis, ita ut in ipsa obiecta clare, & distincte luminis radii de pingantur: sed hoc ad nihil aliud dispositum esse videtur, quam ut in eo fiat clara, ac distincta obiectorum visio: ergo, &c. Major patet experientia. Si enim ab oculo vituli recenter mactati omnes posteriores membranae detrahantur usque ad humorem vitreum, & loco retinae ovi testa, aut ejusdem membranula convenienter aptetur; & oculus sic preparatus ita in foramine concavis undique clausi aptetur, ut pupilla ad exteriora cubiculi spectet, obiecta extra cubiculum existentia suis coloribus depicta, in ovi testa, aut membranula conspicientur: non secus ac cum foraminis fenestra vitrea lens convexa aptatur, ac charta debita in distantia opponitur, obiecta extra cubiculum existentia, in praedicta charta propriis coloribus apparente distincta: idem igitur ope crystallini fit in retina: radii enim per pupillam foramen ingredi, in crystallinum incidentes, obiecta in retina perfectissime de pingant. Verum in re tam perspicua jam diutiùs, quam par eset, hasimus.

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*)

## PROPOSITIO XVII.

*Aliqua ad visionem spectantia exponuntur; & quæ contra præcedentem assertiōnēm objici possunt, enervantur.*

**A** Slero 1. *Obiecta in retina de pingi inverso situ.* Probatur 1. Experimentis in præcedenti propositiōne enarratis. Probatur 2. Sit enim in figura 3. oculi secti figura LM; obiectum verò BA: ex cuius puncto B oritur radius BCL, qui in punctum C, quod centrum convexitatis crystallini supponitur, incidens perpendicularis, sive irrefractus recta progrereditur in L; reliqui verò radii ab eodem puncto venientes, ut BF, BI, eo quod oblique incident in superficiem curvam crystallini, ope refractionis inflectuntur versus perpendiculararem BL, ac cum ipsa uniuntur in eodem puncto L retinae: ergo omnes ibidem uniti intenſe, ac omni confusione remora, de pingunt in L punctum I obiecti. Similiter radii ex puncto A progresſi, concur runt in K, ubi perfecte, ac perspicue de pingunt punctum A: similiter dicendum est de punctis intermediis: ergo in fundo retinae KL de pingitur obiectum BA inverso situ: non secus ac in experimentis supra enarratis observatur.

Hinc sumi potest argumentum adversus formatiōnem visionis in retina prop. præced. assertam. Nam si visio fieret in retina, obiecta viderentur inversa contra experientiam: ergo, &c. Anteced. prob. Nam eo modo viderentur, quo in retina sunt ab obiectis depicta: sed sunt inversæ in retina depicta: ergo viderentur inversa: non ergo fit visio in retina. Huic difficultati facile, ac perspicue respondeo afferendo, impressionem illam, quæ ab obiectis fit in retina, determinare potentiam,

tiam, tum & animam eidem potentia organicae unitam, ut videat obiectum, non in eo situ, quo in retina est depictum, seu quasi intuens praedictam imaginem reflexe, sed potius potentiam determinare, ut videat obiectum in eo situ, quem re vera extra oculum habet. Ratio autem est, quia omnes specierum radiationes, quae ex superiori parte B obiecti, ad inferiorem partem L retinae diriguntur, sua impressione ibidem facta potentiam, ac animam determinant, ut ex punto inferiore L, videat per lineam LB superiorem partem B obiecti in ipso loco B, in quo existit: ac similiter radiationes, quae ex inferiori punto A obiecti terminantur in K, potentiam determinant, ut per lineam KA videat punctum A in proprio loco A: ergo ex yi impressio-  
nis KL, qua obiectum inversè est in retina depictum, videtur obiectum A in situ recto.

Confirmatur, simulque hoc idem evidenter ostenditur in fig. 4. Si enim ex aliqua à foramine F distan-  
tia, aspiciatur turris DE, ita videbitur, ut ab oculo in  
puncto C inferiori collocato cernatur turris cacumen in proprio loco B per lineam CD: si autem oculus ponatur in puncto medio B, videbit punctum G in suo etiam loco per lineam BG. Demùm si colocetur in A, videbit turris pedem in proprio loco E per lineam AE: ergo si existeret oculus simul in omnibus punctis inter A, & C interceptis, videret turrim situ recto, singulaque ejus partes in suis propriis locis per lineas se invicem secantes in foramine F; idque tametsi punctum cacuminis D representetur in C; & pes infimus E in A: supponamus itaque foramen F esse pupillam; spatium verò ABC esse retinam; cum igitur potentia visiva, ac anima eodem tempore existat in omnibus punctis praedicti spatii inter A, & C, certe vi-

de-

debit totum obiectum DE erectum absque ulla in-  
versione, quantumvis in retina inverso situ depin-  
gatur.

Id etiam luculenter exponit Renatus Descartes exemplo cæci, qui baculis divaricatis attingit murum. In fig. 5. Pars inferior muri ope resistentia per baculum OP, cæci tactum ita determinat, ut cæcus verè percipiat se insimam parietis partem contingere, quamvis resistentia experietur in manu superiori O: & si-  
militer resistentia partis superioris N per baculum NM, ipsum determinat, ut percipiat contingere par-  
tem superiore N, licet impulsio fiat in manu inferio-  
ri M: licet ergo impulsiones in O, & M, inversæ sint respectu punctorum N, P obiecti, à quo oriuntur, sen-  
tit ac percipit cæcus obiectum ut est in se: similiter igitur quantumvis radiationes obiecti per pupilam in retinam divaricentur, & inversè illam afficiant; poten-  
tia tamen visiva obiectum videbit, non inversum, sed erectum prout est in se.

Affero 2. *Licet obiectum per diversas radiationes, in idem retinae punctum concurrentes videatur, non multiplex appareat, sed unum.* Poterat adhuc adver-  
sus nostram sententiam sequens objici difficultas. Si visio eo, quo diximus modo, fieret in retina, sequare-  
tur unum idemque obiectum multiplicatum, seu in pluribus locis simul apparitum, in tot scilicet, quot sunt radiationes ex eodem obiecti punto ad idem retinae punctum provenientes: sed hoc est contra experientiam: ergo visio non fit in retina. Sequela probatur: quodlibet enim obiecti punctum in eo loco ap-  
paret, unde recte dirigitur impulsio, seu affectio in retina: sed hujusmodi impressio ejusdem puncti obie-  
cti provenit, ac dirigitur in retinam ex pluribus locis di-

diversis: ergo prædictum punctum in pluribus locis simul apparere debet.

Quod ut luculentius pateat, videatur figura 6. In qua apertè patet idem retina punctum D simul affici, & impelli diversis radiationibus ejusdem puncti A, quales ex. g. sunt ED, FD, aliisque innumeris interistas interceptis. Radiatio enim ED non aliter impellit retinam, ac si proveniret ex L: & radius DF non aliter illam afficit, ac si veniret ex K: ergo punctum A obiecti eodem tempore apparere oportet in L, & K; in L quidem ratione radiationis ED; & in K, vi radiationis FD; ac similiter in aliis locis intermediis virtute radiationum, quæ inter prædictas continentur.

Affero tamen id neutiquam sequi: & quoniam hæc difficultas haud parum negotii facescere potest, idcirco illam duplici via exponam cum P. Millieto *Optic. lib. 1. prop. 5.*

*Modus 1.* Supponendum est quodvis retina punctum ita cum ceteris aptatum esse, ut quavis impulsione facta, non aliter moveri queat, nisi secundum linéam perpendiculararem, id est, per linéam ductam per ipsius retinae centrum: quod ut rectè percipiatur, considerandum est retinae aliquantulum flexibilem, sive se habere per modum cuiusdam chordæ flexibilis, seu alterius corporis ex nervis flexilibus contexti: verè enim sic contexta est retina, quæ idcirco & *Retiformis* appellatur. Si itaque (fig. 7.) corda extensa ex. gr. AB, impellatur à corpore E per linéam obliquam EC, non secundum hanc linéam moveatur, ita ut recedat versus F; sed potius moveatur per CD ipsi chordæ AB perpendiculararem. Quod sic probatur: nam quolibet modo impellatur punctum C, per illam linéam moveri debet, per quam ipsi facilior est motus: sed

hic

hic est ipsi facilior per perpendiculararem CD, quam per aliam: ergo per illam movebitur punctum C. Minor prob. Si enim punctum C per aliam linéam, ver. gr. per CF moveatur, resistit ei pars AC, aut CD chordæ, quæ nempè plus extendi debet, majoremque tensionem pati oportet, quam si motus fiat per CD, facta impulsione per OCD.

Similiter itaque in retina contingere debet; cum enim ex fibris composita sit, quantumvis oblique pelatur à radiationibus ED, FD (fig. 6.) ejusdem impulsio, ac motus semper fiet secundum perpendiculararem per ipsius retinae punctum ductam. Hinc præfati radii, ceterique pyramidem EDF componentes, haud absimilem impressionem efficiunt ei, quam axis ejusdem pyramidis efficeret, ita ut tota radiationum pyramis non aliter in retinam operetur in punto D, ac si unica, & simplex esset radiatio physica ipsi retina perpendicularis: non ergo vi harum radiationum, obiecti punctum A in diversis locis representabitur, sed in unico tantum, idque majori cum intensione, ac perspicuitate.

*Modus 2.* In eo stat, quod scilicet iidem radii LED, KFD, ceterique intermedii, in eadem fig. eodem modo agunt in retina, ac ageret axis, seu perpendicularis AD, nec aliam efficiant in retina impressionem, quam efficerent, si unus esset radius physicus ab A prorectus in D. Ad id autem supponendum est, visionis impressionem à radiis luminis non fieri in superficie tantum retinae, sed prædictos radios intra crastitem retinae debebi: est enim retina, quemadmodum & cetera corpora opaca, aliquantulum pellucida: cumque densior longè sit humoribus oculum componentibus, præfati radii LED, KFD, cum in retina cra-

fi-

sistem ingreduntur, refringuntur versus perpendiculari rem, ita ut unam lineam physicam cum ea conficiant: omnes ergo praedicti radii unicam impressionem in retina efficiunt, quasi per lineam AD ipsi retinae perpendiculari rem, ideoque punctum A non in diversi locis, sed in uno dumtaxat, nempe A representant.

## PROPOSITIO XVIII.

*Aliquæ quæstiones circa visionem resolvuntur.*

**Q**uæres 1. In quo sicut oculorum vitium, quod Presbytae, & Myopes patiuntur. Presbytae dicuntur illi, qui vicina obiecta confusè: remota verò distinctè vident. Myopes autem vocat Aristoteles eo, quos communiter brevis visus appellamus. Queritur itaque in quo hujusmodi defectus constitant. Ut id explicari possit, supponendum est 1. ex Dioptrica, lentem vitream, quæ sit minoris sphærae segmentum, seu magis convexa, radios unire, seu obiecta distinctè depingere ad minorem distantiam, quam lentem majoris sphærae, seu minus convexam. Supponendum est 2. Eadem lente obiecta viciniora distinctè exhiberi ad majorem distantiam, quam remotiora. Hæc quæ supposuimus constant experientia; eorum vero demonstrationes pendent ex Dioptricis, ideoque non sunt hujus instituti; videantur, si placet, in nostro *Compend. Mathem. tract. 21. lib. 1.* His tamen suppositis.

Affero 1. Presbytarum defectum consistere in eo, quod crystallinum habent non satis convexum, aut retinam crystallinum nimis propinquam, qui duo defectus sunt virtualiter idem. Si enim crystallinus non sit satis convexus, radios unit, seu ex ipsis conflatos penicillos ad majorem distantiam, seu post retinam; hæc que

que juxta suppositionem primam excipit praedictos radios antequam perfectè uniantur: idemque eveniet si crystallino debitam convexitatem habenti, nimis sit propinqua retina: ergo imago confusa in retina de pingitur, sive evadit visio confusa: cumque per secundam suppositionem obiecta viciniora radios uniāt, & eorum imagines distinctè exhibeantur ad majorem distantiam; que verò remotiora sunt in breviori distantia illam exhibeant: hinc sit obiecta remotiora in Presbytis distinctè in retina de pingi; propinqua vero confusa.

Affero 2. Myopum defectum è converso in eo stare, quod scilicet habeant crystallinum nimis convexum, ac respectivè ad hujus convexitatem, retinam nimis remotam: hoc enim posito, necessariò fit obiectam convexitatem crystallini radios, seu penicillos uniri antequam ad retinam perveniant; cumque in dicto solum loco concursum obiecti imago distinctè de pingatur, sequitur in retina Myopum obiecta confusa de pingi.

Ex his aperte redditur ratio, cur Myopes obiecta valde oculis vicina distinctè videant, remota verò confusa: cum enim habeant crystallinum nimis convexum, & respectivè ad hanc convexitatem, retinam nimis remotam, fit ut obiectorum radiationes, seu penicilli uniantur, antequam ad retinam perveniant: sed obiecta vicina ad majorem distantiam uniuert suos penicillos: ergo ita poterit obiectum approximari oculis Myopum, ut penicilli præcisè uniantur in ipsa retina: & consequenter clare, & distinctè videri; remotiora verò confusa ob rationem oppositam.

Quæres 2. Cur Presbytarum vitium lentibus, seu conspicillis convexis; Myopum verò concavis corri-


gatur. Respondeo rationem esse, quia lentes convexæ radios convergent, & uniuert ad certam ab ipsis distantiam : ergo cum ante oculos ponuntur, crystallinus radios excipit jam convergentes, ac ad invicem accidentes : ergo cum in Presbytis eos uniret crystallinus post retinam, exhibitis conspicillis convexis, eos unire poterit in retina, quo clara, ac distincta fiat visio. E conversò lentes concavæ radios dispergunt, ac separant : cum itaque oculis admoventur, crystallinus accipiet obiectorum radios magis dispersos, ac divergentes : cum quæ in Myopis illos ante retinam uniret, jam eos ad majorem distantiam conjunget : poterit ergo eos in retina ipsa unire, si proportionatae concavatis conspicilia adhibeantur.

Quæs 3. *Cur gemini oculi geminatum non cernant obiectum.* Ratio dubitandi est, quia quoties utroque oculo idem obiectum intuemur, hujus obiecti imago in utraque retina depingitur : ergo duplex deberet apparere obiectum. Respondeo tamen non videri duplikatum, quia ab utroque oculo videtur in eodem loco : cumque non aliter duplikatum videri possit, nisi in diversis locis videatur, sequitur necessariò unicum; ac minimè duplikatum videri obiectum. Alia quamplurima possunt inquiri, quæ ex Opticis principiis, ac Theorematibus dependet, quæ in nostro *Compend. Matem.* loco citato possunt videri.

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*)



## C A P U T III.

*De Sensibus internis in particulari.*

**E**A quæ in præcedentibus propositionibus discussimus, difficultia sunt, quæ verò nunc agredimur pertractanda, longè sunt difficultiora: de sensibus enim internis sumus acturi, quorum indoles, natura, organa, locus, ceteraque ad illos pertinentia, nimis abdita sunt, ne dicam inaccessa; quid tamen dicendum occurrat, claritate possibili proponam.

## PROPOSITIO XIX.

*Datur in animantibus sensorium commune.*

**E**st communis Philosophorum sententia. Probatur i. Nam nomine Sensorii communis, intelligitur pars aliqua organica, ac quam impresiones ab obiectis sensibilibus in sensoriis privatis factæ, traducuntur: sed prædicta pars organica datur in animantibus: ergo, &c. Minor prob. Ideo enim concessa sunt animalibus sensoria privata, ut singula suscipiant impresiones obiectorum externorum, ac per eas determininent animalia ad certos motus eorum conservatio-ni convenientes exercendos: sed hoc præstare nequeunt, nisi communicent cum aliqua parte communis cerebri, à qua spiritus animales deriventur in organa sensuum, & motuum, ut constat ex sapiis dictis: ergo prædicta pars organica, seu sensus communis negari nequit.

Probatur 2. Experimento enim patet dari aliquem sensum communem: sèpè enim mihi represento hominem ex. gr. absentem, antea vistum, cuius colorem, & formam in eo videre mihi videor: tum & verba facientem audire, &c. ergo in eodem obiecto omnium sensuum exteriorum obiecta attingo: sensum ergo internum habeo, quo reliquorum sensuum obiecta attingo: sed hic est sensus communis: ergo habeo sensum, & sensorium commune. Confirmatur, quia licet externi sensus omnes quiescant, nec nullam impressionem ab obiectis externis accipiant, ut accidit in somno, nihilominus, non cessat omnis sensatio, ut comprobatur ex somniis: datur ergo aliquid sensorium commune, in quo prædicta contingunt.

## PROPOSITIO XX.

*Organum in quo stat sensorium commune determinatur.*

**S**ensorii communis organum in cerebro existere, ita perspicuum est, ut nulla probatione indigere videatur. Probatur tamen 1. à priori: Nam ad organum sensus communis sensum exteriorum affectiones per subtilissimas nervorum fibras traducuntur, ut ex dictis patet: sed præfatæ fibrae à cerebro ortum ducunt: ergo in cerebro residet prædictum sensorii communis organum. Probatur 2. item à priori, quia motus animalium à sensu communi ortum ducunt, ut sapè diximus: ergo ibi statuendum est ejus organum, unde prædicti motus oriuntur: sed ejusmodi motus oriuntur ex cerebro, ubi radix, & quasi centrum est fibrarum nervearum: ergo, &c. Probatur 3. à posteriori, quia lato cerebro, sensus internum laborat: ergo ejus organum luditur: si enim organum sit illud sensum,

sensus integer manet: ergo prædictum organum sensum communis in cerebro existit.

In assignanda autem cerebri parte, in qua existat, valde insudant Auctores, in quibus, ut verum fatear, nihil ferè invenitur, quod plenè satisfaciat: sunt enim qui memoriam in occipite statuunt, juxta cerebellum; sensum verò communem in syncipite, non procul à fronte: phantasiam autem, & imaginationem hinc inde juxta ventriculos. Quid autem mihi dicendum videatur diversis assertionibus aperiam.

Affero 1. *Certum esse sensorium commune non esse in toto cerebro:* licet ut dixi, in cerebro sit: si enim in toto cerebro esset, etiam in medulla spinali existaret, quæ ejusdem rationis est cum cerebro, quod nemo dixit. Hinc sit sensum communem, nec aliud internum in ipsa cerebri medulla minimè existere: cum enim tota sit ejusdem rationis, in tota existeret, quod falso esse diximus.

Affero 2. *Glandulam Pinealem, quæ etiam Conarium appellatur, non esse organum sensus communis.* Ratio est, quia illa commertio, & communicatione caret cum nervis sensoriis, & motoriis, quæ requiritur ad munus sensorii communis gerendum; non enim nervorum extrema ad illam glandulam terminantur, prout requirit sensorium commune, neque ad illam ullenatus spectant: unde neque ex ea spiritus possent in nervorum ductus penetrare; nec factæ in nervis sensoriis impressiones ab obiectis externis, possent ad prædictam glandulam traduci. Eadem fermè ratione convincitur sensorium commune neque in Septo lucido, nec in alia cerebri parte existere posse diversa ab ea, in qua nervi sensoriis cum motoriis communicant, & commertiantur; quam communicationem non fieri

in prædictis partibus, ex interiori cerebri structura sat-  
tis colligitur.

Affero 3. *Organum sensus communis existere in ea, vel in eis cerebri partibus, ubi fibre nervae sen-  
soriæ, cum fibris motoriis communicant.* Ratio col-  
ligitur ex dictis, nam sensus internus communis ibi  
constituendus est, ubi affectiones obiectorum externo-  
rum à sensibus externis transmittuntur, ut inde diver-  
si motus prosequutionis, vel fugæ excitentur: sed hoc  
non aliter fieri potest, nisi ad tale organum præfatae  
impressionses deducantur, ut ex ipso motus prædicti  
excitentur: ergo, &c. Hæc autem impressionum de-  
ductio, motuunque excitatio, non ab alio, quam à  
fibris nerveis, ac tendinosis effici potest, ut sèpè di-  
ximus: ergo sensus communis organum in ea cerebri  
parte collocatum est, in qua nervæ fibrae sensoriæ, tal-  
iter cum motoriis communicant, ut affectiones à sen-  
soriis fibris deductæ, motorias determinent, ut in ani-  
malibus motus congruentes efficiantur.

Affero 4. *Sensorium commune, seu sensus communi-  
nis organum præcipue situm esse in illa interiori cere-  
bri parte, quæ cerebrum simpliciter appellatur.* Ra-  
tio est 1. Quia ab illa parte proveniunt præstantiores,  
& validiores corporis animalis motus: quod inde pa-  
tet, quod nempe si pars illa tollatur, breviter cesseret  
prædicti motus, & sensus: Hinc in prædicta cerebri  
parte præcipui sunt nexus, & texture fibrarum, defi-  
nientium impressionses à sensibus externis receptas: fi-  
bris enim motoriis, prædictis impressionibus acceptis,  
promptissimè motus excitantur. Probatur 2. ex ana-  
logia sensuum externorum, ex. gr. visus: quemad-  
modum enim retina organum visus est, quod ex de-  
facatissima cerebri substantia, & fibrillis nerveis coale-  
scit,

scit, quæ illam aptissimam reddunt ad affectionem  
corporum lucidorum recipiendam; ita & interior ce-  
rebri plexus in prædicta parte constitutus ex fibrillis  
nervis, organo esse debet sensus communis: præ-  
fatae autem fibrae sensoria exquisitam habent rationem  
plexus, cui scilicet minima affectio potest imprimi,  
quæ aliis fibris, nempe motoriis communicata, statim  
ad cerebri basim, in qua nervorum originem omnes  
agnoscunt, traducitur; suntque ad motum determi-  
nationes. Affectiones itaque organis externi  
impressæ, per nervulos ad prædictum sensum tradu-  
cuntur, indeq[ue] per alias fibrillas, ad nervos motibus  
servientes, ex hisque tandem in musculos toto corpo-  
re distributos propagantur, sicutque motus convenien-  
tes ab animalibus excercentur.

### PROPOSITIO XXI.

*Quid sint impressionses in sensorio communi factæ de-  
terminatur.*

Certum in primis esse videtur, hujusmodi impres-  
siones non esse veras aliquas obiectorum imagi-  
nes, ac picturas, seu sigillationes: nec enim Lux, co-  
lores, aliave similia ad sensorium commune transmitti  
possunt, ita ut ibi aliquam veram obiecti imaginem  
pingere queant. Hinc non nisi impròpiè prædictæ  
impressionses possunt imagines obiectorum appella-  
tri.

Affero itaque impressiones, quas obiecta in senso-  
rio communi efficiunt, mediantibus sensoriis privatis,  
tum & fibris nerveis, quibus sensoria privata cum  
sensorio communi commertiantur, nihil aliud esse,  
quam certi motus fibrarum nervearum, aut tubulo-  
rum nerveorum, sensorium commune compenen-  
tium:

tium: id est predictarum fibrarum certa divisio, implicatio, crispatio, corrugatio, exasperatio, levigatio, tensio, pororum dilatatio, contractio, aut alter facta figuræ, aut positura mutatio. Ratio hujus conclusionis aperte colligitur ex dictis: cum enim obiecta in sensorium commune non aliter agere possint, quam per motum localem, ut suprà diximus, quatenus nempe diversimode movent nerveas fibras in sensoriis privatis dispersas, atque spiritus in earum tubulis contentos impellant, certe nihil aliud in sensorium commune efficere possunt, per nervorum tensiones, vibrations, ac spirituum impulsiones, prater ea, quæ nuperrimè diximus: cum enim fibre nerveæ modò in has, modò in illas partes trahuntur, aut his, aliijve motibus distrahitur, pelluntur, &c. necesse est in earum origine, ubi nempe inter se complicantur, quasdam fieri earum distractiones, compressiones, crispationes, &c. quibus modò hi, modò illi porr, ac tubuli aperiuntur, per quos scilicet, modò hoc, modò illuc spiritus impellantur, atque in determinatos musculos ingressi, artus ad determinatos motus concident, & inducant.

In hujusmodi autem impressionibus, ac modificationibus sensoriū communis constunt phantasmatæ, vulgariter decantata, seu species expressæ, quatenus se tenent ex parte organi, iisque sufficienter determinatur mens ad quasdam perceptiones juxta varios spirituum animalium motus in illis fibrarum gyris, sulcis, ac corrugationibus factos, prout peculiariter in sequentibus propositionibus exponitur.



## PROPOSITIO XXII.

*Explicatur quid sit phantasma, & reliqua ad illud pertinentia.*

CÆptum philosophandi tramitem sequens Assero, Phantasma nihil aliud esse quam affectionem quandam in certo cerebri tractu impressam ab affectionibus sensuum particularium, coequi in tractu perseverantem. Ad hujus rei intelligentiam supponendum est 1. Fibrosam substantiam tum cerebri, tum cerebelli, in illo praesertim tractu, qui medulla spinalis origini incumbit, molliorem esse, ac recipiendis impressionibus maximè idoneam. Supponendum est 2. Plexum illum fibrarum nervearum, de quo in precedentibus sumus loquuti, continuum esse tractui praedicto, tum basi cerebri, ac spinalis medullæ ortui. Quo fit, ut affectiones sensibus externis impressæ, in plexum illum, seu sensorii communis præcipuum organum facile traducantur; indeque in nervorum motui famulantium originem, tractumque praedictum eidem origini incumbentem. His positis.

Ex affectione plexui illo sensorii communis impressa, duplex affectio oritur, prima versus nervorum motui inservientium principium; alia verò versus praedictum incumbentem cerebri tractum: Quarum prima postquam determinavit vasa ad illos motus, qui vulgo appetitui tribuantur, ultra non perseverat: secunda verò impressa manet mollioribus illis fibris, quatum modica tenacitas non parum ad id conductit: hæc tamen non sentitur; aliter enim semper sentiretur; & consequenter ad novos motus semper determinaret.

Hæc itaque perseverans affectio praedicto tractui im-

impressa est id , quod vulgo *Phantasma* appellatur, quæ nihil est aliud , nisi quedam tenacum fibrarum mutatio , implicatio , compositionis , divulsio , tensio , levigatio , aut aliter facta in ipsis positura , ac figura mutatio . Hoc ita esse suadetur explicatione eorum, quæ vulgo Phantasmati tribuuntur.

1. Ratione Phantasmatis , nova ab eodem obiecto affectiones impressæ modificantur : ratione enim prædictæ implicationis , compositionis , &c. in qua Phantasma consistit , ad alios motus , aut aliter , ac per diversas lineas efficiendos determinantur , indeque quasi reflectuntur in sensorium commune , quo fit ut hac secunda affectione obiectum , ut prius sensu perceptum , iterum sentiatur : sentitur autem eodem modo quo prius fuit perceptum , quia ab illa affectione , ac modificatione fibrarum resultat , quæ fuit à prima obiecti perceptione inducta , sive ex Phantasmate resultare dicitur.

2. Si quomodocumque ille fibrarum plexus , in quo phantasma consistit , pulsetur , sive ab halitu , sive ab humore , seu caloris vi , traducitur inde affectio in sensorium commune , seu in plexum fibrarum illum constituentem , quo fit ut in hoc nova sensatio fiat , ut per illam obiectum , quantumvis absens percipiatur , eo fere modo , quo antea fuerat perceptum . Vides itaque ex dictis phantasma esse affectionem traductam à plexu sentiente , seu sensorio communī ad tractum phantasmatum , ibique modo dicto perseverantem , in tali mutatione fibrarum , & situ positam ut ex illarum motu , quasi reflectatur in sensorium commune affectio priori similis , unde nova fit ad sensationem ejusdem obiecti determinatio ; quæ , ut dixi à vaporibus , humoribus , succus , bile , sanguine vitiato , aliisve si-

similibus , in prædictum tractum incidentibus oriuntur potest.

### PROPOSITIO XXIII.

*Explicatur quomodo plura phantasmata in tractu phantasmatum insit , & excitentur : & quomodo prædicta excitatorum phantasmatum series interrupatur.*

Certum itaque esse videtur , in eo cerebri tractu , quod phantasmibus destinatum est , aliquorum phantasmatum seriem , imo & series , facile posse imprimi : cum enim phantasma nihil aliud sit , quam permanens fibrarum affectio , complexio , implicatio , &c. certè ex ordinata serie affectionum , sensibus ab obiectis impressarum , indeque ad commune sensorium transmissarum , in continuis , aut saltim contiguous fibris , permanentes illæ affectiones , & modifications seriatim possunt causari : sicque serias phantasmatum in eo cerebri tractu induci : nec in hoc aliqua appetat difficultas.

Hinc supposita prædicta phantasmatum serie , facile explicatur ordinata eorumdem phantasmatum excitatio . Nam ubi aliquod obiectum , aut quid simile capiti fibre , ubi primum phantasma inest , aliquam impressionem , seu motum infligit , statim hujusmodi affectio inde traducitur in organum sensorii communis , seu plexum sentientem , ubi fit illius sensatio : hac autem sensatione peracta , inde traducitur motus ille in alias viciniores fibras : indeque rursus traducitur in fibras tractus phantasmatum , etiam vicinas , quibus scilicet secundum phantasma inest , factaque ejusdem excitatione , in eadem organi sensorii communis fibras , quasi reflectitur , fitque ibi sensatio secundo phantasmati respondens : hinc insuper novus motus in alias

alias fibras vicinas productus , ad tractus phantasmatum fibras remeat , quibus tertium phantasma inest , atque ita deinceps , donec series intertrumpatur .

Interrumpitur autem phantasmatum series diversis modis . 1. Si quod proxime sequitur fibrarum segmentum minus docile sit , vel ab nimiam siccitatem , obstructionem , aliudve simile : tunc enim motui praedito excitationis non obsequitur : siveque sequens phantasma nullam sensui communi excitationem , aut mutationem inducit . 2. Si fibrarum plexus , qui sequitur perturbator sit , ob nimiam diversorum phantasmata congeriem ; sapè enim ob hanc causam singularia phantasmata pene expunguntur , & obliterantur , quo necesse est , ut incohata phantasmatum series intertrumpatur , cum jam inde nulla in plexum sentientem , seu commune sensorium distincta affectio refundatur . Hæque sunt causæ præcipuae interruptionis praeditæ , licet alia his similes possint etiam assignari .

## PROPOSITIO XXIV.

*Aliqua dubia circa phantasmata enucleantur.*

**Q**uaritur 1. *Quid sit ordinari phantasmata.* Respondeo , Phantasmata ordinari , quatenus in tali serie , & linea collocantur , & imprimuntur , ut ex unius excitatione , alterius excitatio immediate consequatur , eo scilicet modo , quod præced . prop . fieri diximus : ordinantur autem , ac firmius imprimuntur , vel studio , & mediatione , vel multiplici repetitione ; traductis nempe in plexum sentientem , ac sensorium commune eodem , parique ordine affectionibus , vel legendo , vel recitando , audiendo , &c. indeque in tractum phantasmatum eodem ordine translati : sic enim quasi repetitis istibus , & multiplici incul-

Quæritur 2. *Quid sit speculari phantasmata.* Respondeo id solius Hominis esse , ut ait Arist . Speculatur autem illa , quatenus eorum habet delectum : quod sic potest explicari . In homine eo ipso quod sensus internus sentit , mens intelligit : tum & eo quod mens intelligat , ille sentit , citra ullam aliam determinationem . Hinc eo ipso quod sensus distinctè sentit , mens distinctè intelligit ; & hæc confusè , si ille confusè . Mens tamen humana ea facultate valet , qua si velit , possit cognoscere distinctè , quod aliunde confusè cognoscit , medio scilicet ratiocinio , quo nempe transit à cognitione obiecti confusa , ad ejusdem cognitionem distinctam : adepta autem hac cognitione distincta , illico sensus internus distinctè sentit ; cumque sentire non possit , nisi plexui sentienti affectio ea insit , circa quam agit dum sentit : hæc vero ibi inesse non possit , nisi imprimatur ; nec imprimi , nisi à tractu phantasmatum traducatur , vel aliunde ; nec tandem traduci , nisi phantasma excitetur ; necessario sequitur , ut eo ipso quod mens distinctè cognoscat aliquid , quod confusè cognoscebat , plexus sentiens à cognitione hac distincta ad majorem motum determinetur , qui motus cum traducitur in tractum phantasmatum , altius phantasma infigit , noviterque excitatur , ex qua nova excitatione , novus iterum quasi reflexè in plexum sentientem oritur motus , affectioque distinctior ; indeque iterum in phantasmatum tractum excitato motu , novum aliquod phantasma ibi excitatur : hinc iterum affectio in plexum : hincque nova traductio in tractum phantasmatum , novique phantasmatis excitatio , atque ita deinceps , donec illa occurrit , quæ mens inquirit : hocque est speculari , venari , indagare , ac explorare phan-

phantasmata , ac eorumdem habere delectum : siveque apertum est, folius hominis esse phantasmata speculari.

## PROPOSITIO XXV.

*Quæ ad memoriam , & reminiscientiam pertinent explicantur.*

**M**EMORIA est vis illa , qua res prius cognitas , quasi relegimus , & in mentem revocamus . Quæ autem circa illam dicenda sunt distinctis numeris exhibeo.

1. Sensus internus memoria re legit , seu relegere potest , res antecedenter cognitas : quod certè non aliœ effici potest , nisi per excitationem impressorum phantasmatum . Memoria itaque supponit impressa phantasmata in proprio earumdem tractu , quia verò res prius cognitas , ut plurimam ordinatè relegimus , id est secundum quandam seriem compositam , & ordinatam ; idcirco supponit memoria phantasmata in rectam seriem ordinata in proprio tractu phantasmatu m , eo quod diximus modo in prop. præced.

2. Ut autem perspicuè pateat , qualiter relectio illa rerum , in qua memoria actus consistit , fiat ; suppono tractum illum phantasmatum duplici fibratum genere coalescere , majorum scilicet , quas primarias voco ; & minorum , quæ secundariae possunt appellari . Hanc fibrarum differentiam huic tractui inesse , evidenter suadetur , ex eo quod in omni fere vegetantium genere obseruetur , tum in lignis , follis , floribus : carnibus item ; membranis , ac nervis . Primaria itaque fibræ in longum ducentur , & cum aliis similiter primariis complicantur ; secundariae verò ex primariis ortæ , multiplici plexu mutuo contexuntur .

3. Quævis itaque fibra primaria lineam , ac seriem phan-

phantasmatum dirigit , licet phantasmata secundaria rum plexui imprimantur . Ex adductione itaque fibræ primariae , secundariaq; dispositionem , ac situm mutant , siveque novam affectionem , à plexu sentiente derivatam , qua deinde ibidem manet , recipiunt . Deinde quo longius est primaria fibræ segmentum inter alias primarias interceptum , eo longior est ipsorum phantasmatum minimè interruptorum series : quo fit ut hi , quibus longiora insunt hujusmodi segmenta , feliciore polleant memoria .

4. Ubi itaque aliud memoria mandatur , quandam laboriosum nîsum adhibemus , ut scilicet in eodem fibrarum minimè interruptarum ordine , novę illæ impressiones collocentur , illoque nîsu valde conamur , ne ad prædictas series , alia fibra succedant , quibus alia signa , seu phantasmata ad aliam seriem pertinentia , fuerint impressa .

5. Hinc patet memoriam fallere posse ex multiplice capite : vel quia alterius fibræ primariae segmentum sequitur , quæ cum priore , quam sequebamur decussatur ; vel quia ab aliquo occurrente obice transitus memoria obstruitur , quo fit ut velut in ambiguo hæreat , vel etiam cum casu aliquo fibra illa rumpitur , aut aliis implicatur ; aut tandem cum mens aliquo repentina casu alio avertitur .

6. Optimæ autem memoria status quatuor in fibris organi conditions requirit , nempe debitam molliitatem , modicam tenacitatem , firmam subtilitatem , & docilitatem expeditam . Requirit debitam molliitatem ; quia si nimia sit , non parum nocet ; cum illa enim signorum , novorumque plexuum permanentia stare non potest . Requirit modicam tenacitatem , si enim nimia sit , motibus non nisi difficile obsequentur . Fir-

mam

mam autem subtilitatem exoptat, ne præ subtilitate facile rumpantur. Démum docilitatem ab impedimentis expeditam, ut facile obsequantur. Hinc qui fibras molles quidem habent, sed non tenaces, facile plura memoria mandant, sed breviter ea oblivione delentur: qui vero tenaces, non tamen molles, difficile discunt; sed diu ea memoria retinent.

7. Moderato insuper studio, & frequenti exercitatione, memoria augetur. Ratio est, quia quemadmodum digitii talibus, ac talibus motibus assuecant, ut in cytharædis contingit, ita & cerebri fibræ motibus, quibus memoria exercetur, ita assuecant, ut ad illos exequendos facilliores reddantur, quod certe studio, & exercitatione assequimur.

8. Ut res prius cognitas in memoriam revocemus, caput fricare solent, ut scilicet illo affectu, fibra illa renitens, qua motui non obsequebatur, aliquo modo vellicetur prout ad rememorationem requiritur. Hinc alia similia circa memoriam resolves.

## C A P U T IV.

### *De Vigilia, Somno, & Insomniis.*

#### PROPOSITIO XXVI.

*Quæ ad Vigiliam pertinent exponuntur.*

**V**IGILIA est status corporis nostri, in quo mediocri obiectorum in sensoria privata actione, ad quasdam sensationes, & motus excitamus. Facile autem in telligitur, in quibus dispositionibus hic vigilia status consistat, si ea conspiciantur,

tur, quæ haec tenus diximus de actione obiectorum sensibilium in sensoria privata, ac delatione impressio- num in sensoriis privatis factarum, ad sensorium com- mune.

Affero itaque, tunc animal vigilare, quando nervorum ductus, quibus sensoria privata cum sensorio communi necuntur, sunt spiritibus animalibus disten- ti, patetque facile commertium, ac commeatus expeditus prædictorum spirituum à sensorio communi in nervos, & è nervis in sensorium commune: tum & in nervis motoriis commoda dispositio, ut illapsum spiri- tuum facile excipiant, cum in eos fuerint actione obiectorum propulsi. His enim præcisè positis, necesse est animalium corpus mediocri obiectorum actione com- moveri, incitari, &c. idque est animal vigilare.

#### PROPOSITIO XXVII.

*Explicantur ea, que ad somnum pertinent.*

**S**OMNUS est quoddam sensuum exteriorum vincu- lum, quo ita ligantur, & impediuntur, ut à suis functionibus ferientur. Ubi vides hunc statum esse vi- gilia oppositum: in somno enim licet obiecta sensibili- lia in sensoria privata agant, nisi tamen valida sit illorum actio, & impressio, nulla fit illius ad sensorium commune transmissio, neque hinc ulla ad motum ori- tur determinatio. Dividitur à plerisque somnus in na- turalem, non naturalem, & præternaturalem. Somnus *naturalis* est, quem animalia habent, dum benè valent, quo ita convenienter, & opportunè post certum vigiliæ tempus coripi solent, ut si eo diutiùs priventur, ad vita inunia, & consuetos labores mindū apta reddan- tur; imò & sèpè infirmentur: per somnum enim spi- ritus, qui in vigilia dissipati fuerant, restaurantur, &

corpora reficiuntur. Somnus non naturalis est ille, quem inducit rerum non naturalium abusus, ita tamen ut actiones notabiliter non laedat, aut laejas supponat: sic nimius vini potus, largior cibus, & similia conciliant somnum profundiū. Somnus præternaturalis est ille, qui à morbo, vel à causa morbifica dependet: qualis est Apoplecticorum sopor, Paroxismus epilepticus, &c. Hujusmodi somni sunt verè morbos; laedunt enim notabiliter actiones, aut laejas supponunt: nec enim qui ita affecti sunt, à vehementibus obiectorum actionibus excitantur. In praesenti autem solius somni naturalis causas, & effectus inquirimus, qui proprie, & absolute somnus appellatur.

Affero itaque 1. *In somno naturali, non adesse in nervorum sensoriorum ductibus sufficientem spirituum copiam, ut eos convenienter distendere possint.* Ratio est, quia si in nervorum sensoriorum ductibus sufficiens reperiretur spirituum copia, obiectorum actio necessario traduceretur ad sensorium commune, ac in eo exciperetur; & consequenter fieret sensatio, & ad quosdam motus determinatio: sed hic status non est somni, sed vigilia: ergo in statu omni sufficiens spirituum quantitas in nervis sensoriis non repetitur. Minor ex dictis patet. Major autem probatur ex his, quæ diximus de actione obiectorum in sensoria privata, ejusque transmissione in sensorium commune: impossibile enim est, nervum convenienter tensum, in altera extremitate tantillum impelli, quin statim impulsio ad alteram extremitatem oppositam traducatur; ut contingit in chordis Cythara probè tensis: nec posunt nervorum ductus spiritibus pleni, tantillum in una extremitate comprimi, quin spiritus ibidem inclusi impellantur versus aliam extremitatem, omnesque

mo-

moveantur versus musculos, ac quædam sequatur ad motum determinatio.

Hæc etiam minor spirituum copia etiam aliquatenus est tempore somni in sensorio communi: aliter enim, si eadem illorum quantitas in prædicto sensorio adesset, illius fibras, ac concepracula, aliquo modo distenderent, ut in vigilia contingit, similique nūs in nervorum ductus irrumperent, contra experientiam. Hinc recte concipere possumus sensorii communis in cerebro fibras in statu vigilæ distentas esse, haud absimili modo, quo navium vela à vento distenduntur: nervorumque fibras à sensibus privatis ad commune sensorium ductas, non secus esse tensas, ac funes, quibus vela alligantur, dum vento sunt plena: in statu verò somni cerebri fibras ab spirituum defectum considerare, quemadmodum & navium vela deficientibus ventis.

Affero 2. *Causa diminuta quantitatis spirituum in nervorum sensoriorum ductibus, & in sensorio communi tempore somni naturalis, residet in glandulis illis, quibus spiritus animales à sanguine separantur, & traducuntur ad sensorium commune; tum & in ipso sanguine, qui tunc temporis minus aptus est ad eos fundendos.* Et quidem cum somnus naturalis irrepit, paucam esse spirituum copiam in sanguine, patet: nam per vigilias magnum sit spirituum dispensium, præcipue cum corpus laboribus exercetur, qua de causa post certa temporum intervalla somnus vigilie succedit, cum scilicet spiritus magnam partem sunt consumpti, unde oritur lassitudo, ac minor ad motum, aliasque actiones vis, & dispositio, quam sequitur ad somnum propensio; quod certe indicat sanguinem esse spiritibus orbatum, & consequenter in-

Comp. Phil. Tom. V.

Q

eptum

epsum ad sufficientem eorum copiam sensoriis, ac glandulis largiendam.

Probatur jam alia nostra conclusionis pars, videlicet in glandulis, ac colatoriis reperi tempore somni aliquod impedimentum, quod poros colatorii aliquantulum obstruit, ac spirituum percolationem, & transitum magnam partem prohibet. Somno enim excusso aliquod ad tempus sentitur impedimentum ad sensum, & motum, donec scilicet obex in colatorio positus, sanguinis servidioris impetu, & spirituum appulsu removeatur. Hac de causa ad somnum omnino extiendum, ac restituendum spirituum animalium influxum in organa sensus, & motus, corpus agitamus, fricamus, ac sternutatorii utimur, ut caput, facultasque animalis incitentur. Sanguis autem catenùs ponere videtur obicem spirituum percolationi, quatenus succum quendam crassum, ac uliginosum in colatorio relinquunt, quo spirituum canales aliquantulum obstruuntur: idque inde maximè suadetur, quod nempe sanguis spiritibus orbatus præfatis succis abundet.

### PROPOSITIO XXVIII.

*Hinc plura ad somnum spectantia deducuntur.*

1. **E**X diës facile colligitur, ex nimia ciborum copia profundorem somnum induci, quia ex coctione imperfecta chylus gignitur crudior, aptissime fit ad obstruendum materia, qua spirituum colatoria obstruuntur, qua obstructione saltim quoad tempus aliquod minuuntur. Somnum item inducunt Lactuca, Lac, Ficus, tum & ea omnia, quæ Narcotica appellantur, quatenus nempe sanguinem, ac spiritus incrassant, & ad quandam coagulationem disponunt.

2. Animalia pinguia ad somnum sunt propensiæ; sanguinem enim habent minus servidum, ut colligitur ex eorum pulsu, qui parvus est, & languidus; unde sanguinem habent partibus oleoginosis redundantem, quæ ad concretionem proximè disponunt, qua de causa homines obesi sunt apoplexia frequentius obnoxii.

3. Sominus aquæ currentis susurro, aut stillicidii strepitū, uno tenore perseverante, alisque similibus conciliatur: ratio est, quia facta illa leni in auribus irritatione, spiritus sensim à reliquis sensoriis avocantur: irritatione vero illa quæ in auribus sit, cum sit admodum tenuis, & semper uniusmodi, nullam inducit sensorio communi sensibilem commotionem: unde sensim diminuto influxu spirituum, fibrae nervorum relaxantur, & flaccescunt, somnusque subsequitur. Ob eandem rationem motus librationis pueris somnum inducit.

4. Qui diu vigilavere, diu deinde in utramque aures dormire solent: cum enim in vigilia multi spiritus consummantur, ac subtiliores humorum partes avolent, crassiores, quæ manent, obstruendis meatibus sunt aptæ, ex qua obstructione, ac spirituum defectu oritur somnus.

5. Prædictæ autem causæ somni naturalis, aut non naturalis, si nimium fuerint auctæ, somnum præternaturalem inducent, ut in Apoplepticis, Lethargicis: materia enim illa ita meatus nerveos, ac plexus fibrarum sensui, ac motui inferientium obstruit, ut somnum illum noxiū, ac lethale inducant.

Quares tamen 1. Quomodo cum somno profundiore aliquoties conjungantur deliria. Respondeo rationem esse, quia ut diximus, somnum profundum

pendet à nimia spirituum paucitate: delirium verò ex acrimonia humorum subtilium, seu salinis eorum particulis. Quoties itaque saline diversi generis particulae ex sanguine exaltantur, ac propter nimiam subtilitatem per colatoria trajiciuntur, sensorium communem, ac tractum phantasmatum subingredientes, spiritus ibi contentos variis modis agitant, qui cum prædictis particulis salinis in relicta ab obiectorum impressionibus vestigia ruentes, ea diversimode movent, ac renovant, ac in varios motus excitant, turbant, ac confundunt, sicque absurdā phantasmata excitant, unde absurdā protrsū, ac minimè congruentes cogitationes in mente resultant.

Quæres 2. Quomodo qui dormiunt, stat tempore vigilent? Respondeo tempore somni coctiones, non modò continuari, verùm & longe melius perfici: hinc quod de novo accedit sanguini moderata fermentatione subigitur, unde insignis spirituum copia resultat, qui sanguini accrescunt, quo vividior evadit; hinc ea, quibus cerebri colatoria obstruebantur, dissolvuntur, & absterguntur, spiritusque impetum faciunt in nervos, tum sensorios, tum motorios, eosque distendunt, fibrasque cerebri extendunt: & consequenter animal in statu vigilię iterum constituitur.

Quæres 3. Qualiter vinum, spiritus vini, & alia similia somnum inducant, cum aliunde sanguinem attenuent, & spiritus reficiant? Respondeo rationem esse, tum quia cum sanguinem rarefaciant, quandam plenitudinem vasorum inducent, ex qua oriri facilè potest quædam spirituum in colatoris compressio. Tum quia prædictis rebus humores viscidii, & glutinosi agitantur, & simul cum spiritibus in colatoria subeuntes, ea obstruunt, & sequitur somnus. Tum etiam quia per

ea ita potest sanguinis serum attenuari, ut in glandularum cerebri substantiam penetrans, ita cam augeat, ut colatorii ductus ipsis inexistentes comprimantur, liberumque spiritibus transitum prohibeant. Ex his alia similia possunt resolvi.

## PROPOSITIO XXIX.

*Quæ ad insomnia pertinent explicantur.*  
**S**omnium est quædam operatio sensus interni, sensibus externis per somnum feriatis. Ex nostris autem principiis facile colligitur qualiter somnia contingant. Cum enim somnium sit sensus interni operatio: sensus autem internus numquam operetur, nisi nova ejusdem organo, seu plexui sentienti impressio accedat; certè somnium ab affectione facta in sensorio communi procedit: hæc autem affectio non nisi ab excitato phantasmate provenit: excitatur autem phantasma ab halituum appulsi in eo tractu, cui phantasmata insunt: unde resultat affectio illa in plexum sentientem, quæ somnum appellator: cum enim in somno non sit è sensoriis totalis spirituum subduetio, sed tantum quædam diminutio, possunt præstati spiritus, licet pauci, ab halituum impulsu excitari, qua excitatione, ac agitatione, agitantur & fibræ aliquæ tractus phantasmatum, qua agitatione distenduntur, & relicta ab obiectis in illis fibris vestigia renovantur: sicque sensorium communem ab excitatis phantasmatis, ad certas cogitationes excitatur: imò aliquoties, affectione in nervos motorios traducta, corpus ad quosdam motus excitatur; si nempe validior fuerit spirituum agitatorum impetus. Diversitas autem somniorum provenit à diversitate fibrarum, quæ in tractu phantasmatum moventur: sequitur enim

enim somnium phantasmatum illarum seriem, donec obstrukione ulterius non progrediatur, quo fit ut ad alias series fiat reflexio; sive res valde diversæ, incompositæ, & confusa somniantur.

Triplex communiter assignatur somniornum genus: alia enim dicuntur *Divina*, alia *Animalia*, alia *Naturalia*. Somnia Divina ea sunt, quæ vel à Deo, vel ab Angelo bono, aut malo immituntur, Deo jubente, aut permittente: facile enim est Angelo vel affectionem imprimere, vel phantasma excitare, modo haud absimili, quo obiecta excitare solent. Somnia Animalia sunt ea, quæ vulgo occurrant, & dependent à sensoriis primariis dispositione: sic nobis ea per somnum exhibentur, quorum fuit per diem frequens cogitatio; illa enim phantasmatata faciliter excitantur, quæ in illius tractus penetralibus minus latent. Naturalia denique sunt, quæ ab humorum, indolisque ratione procedunt: sic Cholerici rixas, pugnas, & ignes somniare solent: phlegmatici aquas. Sanguinei res amaras: tristia Melancholici.

(\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*)

## L I B E R VII.

### DE ORTU, SEU GENERATIONE ANIMALIUM.

#### DEFINITIONES.

1. **G**ENERATIO animalium, de qua in praesenti, est *Origo viventis sensitivi actu ex eo, quod vivit sensitivè potentia*. Diximus tract. 3. Generationem in communi esse productionem rei ex presupposito subiecto. Nunc autem presius accepta Generatione, prout nempè omnibus, & solis animalibus convenit, asserimus esse processiōnem, seu originem viventis sensitivi ex eo, quod saltim vivit potentia: ubi vides sub hac definitione etiam comprehendi generationem eorum animalium, quæ ex putri generantur: fuit enim actu viventia ex aliquo quod vivit potentia. Ceterum ut terminus genitus dicatur filius ejus à quo procedit, aliquid ulterius requiritur, nempè esse à principio coniuncto in similitudinem naturæ: ideoque vermes, qui ex ligno putrescente generantur, non sunt ligni filii, & sic de aliis, quia nempè ligno sunt in natura dissimiles, de quibus postea.

2. *Genitura est particula substantiae seminalis à gerante decisa*. Quale est ver. gr. id quod deciditur ab animalibus in coitu. Dixa esse substantiam seminalem, non semen, quia ab hoc distinguitur ut includens ab inclusu, ut postea patet.

3. *Sperma, seu semen est substantia illa ex qua pro-*

*proximè gignitur animal, vel fetus, quæ quidem substantia in genitura includitur.*

## C A P U T I.

*De his, quæ ad generationem animalium in communi spectant.*

**A**GENDUM nobis est in praesenti de Animalium generatione, res sanè, si quæ est in tota Philosophia difficultis: ita enim latet mysterium istud in conditissimis natura recessibus, ut ejus indagatio, nedum acquisitione penè impossibilis nobis videatur. Agitantur quidem communiter in Scholis aliqua circa animalium generationem quæstiones, quæ ad id tandem devolvuntur, ex qua nempè materiâ animalis corpus efformetur in utero: quidvè uterque parentis ad illius generationem conferat. Quomodo vero tam mirabilis illius corporis organicâ structura in exiliissima mole effingatur, non nisi negligenter disceptatur; & sub abstractionibus metaphysicis putatur exponi, dum scilicet assertur, totum illud exitisse potentia in materia illa decissa; postmodum vero fovente, & quasi obstetricante calore in actu revocari. Alii tamen Philosophi, præfertim Neoterici, Naturæ arcana philosophico ausu diligentius perscrutantes, aliqua ex cogitarunt, quæ rem ita absconsam, licet non omnino perpicuam, magis tamen intelligibilem reddiderint: horum itaque sententiam in sequentibus exponam, & quid probabilius videatur aperiam.

PRO-

## PROPOSITIO I.

*Aliorum Recentiorum sententia circa animalium generationem exponitur, & expeditur.*

**A**sserunt itaque 1. aliqui Philosophi, Deum Opt. Max. in prima Mundi constructione omnium viventium corpora in compendio adeo exili condidisse, ut non modò singula, verum etiam plura eorum millia in unam molem collecta, neque sensu possint percipi, neque imaginatione comprehendendi; sed mente tantum concipi posse.

Afferunt 2. in singulis illis corpusculis, omnia ac singula membra conformata, ac invicem ordinata esse; tum & suis involuta esse secundinis, vaseisque umbilicalibus instructa, si nempe ad sensitivorum genus pertineant: in plantis autem prædicta corpuscula suis esse tegumentis involuta: similiter est enim in vegetantibus discurrendum, ac in sensitivis.

Afferunt 3. Hæc omnis generis viventium semina, primæ rudimenta, elementaribus particulis in planitarum, & animalium corpora penetrare, cum humoribus permisceri, cum ipsis deferri, ac quaqua versum vagari, donec ad eam partem perveniant, in qua reperiatur succus nutritius, ita convenienter præparatus, & attenuatus, ut ejosmodi seminum involucra pervadere possit, & in exiliissimos eorum ductus subire queat; ad quam quidem nutrimenti præparationem in utroque viventium genere conceptacula quædam destinata esse defendant.

Prædictis ita suppositis, sic animalium generationem ex seminibus Mundo coëvis contingere dicunt. Statim ac prædicta corpuscula, seu viventium rudi-

men-

250 TRACT. X. DE ANIMALIBUS.  
menta in locum , ubi alimenti materia convenienter præparata reperitur, ingrediuntur, statim inquam, animal , aut planta generatur , illius nempe speciei , cuius fuerit rudimentum : non enim ex planta rudimento animal ; aut ex animalis rudimento planta : neque ex Leonis rudimento Equus , aut è converso communiter potest oriri. Fit autem ex rudimento illo , ac compendio viventis generatio , quatenus subtilissimæ alimenti particulae , quæ prædicto viventi sunt propriae , eidem accrescunt , ac junguntur , eamque ita augent , ut sensibilem animalculi , aut plantæ moleculam adipiscatur , ut postea exponetur. Quoniam verò cujusque animalis , aut seminis , ex quo animal oritur , proprium alimentum in ejusdem speciei Fæminis potest convenienter præparari , facta præcipue ejusdem cum mari commixtione , efficitur , ut Fæminæ non nisi suæ speciei fetus in lucem edant , nisi aliquod accidentale impedimentum accedat. Hinc ubi hujus primi alimenti materia deficit , nulla potest fieri generatio , ac ab ipsius defectu plerumque oritur in fæminis sterilitas.

Sunt autem alii Philosophi , qui eodem quidem modo generationem viventium exponunt , à prædictis autem in eo tantum recedunt , ut opinentur exilissima illa viventium rudimenta , seu semina , cum primùm à Deo fuere formata , non fuisse , ut prædicti afferebant , cum elementorum particulis dispersa , & confusa ; sed in primo cujuslibet speciei viventis , sive plantæ , sive animalis semine , compendium illud fuisse contentum , ita ut non solum in eo actu fuerit rudimentum plantæ illius , seu animalis ex ipso primo geniti ; verum etiam cæterorum quotquot fuere usque modò , tum & cæterorum , quæ futura sunt , præter multititudinem innu-

meram eorum , quæ à causis externis in seminibus ipsis interierunt , aut sunt peritura. In hac itaque sententia , primi ex. gr. Leonis semen continebat in brevissimo rudimento mox nasciturum Leonem cum suis seminibus ; & quodlibet illorum seminum Leonem continebat , suis etiam seminibus instructum ; & sic procedendo quasi in infinitum : aut ad illum usque terminum , ad quem hujus sæculi duratio juxta Dei decretum est perventura. Sic in Adamo , & Eva totam hominum posteritatem , tum & innumeram hominum multitudinem , qui in ipsis seminibus , quæ corrupta sunt , perierunt , & sunt perituri , asserunt fuisse contentam.

Non modicam sanè admirationem ingerere potest , qualiter in tantulo seminis corpusculo , quale fuit illud primum , tot minora , ac minora , ad ingentem usque progressionem crescentem contineri possit. Nihil tamen forte mirabuntur illi , qui materiam quantam in infinitum divisibilem admittunt : nihil enim eos compescet ab admittendis animalibus , seu animalium rudimentis , quasi infinitè à primevo illo continua progressionis progredientibus. Imo neque in ullorum sententia id difficile judicabitur , si attendantur Acari illi minutissimi , ope microscopii detecti ; ut alibi diximus , quæ quidem animalcula tantula sunt , ut præ exilitate sensuum vim effugiant , & hoc non obstante , ingentem organorum varietatem continere , est omnino fatendum.

Probatur autem prædictorum auctorum sententia. Nam in omniibus viventium corporibus , ingens ad stuporem usque cernitur partium structura , ac mirabile artificium , quo singulæ partes ita sunt invicem dispositæ , ac cogmentæ , ut sibi mutuas operas præstent ,

ac totius conservationi incumbant: sicutque omnes ad suum finein asequendum apprimè ordinate: atqui nulla alia potest tam mirabilis machinæ assignari causa præter Deum: ergo Deus est causa unica exilium rudimentorum, seu feminæ, quibus animalia generantur. Minor prob. Nam agens illud, quod tam eximia, tam concinna, tamque diversa operatur, necessario debet esse summa intelligentia prædictum, quodve & materiam circa quam operatur, & finem ad quem suum opus dirigit, perfectè cognoscat: sed hæc soli Deo competunt: ergo, &c. Minor prob. Solus enim Deus potest materiam interius mouere, prout nempe ad animalium formationem necessariò requiritur. Si enim aliquod agens præter Deum posset ita sapienter animalium corpus effingere, vel illud esset intra corpus generantis, vel extra illud: non intra, quia generantis corporis partes, neque omnes simul sumptæ, neque seorsim acceptæ, sunt cognitionis capaces. Neque etiam ipsa anima rationalis generantis; cum enim nec informat, nec attingat seminalis materię decisæ partes, ipsas invicem ordinare, mouere, ac aptare invicem nequit. Non item anima ipsius fetus; hæc enim non ipsum ante informat, quam totum ipsius corpus convenientem fuerit conformatiōnem adeptum: & undenam quæso ab anima seu generantis, seu fetus tam mirabilis fabrica architectari potest; cum certum sit, nullam habere materię circa quam operatur, notitiam, nullamve experientiam Mechanics, quæ ad tam mira machinamenta architectanda omnino requiriatur.

Frustra autem, ne quid aliud dicam, ad tam mirabilis fabricæ causam assignandam recurritur ad decantatam illam virtutem formaticem, seu plasticam, si

nem-

nempe in his philosophicus discursus persistat: sunt enim merè abstractiones metaphysicæ, quibus si nihil addas, nihil explicas. Cum itaque tam singularis artificiis, non alia causa possit assignari, quam quæ insigni sapientia prædicta sit, fatendum esse videtur, solum Deum, modo explicato, esse viventium omnium Sapientissimum Opificem. Hinc rectè Galenus ex corporis animalis mirabili structura, invictum Divina Sapientia argumentum deduci putavit, ac in lib. de Usu partium asseruit, se non ita Medicis curatricem attem scriptisse, quin potius suis scriptis Deo Opt. Max. laudis hymnum sacrificiis potiorem cecinisse.

Ex nuper exposita sententia facile colligitur, qualiter generationes æquivoca contingent, quibus scilicet è putri materia Vermes, Mures, aliaque animalcula procreantur; quod in aliis sententiis multum negotii facescit, cum incredibile videatur, ex materia ad sensum homogenea, vi caloris, aut spiritus, quem plerique *Architectonicum* appellant, animalium corpora suscitari, ac eorumdem tam varia, tamque concinna organa formari, ut animantis fabricam complicant. Si verò semel admittatur producta fuisse à Deo exiliissima animalium primordia, facile intelligitur, ubicumque materia per putredinem, ac fermentationem convenienter præparatur, ut congruum possit esse animalculorum alimentum, ibi eorum rudimenta, seu semina, prima nutrimenta suscipere, augeri, ac sensim, tum mole, tum motu manifestari. Similiter & in plantis sponte, ut ajunt, nascentibus, discurrendum est.

Si tandem prædictæ sententiae objiciatur, in ipsa explicati non posse, qualiter monstra generentur, & quare proles plerumque sint parentibus similes; responde-

tur

tur tenella illa viventium primordia levissimis causis alterari, ac deturpari posse; satis enim notum est, quanta sit alimenti vis, ad firmata jam corpora immutanda: mirum itaque haud erit in tenerissimo illo, & augescente corpusculo, vel nimio alimenti affluxu, membrum aliquod in molem ingentem excrescere; aut etiam alia ejusdem defectu insignem maciem induere, siveque monstruosum quid in lucem prodire. Quod vero artinet ad proli similitudinem cum parentibus, certe ea ab alimento, quod a matre suppeditatur, tum & a Maris genitura, cuius ope tum semen actuatur, tum primum alimentum quamoptimè disponitur. Accedit etiam matris imaginatio, qua grandiores etiam fetus, insignes in utero mutationes subeunt, ut testantur historia.

Objicitur 2. In predicta sententia nequit explicari, quomodo fiat prima seminum nutritio: cum enim juxta hanc sententiam, exilissima illa seminum corpuscula deferantur cum humoribus, aut succo nutritio in debita sibi receptacula, necesse est ut per eadem colatoria cum succo nutritio trahiantur; & consequenter non sunt particulis succi nutritii majora: si igitur totum seminis unius corpusculum, non est majus una succi nutritii particula, quomodo per exilissimos canales, in illo seminis corpusculo contentis, poterit succus nutritius admitti, prout ad nutritionem requiritur. Responderi tamen potest, succum nutritium constare partibus, quarum aliae sunt aliis multò subtiliores, posseque quodlibet seminis corpusculum esse majus plerisque prefati succi particulis, siveque eas in suis conceptaculis admittere, eisdemque nutritiri.



## PROPOSITIO II.

*Nostra circa animalium generationem sententia expoenit, & stabilitur.*

Consequenter ad ea, quae in Tractatu predicto stabilitivimus circa vegetantium generationem, quid circa sensitivorum genesis dicendum sit, determinabimus. Assero itaque 1. *Omnia animantia ex genitura à genitore decissa generantur; potissimum vero ex particula illa, que sperma propriè, ac semen appellatur.* Ratio est satis perspicua; nam genitura est seminalis quadam substantia, vel ejusdem portio, ab utroque generante decisa, ac communicata, debitoque modo preparata: sed ex hujusmodi substantia generantur animalia; non enim alia est assignabilis, ex qua generantur: ergo, &c. Neque in hoc ulla appetit difficultas.

Assero 2. *Potissima illa genitura pars, seu semen, est corpusculum organicum, in quo veluti in compendio, omnes partes spermaticæ animantis suo sunt ordine, ac figura dispositæ, eo quo diximus modo, in predicto propositione.* Probatur, nam his positis, rectè intelligi, & explicari potest, qualiter mirabilis illa animantis noviter nascentis fabrica construitur. Cum enim in illo rudimento sit jam perfectum organizationis principium, per solam ejus accretionem ab aliamenti congruentis particulis illi adhaerentibus factam, palam fit, qualiter ex jactis seminibus, animal cum sua debita organizatione in mole sensibili eruatur: sed hæc ex infra dicendis patet.

Probatur 2. Nam hinc aperè patet ratio cur ex Leone, precisis accidentibus, non nisi Leo: ex Equo non nisi Equis; tum & ex Homine non nisi homo

gignatur: quia nempe talis est fetus, quale est rudimentum illud, à quo ejus formatio dicit exordium: ut enim postea patebit, in Leonis semine non nisi Leunculi compendium, ac rudimentum reperitur: idem dicendum de Homine, ceterisque animalibus: ergo non nisi ejusdem speciei cum parentibus animal generatur. Dixi præcisiss accidentibus, ut Monstrolos partus excludam, qui causas habent accidentales, à quibus ordo naturæ in illis fetibus pervertitur: de quibus postea.

Probatur 3. Ex his, que de Vegetantibus diximus Tractat. 9. lib. 1. propol. 12. eodem enim est, quod ad præsens attinet, vegetabilium, & sensitivorum ratio.

Affero 3. Rudimenta illa, seu corpuscula organica, futurae prolii organizationem continentia, non fuisse à Deo specialiter, & immediate producta; sed in singulis viventibus de novo elaborantur, in vasis ad id munus destinatis.

Probatur: nam prædicta rudimenta possunt per particularum alimenti conjugationem, nexum, & coordinationem in singulis parentibus de novo formari: ergo non est ita ad primam omnium causam necessario recurrentum, ut affseramus talia rudimenta, seu semina fuisse à Deo immediate in rerum conditione producta. Anteced. prob. ex his, que in simili de Plantis loco citato affserimus: at signando nempe modum, quo ex alimenti particulis præfata rudimenta possint efformari.

In singulis itaque adultioribus animalibus, omnes, ac singule eorum partes, partiumque particulae ad seminis formationem concurrent, quatenus scilicet proportionatos sales, ac determinata corpuscula ad locum,

cum, ubi semen formatur, emitunt, ipsi succo alimentatio permixta: hæc itaque abi ad locum destinatum perveniunt, in duriorem substantiam invicem fixata, ossis substantiam, sub parva licet mole, consti-tuant; tum & ejusdem cum osse, à quo derivata fuerit, figura: idem dicendum est de cartilaginibus, membranis, tunicis, &c. ex quibus vasa, & tubuli effor-mantur, quales sunt venarum, & arteriarum ductus: sic itaque totius fetus compendium, quoad partes præsertim spermaticas effingitur; idque in brevi cor-pusculo. Rechè igitur exponi potest, qualiter ejusmo-di rudimenta, in quibus semen consistit, elaborari queant in vasis ad id munus in parentibus desti-natis.

Hæc autem nostra sententia inde valde suadetur, quod nempe succi nutritiæ particulae, qua partis aliquis ideam, ut dicitur, referunt, facile ab aliis secer-nantur, & invicem accurrentes in unam molem con-fluant. Patet autem hoc 1. in vegetantibus; si enim incisio in arborum cortice fiat, statim appetat, suc-cum nutritum per vulnus effluere, in quo licet partes nutritiæ confusa sint, & permixtae, brevi tamen illa, qua substantiæ corticis similes sunt, ab aliis secernuntur, sibiique adhaerent, & in fibrarum contextum ordi-nantur, donec tandem novum corticem, quo vulnus occluditur, constituant reliquo cortici haud absimiliem. Idem testantur ex crescentia varia cornæ, ossæ, &c. ac præcipue liquor ille, qui è fractis ossibus ex-tillat, qui brevi osseam duritiem acquirit.

Probatur ulterius nostra sententia, & admirabilis illa in semine ex particulis immisis conformatio. Di-versa enim experimenta testantur varias salium ex particulis mutuo adhaerentibus cōformaciones adquirere;

sic ut alibi diximus, Sal marinus in cubos, Nitrum in columnas hexagonas, Vitriola item omnia sive nativa, sive factitia, cum in crystallos coagolantur, certas constanter induunt figuras. Quid dicam de arbore, quam Philosophicam appellant? Accipe argenti puri, seu cupellati drachmam dimidiam, & solve in aqua fortis drachma una. Accipe item argenti vivi drachmas duas, & solve in aqua fortis drachma una. Has duas materias commisee, & immitee in vas vitreum, arque affunde aqua communis libram unam, ac bene obtura: & videbis quandam arborem quotidie ad oculum crescentem, tam in trunco, quam in ramis. Sic ex secretis Kirkerianis refert Aspasius Caramuelius. Patet itaque haec, & similia corpora tales figuras induere, quia his, ex quibus constant particulis, non ante datur in liquido, cui innatant, quieti loco, quam fuerint in certo situ, & ordine disposita. Quid ergo mirum, idem omnino contingere in rudimentorum illorum conformatione, in quibus semen constare diximus: cum certum sit in eorum particulis efformandis naturam acutius procedere.

Objicies 1. In nostra sententia non posse explicari generationes equivocas, nec à quibus causis generentur vermes, & similia. Respondeo 1. Vermes, qui in carne ex. gr. putrescente generantur, originem ab ovis exilissimis ducere, quae muscae, aut alia animalcula ibi deposuerunt: quod inde confirmatur, quod nempe carnis putrefactis moderato fervore, vermiculi excludantur, qui tandem in muscas convertuntur. Respondeo 2. Pleraque ex dictis animalculis, & infectis generari à rudimentis, seu ovis minusculis à similibus animalibus decisiss, ac per aëra volitantibus; aut simul cum elementis divagantibus, qui sive ligno,

five aliis rebus adhaerent, & facta harum rerum fermentatione illa, quæ putrefactionem præcedit, ac comitatur, excluduntur, & augentur. Videantur quæ de Plantis sponte nascentibus dixi Tractat. 9. lib. 2. propos. 5. Similiter enim discurrendum est in præsenti casu.

Objicies 2. In nostra sententia non posse explicari, cur aliquando Mares, aliquando vero Fœminæ generentur. Fateor ingentem esse difficultatem in hujus rei causa indaganda: assero tamen cum Francisco Bayle non alter posse responderi, quam supponendo, in Ovariis, aut testiculis Fœminarum talem esse partium structuram, ut diversis sint conceptaculis distributa, in quorum aliquibus materia ita ad fetus defertur, ut ad ejusdem genitalia efformanda dirigatur; in aliis vero ad partes feminarum proprias: quod provenit ab ipsis conceptaculis, in quo fetus formari incipit dispositione. Sic fit, ut aliquæ Aves, ut Columba, quæ certis intervallis bina tantum ova pariunt, quolibet incubatu, Marem, & Fœminam excludant.

## C A P U T II.

### *De Oviparorum generatione.*

**A**NIMALIA quod ad generationem attinet, communiter dividuntur in Ovipara, & Vi-  
vipara. Ovipara dicuntur ea, quæ ovum intra se concipiunt, & deinde pariunt; postmodum vero parentis incubatu, aliove fomento animal generatur, & in actum reducitur, ac post certum nutritio-

nis terminum , ovi cortice fracto , foras excluditur . Vivipara vero illa esse dicuntur , quæ animal intra se concipiunt , nutriunt , & illud postquam certum incrementum fuit adeptum in lucem edunt . Quoniam autem facilius observantur , quæ ad Oviparorum generationem concurrunt , idcirco in hoc capite , quæ ad Oviparorum generationem pertinent , exponam ea verò quæ ad Viviparorum genesis , in sequenti .

**PROPOSITIO III.** ab usurpatione ab aliis non  
Ovi partes describuntur.

**O** vi gallinacei partes describendas assümimus , tum & pulli in eo generationem , quia scilicet communissimum est , omnibusque facile parabile . De ovo multi accurate scripserunt , ut Aldroandus , Fabricius ab Aquapendente , Harveyus , Malpighius , & alii . Incipimus itaque partes ovi exponere ab ipsis testa , seu cortice , quæ alba est , tenuis , & friabilis , suaque cavitate ceteras ovi partes complectit . Cortici immedicè subjet membrana tenuis , quæ & communis appellatur , quæ totam corticis superficiem internam investit , eique adharet , excepta aliqua cacuminis obtusioris parte , à qua tantillum recedit . Sequuntur deinde albumina duo , crassius unum , aliud liquidius : utrumque autem sua membrana tegitur ; liquidus quidem exteriore ; crassius vero interiore : constat autem albumen materia fibrosa , quo fit ut calore concrescat . Albuminum medium occupat vittellus , sua etiam membrana contentus , sensibiliter figuram sphæricam referens : vitello quadam macula , vel cicatrix inest subalbida , modica ad instar lentis ; hancque putat Hervætus esse principem totius ovi partem , contra Fabricium existimantem nullius esse usus , de quo postea .

. . . . .

In utroque insuper ovi apice corpora quædam sunt densa , & alba , quæ Chalazæ , seu Grandines appellantur , quod nempe quodlibet conset tribus veluti globulis grandinis ; coalescentque ex materia albuminis , magis tamen densa , & fibrosa . Chalazæ vittellum in medio albuminis continent , ita ut videantur funiculi ex membranis contortis in nodos ligati . Vulgo autem creditur non solum à mulierculis , verum etiam à plerisque Philosophis , Grandines esse Galli genitaram : ceterum id esse falsum , inde facile convincitur . Quod Chalazæ aquæ in ovis secundis , ac insecondeis , seu subventaneis reperiantur . 2. Quia Pulo genito , integræ adhuc perseverant , ut postea patebit .

**PROPOSITIO IV.**

**Gallinae partes , ex quibus ova generantur , exponuntur.**

**U**T ea , quæ ad Oviparorum generationem spectant , rectè percipiuntur , maximè oportet eas Gallinæ partes describere , ex quibus ova , eorumque partes generantur : sunt autem sequentes . *Ovarium , seu Vittellarium , Infundibulum , Superior pars uteri , & ejusdem posterior pars ,* quæ à quibusdam simpliceriter uterus appellatur .

*Ovarium* est corpus laxum , & fungosum , quod in Gallina testium vices agit : situm enim est eo loci , in quo Galli testiculi conspicuntur . *Infundibulum* est Vagina ex tenai membrana compacta , quæ latiore sui parte ovarium complectit , & angustiore orificio in superiore uteri partem definit . *Pars uteri superior* ab infundibulo versus partem inferiorem , inter ventriculum , intestina , renes , & lombos descendit . *Pars uteri superior* , quam simpliciter utrum appellant , post

post ventriculum inter lumbos , & intestinum rectum ad podicem porrigitur. Uterus in Gallina feta , aut veneri matura , carnosior est , quam in pulla juniore , & virgine , tum & plicis majoribus coalescit , atque apta ad ovum excipiendum cavitatem , tum & cellulam , & loculamentis constat , quibus intestinum colon aliquatenus refert. Totus uterus multis scatet venis , sed pluribus arteriis , totaque interior ejus superficies liquore viscido , & quasi lacteo , simili albumini ovi , madescit. Orificium autem uteri desinit in cavitatem , intestini recti extrema occupantem , quam Cloacam appellant , quod nempe in ea alvi feces , & urina e rebus defluens commisceantur , simulque egerantur : tum & per eandem viam ova ejiciuntur.

## PROPOSITIO V.

*Vitelli ortus , & incrementum explicatur.*

**V**itellus ex ovario originem dicit , quod quidem multiplicem vitellorum numerum germinat ad instar uvæ , seu racemi , eisque suas tunicas largitor , quæ cum vitellis deinde distenduntur , & ample ventre , ac collo angustiore eosdem arcè complectuntur. Initio quidem vitelli minutissimi sunt , ad instar grani sinapis , vel arenæ , itemque candidi , donec postea luteum colorem induant.

Vitellus est instar plantæ , gaudetque facultate vegetativa ; non enim secus e vitellario emergit , quam fungus ex arboris putrescentis stipite : hinc alimentum intro suscipit , percolat , & coquit : est ergo vitellus vera planta , non secus , ac fungus. Confirmatur , nam vitellorum acervus uvam , vel racemum refert , cui osculo umbilicari adhærent , donec maturescant : ubi autem vitellus maturus est , nodus umbilicalis solvi-

tur,

tur , ac à radice sua avellitur , labiturque vitellus , non secus ac uvæ granum , cerasum , &c. tum per infundibulum prædictum in uterum descendit , vel potius Gallinæ nisu extruditur. Vitelli usus est ut Pullo in alimentum cedat : non enim ex vitello pullus gignitur , ut nemo ignorat.

## PROPOSITIO VI.

*Albuminis incrementum , ceteraque ad ovi generatio-  
nem spectantia exponuntur.*

**A**lbumina similiter per veram vegetationem augentur : etenim postquam vitellus maturuit , & ex ovario secessit , per infundibulum descendens in uterum , ibi per varias plicas , ac spiras , quibus uterus exasperatus est , volvitur , illique adjunguntur albumina , quæ ex materia illa mucosa generantur , quæ ex prædictis uteri plicis exsudat. Nutritur autem albumen , usque tunicas habet , ut dixi , subtili fibrarum plexu constantes , qui plexus facultatem vegetantem necessariò supponit. Finis vero albuminis est , ut Pullo in alimentum cedat : in eoque multæ venæ umbilicales sparguntur , ut in his , quæ de Pulli formatione dicimus , patebit.

Restat nunc exponenda corticis efformatio , quæ sic procedit. Postquam ovum ad extremam uteri partem prope Cloacam est propulsum , specialem quandam humorum recipit , ex postrema uteri parte effusum , qui facile externæ , & communī ovi membranæ adhæret , & in durum , & friabile corpus concrescit.

(\*\*\*)(\*\*\*)(\*\*\*)

(\*\*\*)

## PROPOSITIO VII.

Ovorum differentiae recensentur.

1. **O**va alia sunt propriæ talia; alia verò impro-  
pria. Prima sunt illa, quibus convenit defini-  
tio ab Aristotele tradita lib. 1. Hist. Animal. cap. 3.  
Ovum est, ex cuius parte animal gignitur; ejas verò  
reliquum cibis est ejus, quod gignitur. Impropriæ  
dicta ova sunt, ex quorum toto animal gignitur, cu-  
jusmodi sunt ova Muscarum, quorundam Papilionum,  
& aliorum similium.

2. Ova propriæ talia, alia sunt perfecta cum excernuntur; habent enim jam tunc omnes partes supra  
enarratas, quas in ovario nanciscuntur: imperfecta  
verò ea sunt, quae non habent eas partes antequam  
excernantur, ut ova piscium quæ albumen sibi ex aqua  
desumunt.

3. Præcipua ovoru divisione est in insecunda, seu sub-  
ventanca, & secunda. Fecunda sunt, quæ genitura à  
mare in uterus feminæ immisa, convenienter sunt  
disposita, ut ex his animal generetur: nisi enim Galli  
coitus præcedat, nulla Gallinæ ova Pullam proferunt:  
cetera verò quæ hoc carent, insecunda sunt, & incu-  
batu, aut alio quovis fomento, putreficiunt. Alias ovo-  
rum divisiones omitto, quia sunt parvi momenti.

## PROPOSITIO VIII.

Modus, & progressus formationis Pulli à primo in-  
cubatu, ad ejus exclusionem, expo-  
nuntur.

1. **O**vum secundum, quod nempe maris genitura  
perfusum est, & ad generationem dispositum,  
antequam Gallinæ subjiciatur, prima continet Pulli ru-  
di-

dimenta: in medio autem cicatricula, ipsius pulli ca-  
rina cernitur liquamini innatās, & candidis zonis deli-  
neata.

2. Postquam ovum per sex horas gallinæ supposi-  
tum fuit, cicatricula duplo ferè major apparet, & hu-  
more limpido turgida: tum & pulli carina, & capitis  
rudimenta specie zone emergunt.

3. Post duodecim horarum incubatum, cicatricula  
jam multò major apparet, ac in ejus medio colliqua-  
mentum observatur cum carina, zonis candidis deli-  
neata. Post incubatum autem horarum octodecim, ci-  
catricula auctior apparet, ac versùs obtusum ovi ex-  
tremum, aliquantulum ascendisse deprehenditur: in  
medioque liquamini carina major conspicitur: tum  
& caput zona candida designatur, & spina tractus ap-  
paret distinctior: & interdum se se produnt alarum in-  
choamenta.

4. Transacto primo incubationis die, capitis tu-  
mor, collum, alarumque inchoamenta distinctiū cer-  
nuntur. Horis triginta elapsis, cicatricula major cer-  
nitur: Pullus verò ita se habet, ut in ejus capite emer-  
gent oculi, ac zona unita ambiant quinque cerebri  
vesiculas, ex quibus spinalis medulla protenditur, ac  
cor jam manifestatur. Post horas triginta sex jam omni-  
a majora sunt, ac distinctiora: tamen vasorum aliqui  
quandam rectitudinem more trunci nanciscuntur, eo  
scilicet quod uberiore liquore distendantur, atque à se  
invicem recedentes, majora in sterilita relinquunt. Cor  
item magis eminet.

5. Post horas quadraginta vasa sanguinea perspi-  
quiūs apparent, quæ ab ambitu ad cor, quasi ad vitæ  
centrum dicuntur. In capite solita cerebri vesicula  
turgent, ac cor turgidum pulsat: post horas autem  
qua-

quadraginta & octo, omnia prædicta manifestius conficiuntur. Circa collum, & caput, caro luxuriare videtur; alæ pendent: oculi magis eminent: cor evidenter pulsat, & sanguis à dextro sinu in sinistrum propellitur: hincque ad arterias.

6. Post tertium diem, pullus in ventrem jacet, & spina tractus à cerebello deductus conspicitur: alæ extenduntur; crurumque, & Uropigis inchoamenta apparent: cor anctius sanguinem à venis in dextrum simum recipit, & inde in sinistrum, indeque in arterias pellit, à quarum ramis inferioribus in ramos umbilicales derivatur: ex quorum complicatione cum venis sociis, retis instar efformatur. Sic jam constitutus pullus amnio circumdatur, quam membranam Chorion exterius involvit.

7. Post quartum diem cicatricula auctior appetet, & vitelli substantia palleæ colorem refert: vasa sanguinea sunt ampliora, humore subluteo cum sanguine excurrente. Pullus in amnio curvato corpore jacet, Caput præ cæteris membris turgit. Oculi nigro circulo eminent. Alæ, & crura elongantur. Cor non longè à capite extra thoracem propendet: sanguisque ab auricula in dextrum simum pellit, indeque in sinistrum. Arteria laxior est, sanguine rubro turgida; vena verò angustior, humore subluteo plena.

8. Quinta die transacta, cicatricula major est, & Pullus in liquamine incurvatur, ac moveri incipit: palmones apparent colore rubiginoso diluti. Sexta die transacta Rostrum principium emergit. Post septimum verò diem, omnia apparent majora. Pullus in amnio cubat. Anterioris cerebri vesiculae sursum trahuntur: cerebellum cum spinali medulla solidescit. Thorax acuminatur, in quo pulsat cor levi pellicula testum,

at, cuius ambo ventriculi, qui antea erant separati junguntur.

9. Ad nonam usque diem omnia firmantur. Nova verò die superata, amnio arctius pullus complectitur: arteria sunt angustiores; sed vitelli tunicam profundè penetrant: umbilicus lata pelle excitatur, cuius cavitatem vasa umbilicalia, & intestina pendentia occupant: in habitu corporis tumores apparent, unde penæ sunt eruptura. Pedes lati observantur, & rostrum osseum. Circa decimam diem vitelli substantia valde fessa cernitur: oculi pulli extuberant membrana nictante muniti.

10. Post diem duodecimam chorion paucum humorem habet: & umbilicus tubulosa cute, intestina, ac vasa sanguinea complectitur. Post diem 14. totus Pulli habitus ferè obtegitur plumis: tum unguis, ac rostrum solidantur: & intestina extra umbilicum pendent. Sequentibus diebus omnia firmantur: choriique humor sensim absuntur: umbilicus carneus intestina, ac vasa sanguinea continet: brevisque meatus observatur, quo vitelli tunica humorem in tenuem intestinum exonerat. Ventriculus, & intestina sola lacteo humore plena reperiuntur: cerebrum soliditatem obtinet.

11. Transacta die 18. Pullus calcitrat, umbilicus ejus amplior est, & turgidus, retracto ad interiora vitello: tum intestina, & vasa sanguinea, intra umbilicum continentur. Exacta 19. die, cortex friabilis est: Allantoidis tunica, sensim versus umbilicum retrahitur: ac ventrem ingresa, foramine Uracho, in extremum intestini exoneratur: vitellus omnino intra ventrem absconditur. Tandem Pullus pipit, & jam exitu proximus, rostri ictibus friabilem corticem infringit: ejus-

ejusque venter vitello turgidus est, fereque rotundus. Hac sunt potissima ex multis, quæ circa pulli in ovo formationem solertissimus Malpighius observavit: cuius observationes ob singularem præfati viri industriam, ceteris sunt preferenda.

## PROPOSITIO IX.

*Causa materialis, & efficiens generationis Pulli in ovo inquiruntur.*

**Q**uæ in hac propositione comprehendo distinctis assertionibus exhibeo. Assero 1. Gallinam materiam largiri, ex qua saltim ex parte pullus generatur. Probatur, nam pullus generatur in ovo ex liquamine, quod in cicatricula continetur: sed hoc liquamen à gallina suppeditatur: ergo, &c. Major patet ex ovi historia in præced. prop. adducta: vidimus enim in medio liquamine Pulli rudimentum apparere. Minor verò probatur: nam ovorum subventaneorum cicatricula non minus est liquamine plena, quam eorum, quæ Galli congressu fuere secundata. Dixi *saltim ex parte*, quia Gallus, media ejusdem genitura, potissimum ad pulli generationem concurrit, ut statim patebit.

Assero 2. Gallus ad ovorum secunditatem, ac pulli generationem per genituram, quam coitu in Gallinæ uterum infundit, concurrit. Probatur conclusio per partes. 1. Gallum ad ovorum secunditatem concurre-re nemo dubitat: si enim non concurreret, proculdu-bio ovum sine Galli coitu esset secundum: sed sine Galli coitu ovum infecundum est, subventaneam, ac sterile: ergo, &c. 2. Hanc secunditatem Gallum tribuere ope genitura, quam coitu in Gallinæ uterum infundit, negant Aristoteles, Fabricius, & Harvæus.

Pro-

Probatur tamen, nam Gallus, nisi coeat, nihil confert: coitus enim à natura ad generationem destinatus est: sed in coitu nihil confert nisi genitaram, qua Gallus valdè turget: & iis vasis instrutus est, in quibus genitura preparatur: ergo, &c. Quod vero galli genitura intra Gallinæ uterum infundatur, patet: nam aliter frustra essent Gallo concessa organa ad genitura generationem; frustra etiam penis conditus, quo genitura in uteri collum solet infundi. Hoc insuper confirmatur solutione argumentorum, quæ à prædictis Auctoribus objiciuntur.

Objiciunt 1. Post coitum nihil penitus genitur in utero Gallinæ reperiri. Respondeo verum quidem vi-deri, aliquo post coitum tempore nihil reperiri; utpo-tè à meliore uteri substantia immissa genitura hauritur, aut certe in partes insensibiles dividitur; si autem statim post coitum caderetur Gallina, fortè Galli genitura immissa cerneretur.

Objiciunt 2. Nullum ad uterum Gallinæ patere adi-tum: ergo à Gallo genitura in uterum Gallinæ non im-mittitur. Respondeo tamen negans anteced. Patet enim ab utero exitus: aliter ovum excludi non posset: ergo patet aditus. Verum quidem est hunc aditum cōmuniter non patere, innumeris enim plicis, ac ru-gis obstruitur; in æstu tamen libidinis laxantur mea-tus; sive recluso aditu, apertoque in coitu Gallinæ utero, infertur genitura.

Assero 3. Pullum potissimum fieri ex præcipua illa genitura parte, quæ sperma, seu semen appellatur. Constat ex dictis: in ea enim genitura parte pulli ru-dimentum, veluti in brevi compendiolo continetur quoad præcipuas ejus partes, nempe spermaticas, quæ totius fabricæ sunt veluti fundamentum. Hinc Galli

ge-

genitura, quatenus prædictum rudimentum continet, est causa præcipua formationis Pulli: ad eam tamen Gallinæ genitura suo modo concurrit: ut enim ex prima assertione constat, materia quam Gallina largitur, proximas habet dispositions, ut adjuncta Galli genitura, ex utraque Pullus generetur.

Affero 4. Genitaram, seu materiam, quam Gallina largitur ad pulli generationem, à toto ipsius Gallinæ corpore decadere. Probatur, nam talis materia est apta, & optimè disposita, ut adjuncta Galli genitura, totum pulli corpus, ac singula ejus membra efformentur. Si enim quorumdam membrorum materia deficeret, non posset pullus debita integritate formari: ergo materia genitura debet è toto corpore decadere: hoc est, singula genitraq; partes è singulis corporis partibus, quibus correspondent, emanare debent. Confirmatur: ut enim suprà diximus, ut in Galli genitura semen elaboretur, seu pulli rudimentum ab omnibus, & singulis Galli partibus emittitur proportionata materia, ut nempè similes cum sibi proportionatis, similibusque coéentes, rudimentum pulli conficiant: idem ergo dicendum est de Gallinæ genitura: ex omnibus igitur ejus partibus aliquid ad genitaram efficiendam emitte oportet, ut scilicet particula similes cum similibus in Galli spermate contentis cohærent, eisdemque uniantr, & pulli formationem in ætum sensibilem edificant. Ex quo colligitur etiam Gallinam ad pulli generationem positivè concurrere.

## PROPOSITIO X.

*Hinc explicari potest Pulli in ovo formatio.*

**A**Ccedente enim Galli genitura, quæ multis spiritibus constat, statim ac Gallinæ genitura per-

mis-

misceatur, quædam excitatur effervescentia, motusque fermentationis: hac itaque partes cum genitura Galli, tum & Gallinæ, similibus partibus rudimenti illius, quod à Gallo immitti diximus, adhærent, ipsisque uniuntur: sicque singula illa pulli membra, accedente incubatione incrementum accipiunt, ita ut ex insensibili in moleculam sensibilem excrescat, ac pullus paulatim efformetur, eo quo diximus ordine in prop. 8. Verum hæc ex prædictis sunt satis perspicua.

## PROPOSITIO XI.

*Serpentum, ac Pisces generatio ad ovipara re-ducitur.*

**E**X his, quæ diximus de Pulli in ovo formatione, colligitur etiam aliorum oviparorum generatio. 1. Serpentes ova edunt, perfectum que semen, ex quo novus deinde Serpens excluditur, ope caloris. Hinc Serpentes ova sua in fimo sepeliunt, aut juxta furni fornicem: nec enim ovis incubare possunt, ut aves. In Serpentibus item sexuum differentia est, & genitura à masculo deciditur, & in uterum serpentis feminæ infertur; atque inde ovum pullulat. Hinc Serpentes verè coéunt, nec raro ipsos invicem implicatos videbis. Serpintini autem fetus formatio, licet diversa sit à formatione pulli; ex similibus tamen principiis deducitur: tantum enim supponit primordium, seu rudimentum organizationis proprium, ac singulare ab aliis diversum: quemadmodum enim plantæ diversæ, diversa supponunt primordia, ac rudimenta in eorum semine; ita & animantia.

2. Pisces etiam inter ovipara numerantur, exceptis tamen Cete, ac Delphino, quæ viviparis adscribantur. Pisces item coéunt, ut experimenta testantur: & con-

se-

sequenter Mas aliquid genitum in foemina uterum immittit. Aristoteles, & alii non pauci putant, ova jam edita à matre, Maris genitura perfundi, & aspergi, sicque fecundari. Sed hoc falsum esse inde colligitur, quod nempè Pisces frustra coirent: sed coēunt ut nemo negat: ergo, &c. Tum etiam, quia ova liquore lacteo, seu genitura in aquis aspergi non possunt: hic enim liquor statim atque aqua commiscetur, omnem vim deperdere necessum est.

Foemina itaque Piscium paulatim pariunt, easque tunc temporis mares sequuntur, ut observat Arist. lib.

*3. de Gener. animal. cap. 6.* Idque non ut edita ova suo latere, aut genitura perfundant; sed ut novo coitu alia ova, quae proximè ad partum accedunt secundent. Sic Gallus Gallinam post editum ovum inseguitur, & comprimit. Cætera ad id genus pertinentia ex dictis satis colliguntur.

### C A P U T III.

#### *De generatione Viviparorum.*

#### PROPOSITIO XII.

*Quæ ad Maris genitaram pertinent in Viviparis, explicantur.*

**U**T in his, quæ de Viviparorum generatione dicenda sunt majori cum decore loquamur, (estò omnia munda mundis) ita cuncta perscrutabimur, ut etiam quæ hominibus communia sunt, sermone omnibus animalibus communi proferamus. Incipiamus ergo ab his, quæ ad Marium genitaram

ram spectant, quæ diversis conclusionibus breviter exponam.

Affero 1. Mas suam habere genitaram, quam necesse est in uterum foemina transmitti, ut fiat conceptio. Constat ex dictis de genitura Galli: aliter enim ad generationem non esset necessarius Maris cum foemina congressus: frustra item condita essent tam varia organa, tam mirabili artificio ad illius materiae preparationem, ac in foemina uterum delationem; si nempè nullus esset illius materia ad generationem iusus.

Affero 2. Masculi genitaram, postquam in uteri cavitatem deposita est, deferri per tubulos ad foemina testes, ut ibi ova deposita fecundet. Ova, seu aliquid ovis analogum in foemini reperi, prop. sequent. patet. Hoc supposito, probatur propositio, ex eo quod tubuli prædicti latiore sui parte ad testes applicati sunt, quos ita complecti, in brutis post coitum sectis, aliquando comperiuntur, ut vesiculæ, seu ova è suis cellulis nequeant extra testes extrudi, quin in expansa tubulorum extrema incident. Confirmatur eadem conclusio ex his quæ diximus de Galli genitura secundante Gallinæ ova: eodem enim modo proportione servata, in viviparis est discurrendum. Hinc nihil mirum genitaram maris per coitum in uterum infusam, in illius cavitate non hærente, ut satis experimenta varia testantur, quibus compertum est, in viviparorum uteris, si aliquo post coitum tempore aperiantur, nihil infusa feminis reperi; quæ fuit Aristoteli, aliisque Philosophis occasio, ut afficerent, Maris genitaram extra uterum ejici, & tantum per reliquias in utero qualitates, aut vi quadam irradiativa agere in uterum, aut foemina genitaram: non, inquam, mirandum: ratio enim

cur Maris genitura non cernatur est, quia certissimè per dilatatos fervore coitus tubulos, eodem modo in foeminae testes abripit, quo solet aer in folles, quorum tabule separantur, cum impetu ruere.

Affero 3. In Maris genitura præcipua quædam pars continetur, in qua corporis animalis rudimentum tanquam in brevissimo compendio continetur, quæ propriè semen, seu sperma dicitur: in quo rudimento inchoata animalis structura, partiumque ordinatio existit, ita ut si accedat similium partium similibus accessione, & acrécio, animalis corpus in molem sensibilem adauictum progignatur. Hoc eisdem rationibus stabilitur, ac simile quid stabilivimus contineri in oviparorum genituriis: sic enim animalium ex semine generatione rectè explicatur, & intelligitur.

Affero 4. Maris genitura in ipsis Maris testiculis efformatur ex materia, quæ à toto Maris corpore derivatur. Hæc propositio etiam manifestè deducitur ex demonstratis de oviparorum genitura: singularum enim partium generandarum materia, non alibi nisi in similibus generantium partibus præparari potest. Qualiter autem Maris genitura novam in testibus præparationem accipere posuit, ut sit secunda, sic potest explicari.

Materia quæ ex omnibus corporis partibus ad testes confluxit, hoc loci ab aliis humoribus secernitur, sunt enim testes quasi colatoria quædam, quæ multiplici filtratione præmissa, ex prædicta materia particulas illas separant, ac in loca debita transmittunt, quæ optimè dispositæ sunt, ut sint materia proxima partium corporis animalis. Facta autem hac secretione, ac transcolatione, materia illa notabilem in testibus subit mutationem, qua masculi genitura fecunditatem susci-

pit. Constat enim genitaram, cum è vasis deferentibus exit, crassiorem esse, quam cum primò in testiculorum tubulos fuerat ingressa: sic itaque, ut probabilitè judicatur in testum vasis aliqua illius materia effervescentia, quam necessariò sequitur particularum divulsio, & separatio, tum & spirituum generatio, & exaltatio, prout scilicet requiritur, ut geniturae particulæ convenienter, & facilè possint ordinari, & particulis sibi analogis sociari, & uniri; ita ut convenienter illa ordinatione, rudimentum animalis sub modicissima mole efformetur, in quo potissimum masculinæ geniturae fecunditas consistit, ut diximus in Oviparis.

## PROPOSITIO XIII.

*Quæ ad foemine genitaram in viviparis spectant, expoununtur.*

Affero 1. Mulierem suam habere genitaram, quæ est ad generationem absolute necessaria. Probatur prima conclusionis pars. Nam in foemina sunt testes, vasa item preparativa, aliaque organa geniturae productioni inservientia: ergo in his genitura procreatur: aliter enim tam eximiæ structuræ organa essent frustra. Probatur 2. Nam proles ex parte matris speciem refert, ut patet in diversarum specierum commixtione: sic Malus ex congressu Asino cum Equo, aut Equus cum Asino generatur: sed hæc adeò constans similitudo non aliunde provenire potest, quam à genitura foeminae, quæ cum Maris genitura miscetur, ut diximus in Oviparis: ergo, &c.

Objicies 1. Dummodo masculi genitura in uterum immitatur, sufficit ad generationem: ergo superfluit foemina genitura. Anteced. prob. Ut Plantarum generatio fiat, sufficit ut semina terrę injiciantur: ergo si-

militer, ut animalium generatio fiat, sufficit ut masculi genituta in foemina uterum immittatur, ac veluti feratur. Respondeo negans anteced. Ex dictis enim satis constat fœminæ genituram necessariam esse ad generationem. Ad ejus probationem, concessio antecedenti, nego consequentiam: disparitas autem est, quia in plantis uterque sexus confunditur; secus vero in animalibus, ad quorum generationem utriusque sexus operam, & genituram requiri est satis perspicuum: ac præterea terram etiam continere genituram, cuius cum jaeto semine permissione nova planta generetur, haud improbabile esse judico.

Objicies 2. Si foemina genituram haberet, posset absque maris opera concipere, & patere: sed hoc est naturaliter impossibilis: ergo, &c. Respondeo negando majorem; nam foemina genitura non potest per se solam in actu deduci: aliter frustra duos sexus in genere animalium natura instituisset. Est itaque foemina genitura ad Maris genituram, ut alkali ad acidum, ex quorum concretione, supposito ceu fundamento rumento illo, in genitura Maris contento, corpus animalis efformatur cum debita organizatione, & figura.

Affero 2. Mulierum genituram nihil aliud esse, quam humoré in vesiculis testiculorum contentum, qui cum ipsis vesiculis integris, & illæsi in uterum per tubulos uterinos, ovarum more desertur. Probatur: nam cum foemina, ut ostensum est, suam largiatur genituram ad generationem: nec aliud in ejus testiculis reperiatur, quod pro genitura haberi possit, prater materiam prædictam in vesiculis contentam, certe ea erit dicenda vera foemina genitura. Confirmatur, nam ejusmodi vesiculae in omnibus foeminis reperiuntur: &

in

in puellis quidem exiliissimæ sunt, & vix ob summam parvitatem perceptibiles: sensim autem crescunt, non tamen omnes eodem passu, sed aliae aliis citius ad debitam molem, & maturitatem perveniunt. Ubi vides præfatas vesiculas magnam habere analogiam cum ovorum primordiis, quandiu ovariis adhaerent, quæ cum maturata sunt, satisque creverunt, è suo petiolo exidunt, ac in infundibulum, indeque in gallinæ uterum deferuntur. Cum itaque tales vesiculae in omnibus foeminis reperiuntur, aperte patet eas non frustra esse, sed foeminae genituram continere.

Restat nunc ostendere, qualiter vesiculae prædictæ ē testiculis exlicant, & deinde in uterum deducantur. Affero itaque cum Franc. Bayle modo contingere. Cum dicta vesicula tum maturitatem, tum & debitum incrementum obtinuere, crassioribusque cuticulis induuntur; interius ad nascitur eis in toto ambitu materia quædam glandulosa, quæ post coitum aucta, vesiculos comprimit, easque extra testiculi membranam per dilatationem, aut relaxationem in ipsa factam expellit, ita ut locus, quo egressura est vesicula designetur cujusdam papillæ forma in testiculi membrana excitata, quæ citissimæ post vesiculae egressum obliteratur. Est autem adeò velox membrana testium in illa expulsione dilatatio, ac in statum naturalem reduc[t]io, ut foraminulum per quod vesicula exivit visu percipi nequeat: hanc autem membranæ dilatationem, ejusdemque in pristinum statum reductionem, tam brevi tempore factam, mirari desinet quisquis consideret quanta sit orificiū interioris uteri angustia tempore graviditatis; tanta enim est, ut tunc exiliissimum sylum non admittat; in partu autem tantam patitor dilatationem, ut fetui transitum præbeat. Hanc vesicula-

larum è testibus extrusionem diversa testantur experimeta, quæ à p̄dicto Auctore referuntur.

Vidimus jam qualiter vesiculae è testiculis excidunt, nunc exponere oportet qualiter in uterum dederuntur. Deducuntur itaque per tubulos uterinos: cum enim sint secundum longitudinem pervii, pateatque in eis transitus ab uteri cavitate extra uterum, & vicissim, nullumque alium usum habere posse videantur præfati canales, nisi ut vesiculas illas, in quibus genitura continetur, in uterum deferant, id ita fieri persuasum est: quod præterea non parum suadet analogia reperta inter ovorum vitellum, adnexaque cuticula, & vesiculos illas: tum & inter infundibulum uteri gallinacei, & tubulos uteri in viviparis.

Afferro 3. Vesiculos in foeminarum testibus contenatas, rectè à Neotericis appellari ova: sunt enim p̄dicta vesicula simillima cicatricula ovi perfecti, & proprie dicti, quæ quidem cicatrica est potissima ovi pars, cum in ejus cavitate pullus formetur. Afferro 4. Materiam ex qua foemina genitura producitur derivari ex toto corpore: ob eandem rationem, qua id ita fieri in genitura viri asservimus suprà.

#### PROPOSITIO XIV.

*Diversitas geniturae Maris à genitura foeminae exponitur.*

**A**spero Maris genituras esse diversas naturas à genitura foeminae: illamque ad istam aliquatenus se habere, ut acidum ad alkali. Primum ex dictis satis colligitur: si enim ambae geniturae, Maris scilicet, & foeminae, ejusdem essent naturæ, nulla esset unius ad alteram actio, neque ex earumdem commixtione quid diversum oriretur. Secundum verò ex effectibus satis

aper-

aperte deduci tur, qui similes sunt iis, qui in salibus acido, & alkali experientur. Quemadmodum enim salis alkali corpuscula, aquæ innatantia, ab acidi affusione speciale formam adquirunt: ita & genitura foemina in liquamine diffusa, admixtione geniturae Maris, à dicto liquamine separatur, & concrescit: haud feciùs quam butyri, & casei particula sero innatantes, ab eodem post coaguli commixtionem solent separari. Maris autem genituras acidorum vi potissimum coalescere, suadet ejusdem odor ad acidum vergens.

#### PROPOSITIO XV.

*Fetus in utero prima formatio explicatur.*

**V**esicula illæ, quas meritò viviparorum ova appellamus, debitam jam maturitatem adeptæ, dum in foemina testibus adhuc hærent, liquorum purissimum, & limpidissimum continent, qui ex foemina genitura, & liquamine coalescit. Quando verò genitura Maris tenuissima portio p̄dicto liquori commiscetur, quædam fit effervescentia, ei haud similis, quæ in acidorum cum alkalicis permixtione experit: hujus effervescentiae ope, motuque particularum intestino, breve illud rudimentum, seu inchoata organizatio, quod cum Maris genitura transmisum est, quodque complicatum erat, evolvitur: tum & utriusque geniturae particulae convenienter inter se ordinantur, ac conjunguntur, simulque præfato rudimento adhaerent: præsertim autem alkalicæ, quæ in foemina genitura vigent, à liquamine separantur, motuque p̄dicto acidis, ex quibus rudimentum p̄dictum præcipue componitur adhaerent, quælibet scilicet ei, cui ratione figuræ, ac dispositionis aptatur: sicut illud rudimentum perfectiorem partium ordinationem, simulque majorem exten-

tensionem intra ovum illud adipiscitur, quæ quidem ordinatio, & extensi o brevi temporis intervallo perficitur.

Postmodum vero ovum in uteri cavitatem delabitur, ibique statim haustu humore, qui ex utero stillat, augetur. Hujusmodi autem humor, qui ex uteri parietibus circa ovum stillat, intra ovum per ejus membranas imbibitur; eodem modo quo albuminum materia in gallinis à membranis vitello circumiectis imbibitur. Binæ autem sunt circa humanum fetus membranæ; circa Brutorum, tres. Prima est interior, & *Amnios* appellatur. Secunda vero exterior, quæ dicitur *Cchorion*; ambæ autem juncta, & mutuò connata, ita ut unum efficere videantur, membranam, seu tunicam *Secundinam* appellatam efficiant. Haec autem membranæ non formantur in utero; sed cum jam essent in testibus foemineis genitæ, humoris affusione ab invicem divelluntur, apparentque distinctæ. Et interior quidem, seu *Amnios*, rotundam figuram refert; *Cchorion* vero uteri cavitati accommodatur, quo sit ut in omnibus animalibus non sit uniusmodi figura, sed diverse, ut in mulieribus subrotunda; in Equis, instar sacculi, &c.

Statim itaque ac fetus rudimentum, seu ovi germen ab uteri fermento incalescit, ex humore circumfusso alimentum accipit, & augetur, ut in simili diximus de prima pulli in ovo formatione. Cum autem in fetus rudimento fieri incipit spirituum, & humorum motio, simulque eorum per varios canaliculos decursio, omnium facultatum functiones perficiuntur; & germen illud, quod tantum potentia erat animal, sit animal actu: animal quidem, quod talis speciei sit individuum. Hæc breviter dixisse sufficit: ex his enim, que-

de

de pulli in ovo formatione dicta sunt, satis colliguntur.

## PROPOSITIO XVI.

*Aliqua ex dictis resolvuntur.*

**E**X dictis colligitur 1. Maris genitaram in utero Foemina, quasi in propria gleba seri, ut sapienter Arist. præfertim lib. 2. de Generat. Animal. immo dicendum existimo, non tam seri, quam inseri in foemina genitaram. Nam primò, ut dixi prop. 14. Virtus genitura ad genitaram foemina se habet instar acidi ad alkali; constat autem acidos sales alkalicis fibi proportionatis aptari, & inseri. 2. Quia si genitura viri dumtaxat fereretur, quantumvis foemina succum nutritum huic planta nutriendæ idoneum suppeditaret, nulla ratio esset, cur fetus foemina deinde referret: sed fetus matrem quoque resert, ut Hinnus assinam, & Molus equam: ergo viri genitura, seu germen, genitur foemina, quasi alteri plantæ inseritur, ex ipsis foemina visceribus pullulante. Verum hæc constant ex dictis.

Colligitur 2. Quid Mas, quidve Foemina ad fetus generationem conferat. Mas enim in semine, ac breviculo illo rudimento, ex particulis acidis præcipue constituto, insitum germen consert; foemina vero præter glebam, & alimentum, etiam semen ex alkalicis præcipue constans consert, quod trunculi vices gerens, insitum germen à viro decissum suscipit: ex quibus invicem inter se coalitis; fetus quasi novum germen ex prædicta insertione egreditur. Hinc uterque parens ad generationem fetus positive concurrit, ac principium efficiens totale, & indivisibile efficiunt: Mas tamen plus habet activi; foemina vero plus passivi, ut ex dictis de acidis, & alkalicis in eorum genitu-

turis prævalentibus , colligitur. Et hoc fortè voluit Aristoteles , cum marem principium activum generationis feminam verò passivum assertur.

Colligitur 3. Vivipara omnia , ipsumque Hominem ex ovo prodire , ac in ovo primum generari : ut enim constat ex dictis , formatio fetus in altera ex vesiculis illis fieri incipit , quæ ova satis propriè appellantur , quo excescente , & ad maturitatem deducto , ex matrice deciditur , & in uteri cavitatem excipitur , quod quidem verum ovum est : licet enim vitello careat , & putamine ; non tamen tunicis , & albumine , alisque substantiis , ex quarum certa parte gignitur animal , modo prædicto , & ex reliquis nutritur , & vivit.

### PROPOSITIO XVII.

*Explicantur ea , quæ ex primordiali illo conceptu deinceps sequuntur.*

1. **Q**uinto , aut sexto die post primordiale conceptum , in medio colliquamenti limpidissimi , fibræ sanguineæ , & punctum saliens discernuntur : unde conceptus , qui priùs sola vita plantæ vivebat , jam vita sensitiva vivere incipit : habet enim motum , & sensum : hinc incipit esse animal , & definit esse planta. Ex puncto illo saliente , seu cordis rudimento , truncus vitæ ducitur , qui deinde per colliquamentum ramificatur. Sequenti die , quedam mucago ad instar glebae cordis rudimento adhæret , in qua capit is primordium , tribus quasi bullis distinctum , & reliqui truci ad instar carina tantulum inflexi , conspicitur. Denique sexto , aut septimo post die , ita fetus perficitur , ut vel ipsa sexus differentia appareat. Deinde venæ , non modo per colliquamentum , sed per utramque membranam Amnion , & Chorion ra-

mi-

mificat , sicutunque id quod albumini purius , & defecatus inest. Truncus autem venarum umbilicalium ex corde nascitur ; Jecorisque gibbum , tum & venæ portæ truncus permeans apparet ; indeque paululum progressus in multas propagines per colliquamentum distribuitur ; tandemque per Chorion multipliciter ramificat. Cuncta viscera albescunt ; nedum tamen thorace includuntur. Exiles autem costarum fibræ tunc primum apparent.

Tertio tandem mense , viscera pectore conduntur ; hiat tamen oris rictus ; nullus appetet nasus , nullæ aures : sunt enim peculiares cartilaginiæ , quæ postea adnascentur. Palpebre ita conglutinatae sunt , ut vix posint diduci. Carunculis demum prædictis Chorion adhæret , eisque ingentem venarum capillarium propaginem infigit. Porrò placenta , seu jecur uterinum in humano fetu , est ad instar majoris cujusdam , & continua carunculae , per quam hinc uteri arterię , inde fetus venę diffunduntur. Sicne tandem conceptus perficitur , & augetur , donec quasi fructus jam matrus per partem ejiciatur.

### PROPOSITIO XVIII.

*Tempus , quo Anima rationalis humano fetui infundit , aliquatenus determinatur.*

**S**ennertus Animam rationalem in ipso statim pri-  
mo conceptionis momento , fetui humano in-  
fundit defendit. Hoc idem nec contemnendis rationi-  
bus tuerit Zacharias Romanus. Affero tamen 1. cum  
communi sententia , non infundi in ipso statim initio  
conceptus. Probatur , nam ut recte Divus Tomas 1.  
part. quæst. 118. art. 2. ad 2. O. q. 76. art. 3. ad 3.  
art. 9. ad 9. cum Aristotele sentit , diximusque prop.

præ-

præced. Conceptus primò vivit vita plantæ, seu vegetatrice; deinde animali, seu sensitiva; tandemque rationali, ut ex dictis prædicta propos. constat: sed anima rationalis non debet infundi corpori, quod planta est, utpote excercendis operationibus humanis inepto; neque corpori sensitivo, antequam ita organizatum sit, ut corpus humanum verè appellari possit: ergo in ipso conceptus initio non debet infundi. Et confirmatur: nam Anima rationalis, utpote vera hominis forma, est actus primus corporis humani, physici, & organici, potentia vitam habentis: ergo non debet infundi nisi corpori ita organico, seu organizato, ut corpus humanum appellari valeat: sed initio conceptionis non est adhuc corpus ita organicum, ut corpus humanum appellari possit: ergo, &c. Prima consequentia patet; si enim infunderetur fetus, cum adhuc non est ita organizatum, ut corpus humanum jure dici possit, verificaretur animam esse ante corpus humanum, quod non est dicendum.

Affero 2. Animam rationalem fetui humano infundi circa illud tempus, quo fetus ita formatus est, ut vitam habeat sensitivam, præcipuasque corporis humani partes, quales sunt cor, & caput ita formatas habeat, ut corporis humani speciem aliquatenus referat. Ratio est quia cum anima non nisi corpori humano infundatur, tunc autem corpus humanum esse incipiat, cum præcipuas partes organizatas aliquatenus habet, eo temporis, & non antea debet infundi. Quo autem tempore determinato id fiat, & anima infundatur, est valde incertum; pender enim ex variis dispositionibus: ex ultimo tamen secundo mense circa medium, ut plurimum infundi; idque tam in viris, quam in mulieribus: quod enim aliqui diversitatis in sexib[us] adstrouunt,

ina-

inanè est; cum eodem ordine, & temporum interstitiis fiat in utroque sexu fetus formatio.

Objicies tamen 1. Juxta noltram sententiam, jam reperi in semine sub brevissima mole, humani corporis organizationem; ergo statim atque hoc rudimentum in uterum transmissum est, debet ei infundi anima humana. Respondeo tamen rudimentum illud non esse corpus humanum, sed tantum humani corporis rudimentum, quod tunc corpus humanum primum appellatur, cum ad eam molem, & organizationem pervenerit, sub qua corpus humanum sensibiliter extensus resert.

Objicies 2. Si anima in ipso conceptus exordio non infunderetur, maximè quia esset frustra, cum tunc nullas in illo fetu operationes vita rationalis possit excercere: sed si h[ec] ratio valeret, neque postea, cum corpus humanum est primò organizatum, deberet infundi; cum similiter tunc nullas vita rationalis operationes possit excercere: ergo, &c. Respondeo 1. negans maiorem: ratio enim cur in ipso conceptus initio non debet infundi, est ne existat anima rationalis ante corpus humanum, ut suprà dixi. Respondeo 2. permissa majori, negans min. Licer enim nullas in corpore humano primò organizato operationes vita rationalis possit excercere; anima tamen non est frustra: Infunditur enim ne detur corpus humanum quod vivat, ipsique non insit anima rationalis. Posset quidem ita esse, si Deus animam rationalem non infunderet; sed ne fraus ulla locum habeat, Deus qui recto rerum ordinis voluit esse consultum, noluit aliquid corpus humanum esse vivens, quod homo non esset: ideoque statim ac corpus humanum formatum est in utero, Deus animam infundit. Quæres tamen: si Deus animam

mam rationalem non infunderet, quid fieret? Respondeo fore tunc animal brutum, homini quoad corpus, & potentias organicas omnino simile. Quare iterum: Quam in dicto casu haberet animam? Respondeo, sensitivam: esset enim tunc actus primus illius corporis physici, & organici, illud animal in esse bruti constituens. Quare adhuc: si postea Deus infunderet animam rationalem, quid de illa prima anima sensitiva fieret? Respondeo, definere jam esse animam, ac more materie proximae uniri animae rationali, fierique ejus facultatem, ac subordinatum instrumentum: tunc enim desineret esse actus primus corporis illius organici, quod ad essentiali animae rationem requiritur. Et similiter si corpori sano Deus animam rationalem subducerebat, ceteraque conservaret, fieret iterum animal brutum, homini quoad corpus, & organa simile: iterumque forma illa primatum tenens, esset actus primus illius corporis, & consequenter anima. Hinc solvitur sequenti propositione, alia qua ex dictis oritur difficultas.

## PROPOSITIO XIX.

*In generatione viventium plures anime, non ita multo sibi succedunt, ut una adveniente, alia entitativè deficiat.*

**D**iximus suprà fetum humanum primò vivere vita vegetatrice: postea sensitiva; ac tandem rationali: ideoque primò animam vegetaticem habere, postea sensitivam, tandemque rationalem. Quaritur autem nunc, an adveniente anima sensitiva, vegetativa destruatur: & adveniente rationali, pereat sensitiva. Respondeo non perire; definere tamen esse animas, ac remanere ut formas, ac facultates animae rationalis ministras, eidemque subordinatas. Ratio est

quia

quia ut dixi Tract. 9. lib. 2. prop. 16. Forma peculiaris, aut si vis, anima plantæ, sunt particulæ actusiores, nobiliores, ac subtiliores ipsius plantæ: forma verò seu anima sensitiva, ut dixi in hoc Tract. lib. 2. prop. 6. est substantia quædam actuosa, ac subtilissima, ab ignis natura non multum absimilis: & consequenter forma fetus, dum adhuc tantum vegetat, sunt particulæ materiae actusiores, similes illis, quæ plantis insunt, ac modo haud dissimili decurrentes; quæ quidem eo temporis, actus primus sunt corporis illius organici; & consequenter habent rationem animæ vegetatricis. Quando autem fetus jam sentire, ac moveri incipit; prædictæ particulæ perseverant quidem: non enim est cur destruantur, aut abeant: quoniam verò forma sensitivæ subjiciuntur, eidemque subserviunt, non amplius sunt actus primus illius corporis organici: sicque animæ rationem amittunt. Forma autem sensitiva in fetu, seu particulæ illæ subtile, igni valde similes, tunc temporis principatum obtinent, quo fetus vita sensitiva ante infusionem animæ rationalis potitur: sicque vere est anima sensitiva: quando verò Anima rationalis infunditur, ita huic subordinatur, ut non nisi dependenter ab ipsa suas operationes agere poscit, nihilque jam sit, quam potentia quædam, ac facultas instrumentaria ipsius animæ rationalis: unde nullatenus jam est actus primus illius corporis physici, & organici; & consequenter jam deinceps anima esse nequit: solaqua anima rationalis est propriæ, & simpliciter deinceps anima hominis. Nec in homine plures animæ, sed unica tantum nempe rationalis reperitur. Sed de his Tract. sequenti iterum differemus.



ÆTATIBUS HUMANIS. VITÆ CURRICULIS. ANNI. ETATIBUS. VITÆ SPATIIS. ÆTATIBUS. VITÆ SPATIIS.

## LIBER VIII.

## DE INTERITU, SEU CORRUPTIONE ANIMALIUM.

CUM animalium corpora ex tot, tamque diversis partibus composita sunt, quarum plerique molles sunt, fluxiles, ac volatiles, faciliter quam cætera corpora, cum humorum continuo fluxu, tum & agentium occursantium vi, possunt dissolvi. Quo necesse fit, ut per varias vicissitudines se se necessario consequentes, ad inevitabilem interitum, & corruptionem deducantur. Postquam itaque animalium ortum, seu generationem perscrutati sumus, opus est ut cotundem interitum, seu corruptionem persequamur.

## CAPUT I.

De Ætatibus, & Interitu animalium per se-  
nūm.

HOC nomen *Ætas* sumitur 1. pro temporis mensura. 2. pro humanæ vitæ curriculo, centum annis definito. 3. pro spatio vitæ humanae, qualemcumque sit. In præsenti autem sumitur pro parte durationis vitæ humanae, in qua insignis ali-  
qua

## LIBER VIII. CAPUT I.

289

qua mutatio in corpore contingit. Ætates itaque in hoc sensu accepte, recte dividuntur in *Infantiam*, *Pueritatem*, *Pubertatem*, *Adolescentiam*, *Juventutem*, *Virilitatem*, seu *Consistentiam*, & *Seneçatatem*. Ratio est quia tot sunt ætates, quot solent in vita curriculo notabiles corporis mutationes contingere: sed in predictis ita contingit, ut ex dicendis patet: ergo, &c. Singulas jam seorsim exponamus.

## PROPOSITIO I.

*Ætates in particulari declarantur.*

*Infantia* extenditur ad tertium à nativitate annum. Ratio est, quia Ætas eo vitæ spatio optimè definitur; in quo hominis corpus specialem constitutionem, ac peculiare temperamentum obtinet: hoc autem in illis primis tribus annis experimur: cum enim fetus ab utero magna cum debilitate, ac teneritudine profiliat, pedibus insistere nequit, nec ad sibi necessaria quærenda se loco movere valet, sed aliena opera, & cura maximè indiger. Potissimum autem eorum cerebrum nimia humiditate obruitur, ac paucos habet spiritus, quia scilicet in vasis sanguineis continetur succus nutritius, cuius partes propter moderatam effervescientiam, vix exaltantur: cum igitur pauci generentur spiritus, nequeunt aliud efficere, quam nervorum canales implere, ac distendere: hinc primis saltim à nativitate mensibus, vix alia facultatis animalis munia obeunt, præter ea que facultati naturali, & alimentorum distributioni inserviunt.

*Pueritia* in viris à tertio etatis anno ad 14. in Muliheribus vero ad 12. pertingit. Magna enim post tertium etatis annum, breve temporis intervallo, fit in corpore humano mutatio: ab illa enim summa de-

bilitate , qua primò vix pedibus , manib[us]que innixus incedere poterat , robur adquirit sufficiens , ut pedibus insitum , iisque folis incedat : continuo enim per totam pueritiam firmantur membra , fermenta exaltantur , ac spiritus augentur .

*Pubertas* , in viris continetur inter ætatis annum 14. & 18. In mulieribus vero inter annum 12. & 18. Hac ætate insignes in temperamento , ac tota corporis constitutione sunt mutationes . Si quidem in mulieribus fervore quoddam tentantur uteri , eorumque substantia emollitur , vasa sanguinea laxantur , & menstrua prorumpunt . In viris fit semenis quidam proventus , cuius acrimonia ad venerem movet : vox immutatur , fitque gravior , & asperior . Licet autem hominum corpora in pubertate ad propagationem speciei incipient esse idonea ; non desinunt tamen quo ad mollem augeri , majoremque firmitatem , ac robur in membris adquirere . Qoniam verò in speciei conservationem alimenti purissima portio insumitur , robur corporis , & incrementum aliquid detrimenti patitur . Hinc si magnus , & frequens fuerit in pubertate , & adolescentia rerum venerearum usus , seminisque exercitio , corpora minùs crescunt , & in reliquum virę debiliiora redduntur , & infirma . Qemadmodum insuper portionis purissimæ succi nutritiæ in semenis generatione insumpta , robori corporis valde officit ; ita & pars insignis , quæ per pubertatem , & adolescentiam moli , & robori corporis accedit , de semenis vigore multum detrahit , quo fit ut in pubertate plerumque sit infecundum . Ex his colligitur , quanta sit cura adhibenda , ut puberes adolescentes à rerum venerearum usu arceantur , quantumque Reipublicæ interfit , ut viri , ac mulieres temperatè viventes , castitati in-

cum-

cumbant , ut nempe corporis robore firmato , fibi , suisque ac reipublicæ possint professe . Adolescentia autem durat ad usque annum 25. in qua majus robur corpora adquirunt .

*Juventus* ad usque annum 35. obtenditur , in qua nullum amplius jam fit proceritatis augmentum : partesque molliores majorem aliquando crassitatem adquirunt , aliquando gracilliores redduntur : ossa magis firmantur , ac quasi lapidescunt ; & cartilagines magorem duritatem adipiscuntur : corporis , & animi motus sunt validiores , cunctaque corporis exercititia melius , ac diutius sine laetitudine , ac noxa perficiuntur : tum & ex maiore fermentorum exaltatione , quam in ætatis præcedentibus , sanguis evadit calidior .

*Virilitas* , seu *Ætas consistens* ad annum usque quinagesimum extenditur , in qua corpus in eodem statu , quem in fine juvenitatis possidebat , conservatur : ita ut si aliqua fiat mutatio in partibus solidis , aut humeribus , ea sit exigua , parvumque sensibilis .

In *Senectute* omnia sensim desinunt , & in deterius ruunt , omniumque facultatum functiones debilius perficiuntur : cibi enim non recte coquuntur , ac ptitiosa excrementa succrescent : tum consumpta carnium pinguiori substantia , corpus emaciatur . Hæc & similia in extrema senectute contingere solent , neque enim omnia statim ab initio eveniunt ; sed alia aliis superveniunt , donec à modico incipientes ad summum usque perducantur .

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*) (\* \* \*) (\* \* \*)

(\* \* \*)

## PROPOSITIO II.

*Licet nulli adfessent morbi, animalia necessario interirent per senium.*

**S**enectutem extremam inevitabiliter mortem inducere, constat ex dictis. Postquam enim fermentata ad summum vigorem pervenerunt, ab illo sensim retrocedentes debilitantur, omnique privantur energia: ergo tandem omnis effervescentię motus in corpore humano sufflaminari debet: & consequenter cessabunt alimentorum coctiones, quibus id quod è corpore continua transpiratione deperditur, reparatur. Hinc necesse est mori. Quanvis igitur nulli essent morbi, sola senectute, tandem animalia interirent. Quoniam autem morbi sunt frequentissima mortis causa, quibus in quacumque aetate homo est obnoxius, idcirco aliqua breviter de morborum natura pertractabimus.

## C A P U T II.

*De Morbis.*

## PROPOSITIO III.

*Morbi natura, ejusque in suas species divisio exponitur.*

**Q**uemadmodum ut explicetur quid sit curvum, prius exponi debet quid sit rectum, eo scilicet quod curvitas nihil aliud sit, quam quidam à rectitudine recessus; ita prius nosci oportet quid sanitas sit, ut inde in morbi cognitionem veniamus, cum mor-

## LIBER VIII. CAPUT II.

293

morbus sit quidam à sanitate recessus. *Sanitas* itaque est corporis dispositio secundum naturam primò, & per se actiones rite perficiens. Ille enim sanus esse dicatur, qui rite exercere valet actiones illas, quæ ipsi secundum naturam convénient. Sanitas dividi solet in sanitatem partium, & sanitatem totius. Prima est illa qua singulæ partes ita sunt aptè dispositæ ut rite efficere valeant functiones, quibus sunt destinatae. Secunda verò, quæ & simpliciter sanitas appellatur, est quæ è recta singulorum partium simul sumptarum dispositione concurrat.

*Morbus* est dispositio præter naturam corporis viventis, primò, & per se functiones lœdens. Quæ definitio ex ipsa definitionis sanitatis explicatione satis intelligi potest. Morbus in hoc à sanitate discrepat, quod scilicet in sanitate opus est, ut omnia sint rectè disposita in corpore ad functiones vitae probè perficiendas: aliter enim non posset absolute appellari sanguinem: in morbo autem satis est ut vel unica pars sit male disposita: hoc enim sufficit ut animal ægrotare censeatur.

Morbus formaliter acceptus in duas species dividitur: tot nempe quot sunt malarum dispositionum species, à quibus specificatur, scilicet à lesione functionum organicarum, quæ motum respiciunt; aut alternativarum, quæ ad corporis temperamentum spectant: unde morbus alius est qui operationes organicas lœdit; alius verò qui corporis temperamentum à statu debito deturbat. Hinc morbus materialiter sumptus, seu ratione subiecti dividitur in *organicum*, & *similarem*. Primus partes organicas afficit, quæ nempe dissimilares sunt; secundus verò similares. Aliæ insuper sunt morborum differentiæ, quorum essentiae

ab accidentibus supervenientibus desumuntur, quæ consequenter sunt eisdem accidentales, ut in sequentiibus patebit.

## PROPOSITIO IV.

*Aliquæ generaliores morborum differentiae exponuntur.*

1. **M**orbi intemperiei, qui quia partibus similaribus immediatè insunt, etiam *Similares* appellantur, hi sunt qui ex intemperie qualitatum resultant: ideo autem pars similaris dicitur tantum morbi intemperiei subiectum, quia temperies, ac intemperies per se primò partibus similaribus competit; organicis verò secundariò tantum, quatenus nempe aliquæ ex similaribus, in compositionem aliquarum partium organicarum ingrediuntur: prædictis enim similaribus male affectis, & organica, quæ ex illis coalescunt, male afficiuntur. Inducitur autem intemperies, corporisque redditur intemperatum, statim ac qualitates, quæ se mutuò contemperabant, à debita mediocritate recessunt, & è duobus oppositis altera refringitur, altera intenditur: tum & à qualitate excedente intemperies denominatur calidæ, aut frigida: si nempe calor exceedat, calida dicitur; frigida, si frigus, & sic de ceteris.

2. **Morbus organicus** est prava dispositio ex vitiata partium organicarum conformatione resultans, qua nempe totum, aut pars aliqua ad actiones organicas perperam efficiendas disponitur. Dividitur vitium hoc in quinque species, nempe in vitium magnitudinis, numeri, situs, figuræ, & connexionis. Sic si medius digitus manus longior sit, aut brevior quam oportet, apprehensio minus rectè perficitur. Item si digitorum numerus minuatur, aut etiam augeatur, idem contingit. Si pollex in vola collocatus fuerit, manus actiones

nes impedit. Si digits sphæricam figuram haberent, prorsus essent inutiles. Similiter si digitorum ossa extra naturalem situm fuerint locata, aut muscularum nexus solveretur, manus motus, & functiones redderentur impossibilis. Duæ supradictæ morborum differentiae essentiales vocantur, accedamus jam ad accidentales.

3. **Morbus universalis**, est qui totum corpus afficit, ut febris. *Particularis*, qui aliquam tantum partem, ut Cataracta, quæ oculo tantum inest.

4. **Morbus contagiosus** est ille qui per effluvia, aut alio quovis inquinamento à corpore ægrotante emissio, aliis corporibus, in quæ incidit, communicatur, ut Scabies, Lues venerea, Pestis, &c. Illud autem advertendum est, non omnia effluvia, quæ ab ægrotis emanant, apta esse eorum morbos adstantibus inducere: neque enim omnia sufficienti activitate donantur, ut possint in aliis corporibus humorum constitutionem evertere: præterea corpora in quæ incident, ita possunt esse disposita, ut à prædictis halitibus sensibiliter saltim non afficiantur.

4. **Morbus Epidemicus** est ille, qui aliquarum regionum incolas invadunt: oritur enim ab aliqua peculiari aëris, aut aquarum, aut alimentorum illius regionis prava dispositio.

5. **Morbus Symptomaticus** est, ille, qui ab altero morbo tamquā a sua causa dependet; ut Febris à Pleurite.

6. **Morbus hereditarius** est ille, qui à Parentibus eidem morbo obnoxii in prolem cum ipso semine transfunditur, quo filii communiter, non statim ac natī sunt, eo afficiuntur; quoniam verò nascuntur cum dispositione ad illum, deinceps deducitur in actum; in aliis

aliis quidem citius, tardiùs in aliis.

7. In morbis quatuor tempora, quasi totidem eundem statas, consideranda sunt, videlicet *Principium*, *Incrementum*, *Status*, & *Declinatio*. Principium est tempus illud, quo morbus, seu illius causa agere incipit, ita ut actiones non multum adhuc lèdantur. Dignoscitur principium in morbis, qui à materia dependent, ex eo quod nullum appetet signum coctionis, aut corruptionis; sed cruda sunt omnia; in morbis verò qui à materia non dependent, ut multi ajunt de Febre hectica, dignoscitur principium ex incipiente asperitate, aut siccitate cutis, ob defectum nutritionis. Incrementum dignoscitur per graviora symptomata, & manifesta quadam coctionis, aut corruptionis indicia, prout nempe morbi sunt salutares, aut lethales. In statu symptomata valde seviant, & materiae coctio perficitur in morbis salutaribus; aut corruptio in lethalibus. In declinatione demum materia non tantum est cocta; sed magna ex parte est ejeta, ex quo sequitur omnia esse mitiora. Similiter etiam in Paroxysmis quatuor tempora distinguuntur, nempe *Principium*, *Incrementum*, *Status*, & *Declinatio*. Alia vide apud Auctores, qui hæc pro dignitate pertractant.

### PROPOSITIO V.

*Symptoma, ejusque species explicantur.*

**S**ympota prout in præsenti accipitur, est: *Accidens* præter naturam, quod morbum sequitur tamquam umbra corpus. Communiter in tres species dividitur, quales sunt, *Actio lœsa*, *Vitium excretorum*, & *Qualitas mutata*. Læditur autem actio, aut quia non fit, aut quia debilius, aut quia depravata per-

perficitur, quod multipliciter contingere potest. Vitium in excretis, & retentis, est quidquid præter naturam in eis observatur à morbo dependens, quod etiam diversimodè potest contingere. Tertia symptomatum species, quæ *Qualitas mutata*, & *affectus corporis* appellatur, est quoddam accidens præter naturam corpori viventi inhærens, & actionem lœsam sequens, ut est calor præter naturam, & aliae similes qualitates.

### PROPOSITIO VII.

*Aliqui morbi in particulari discutiuntur.*

**N**on abs re futurum judico in præsenti, principaliores morbos, qui corpus humanum invadunt breviter discutere.

*Cephalogia*, seu capitis dolor, satis notum symptoma est: sedemque habet in partibus capitis nervosis, sensu exquisito præditis, in quibus scilicet spiritus animales hospitantur. Duplex præcipue est capitis dolor, alius nempe qui totum caput occupat; alius verò qui dimidiā ejus partem afficit, qui idcirco *Hemicrania* appellatur. Causatur à spiritibus salinis, & acribus, qui cum angulosis particulis constent, fibras divellunt, pungunt, &c. Est autem dolor capitis varius, prout varia sunt salia ejus partes afficiencia.

*Apoplexia* fortis, ac plena est, subitanea cunctorum sensuum, & motus in toto corpore privatio; ita enim repente hominem corripit, omnisque ejus actiones intercludit, ut sola aliquali, eaque difficiili respiratione, vel potius stertore, à mortuo distinguatur: hæc que acutissimus morbus est hominem de medio tollens. Alia autem Apoplexia, quæ debilis est, aliqualem sensum, & motum relinquit, ita ut in paralysim saltim partiale terminetur. In assignanda ejus causa valde la-

laborant Auctores ; verosimilius autem videtur provenire à pororum, seu canaliculorum cerebri obstruccióne, aut nervorum compressione, qua nempè spiricibus fluxus in artus prohibetur , aut nervi ad motum redudentur inepti : cum enim motus à capite, seu radice, proveniat, prefata obstruccióne ibidem posita , omnis motus, ac sensus cessare debet. Causa autem prædictam obstrucciónem inducens, non nisi humor pinguis, ac tenax esse videtur, sive sit pituita, ut voluit Galenus; sive sit alia materia, quæ à magna elevatorum halitoium copia in cerebro coagulatur. Halitus autem huic coagulationi maximè idonei sunt salini, præsertim si in his emineat aciditas vitriolata, quæ maximam vim coagulativam habere videtur , ut experimenta testantur. Hęc enim materia vitriolata cerebrum constringit, ac veluti sticticum facit, ut jam cognovit Avicena , quo sit ut cerebri meatus ocludantur, & consequenter sensus, & motus deficiant. Præterea sanguis etiam coagulatur ab eodem spiritu acido vitriolato : quod si in vasis cerebri contingat, apoplectica symptomata facile subsequentur.

*Paralysis* est nervorum quædam solutio, seu relaxatio, qua motus, & sensus cessat, vel in toto corpore excepto capite ; aliter enim esset Apoplexia , vel in alterutro latere, vel aliqua corporis parte, nempè brachio, manu, lingua, crure, &c. Daplex est Paralysis, una perfecta, in qua sensus, & motus omnino perit; altera imperfecta, in qua motus auferitur, integro manente sensu. Ejus causæ sunt meatum obstruccióne, qua spiritus permeare prohibentur. Hoc autem diversimode posse contingere videtur : nempè cum nervi vel ex callo, vel ex nodo, vel ex tumore ita impediuntur, ut spiritibus viam non præbeant. Contingere sèpè solet,

ut

ut unum tantum latus hoc morbo corripiatur ; quia cum nervi in paria , ut alibi diximus dispertiantur, contingere potest, ut solutio prædicta, altera nervorum parte illæsa, in alteram solum cadat ; adeò scilicet ut una tantum medullæ spinalis portio, dextra scilicet, aut sinistra ; superior, vel inferior eo vitio corripiatur.

*Catalepsis* quandam habet cum Apoplexia affinitatem, sic solet à plerisque definiri : *Stupor vigilans cum rigiditate*. Qui enim hoc morbo corripiuntur, sensus redduntur expertes, ac motum in toto corpore amittunt, ac eandem membrorum positionem retinent, quam ante hujusmodi invasionem habebant, ita ut sive stantes, sive sedentes, vel scribentes repertiantur, eundem situm post invasionem retineant. Hujus satis mirandi affectus causa tribuitur à Galeno frigide, ac siccæ temperie. Fernelius eam tribuit pituitæ , & bili. Sennertus, cuidam spiritui congelanti, ac spiritus animales figenti. Carolus autem Musitanus Catalepsis causam esse ait, corpuscula nitrosa, quæ à sanguine in porulis nervorum prope eorum principium deponuntur, quod quidem principium obseratur , & obstruitur : unde spiritus animales incarcерantur ; sicque per nervos in artus, & musculos fluere prohibentur: & qui miseri fuerant ante morbi invasionem , remeare non possunt : hinc membrorum compages immobilis redditur , sensusque suis functionibus prohibentur. Hinc morbus iste *Stupor* appellatur ; à Græcis autem *Ecstasis* dicitur. De Ecstasi autem illa, quam Sancti patiuntur , cum eorum mens ad cælestia contemplanda profundiùs incumbit, alibi forsitan pertractabimus.

*Lethargus* lenta quidem, ac continua febris est, qua qui

qui corripiuntur, ita nimio sopore obruuntur, ut vix aliqua obiecti sensibilis impressione excitati queant. Hęc dormiendi necessitas à materia quadam *Narcotica*, seu sulphurea, inducitur, quæ à sanguine in cerebro deponitur, ejusque meatus subiens, spiritus abigit, aut dissipat, aut fortè suo motu privat.

*Vertigo* est affectio, qua omnia circumstantia in orbem agi videntur. Quod ad ejus causam attinet, Galenus 3. de loc. affect. cap. 8. eam esse ait spiritus animales, qui in orbem aguntur. Ut tamen hujus affectio-  
nis causam assignem, supponendum est, ut alibi dixi, sensationem propriè, ac præcipue fieri in sensorio communi, ubi præcipua est animæ sedes; taliter autem sit, ut si ibi aliqua ex causa eodem modo afficiantur nervorum capita, & radices, ac solent affici, quando digitus, pes, aut manus afficitur, eadem sensatio fiat, quantumvis prefatae partes minimè afficiantur. Pater hoc ex historia duarum mulierum, quibus recisum fuit brachium, & crus: haec namque mulieres sèpè quærebantur de doloribus in digitis, quibus carebant.

Hoc supposito: Si plexus ille nerveus, in quo sensorium commune statuimus, ita afficiatur, ut ejus fibrillæ ab organo visus provenientes eodem modo in-  
flectantur, torqueantur, &c. ac afficiuntur quando ab obiectis in retina similis inducitur motio, & affectio, eadem omnino sensatio, & affectio continget, quantumvis in retina talis affectio non existat. Quod qui-  
dem experimento comprobatur. His enim qui veloci-  
ter per aliquod tempus super pedes circulariter mo-  
ventur, etiam hoc motu cessante, omnia obiecta rota-  
re, ac in orbem verti videntur, eo scilicet quia impres-  
sa illa affectio in ipso plexu nerveo, sensoriore communi perseverat, licet tunc talis affectio in retina non

fiat:

fiat: ergo similiter, si ab aliqua causa interna prædi-  
cto plexui similis affectio imprimatur, ei qui eam pa-  
titur, omnia in gyrum verti, ac rotare videbuntur, ut  
contingit his, qui vertigine sunt affecti.

Solum jam nunc exponentum restat, quænam sit  
causa prædictam impressionem sensorio communi, ple-  
xuique nerveo inducens. Existimo autem cum plerisque  
id provenire à compressione cerebri, ratione cuius  
humores, & sanguis perperam percolati, nec libere  
percolari valentes, in plexum sentientem ita agunt, ut  
una pars aliam premens; item alia, aliam, eandem  
impressionem efficiunt, quam efficerent obiecta, si illo  
motu circumacta intuerentur: ratione insuper illius  
compressionis, spiritus spatiari non possunt, sed  
successivè, ac violenter per tubulos intropelluntur, &  
motum vertiginosum ibi inducentes, vertiginis affec-  
tionem caufant; quæ si frequens sit, Apoplexiæ so-  
let esse prænuntia.

### PROPOSITIO VIII.

*Alii morbi breviter expenduntur.*

**E**pilepsia, quæ & *Morbus caducus*, seu *comitialis*  
appellatur, est motus convulsionis totius corpo-  
ris, non perpetuò, sed interpolatis, & subitaneis paroxi-  
smis adorians, sensuum uisum, motusque voluntarios  
suspendens, ac lœdens. Oritur à sanguine depravato,  
qui ob negligentem percolationem, ac præparatio-  
nem, iis corpusculis abundat, quæ aciditatem vitriola-  
tam, & acerrimam habent, quæ flypticitate sua arterias  
carotides constringentes, viam spiritibus vitalibus si-  
stunt: tum & cerebri meatus constringentes, simul-  
que pungentes, ac nimium vellicantes, partium cor-  
poris, præcipue externatum convulsiones, & contra-  
dio-

ciones excitant. Quoniam verò ejusmodi materia non nisi sensim fermentatur, post certas tantum periodos invadit. Solent autem qui hoc morbo laborant, spumam emittere, ob nūcum nempè cerebri, ac musculorum compressionem.

*Convulsio* est nervorum versus suum principium violenta adductio à causa intrinseca proveniens. Hic affectus à multiplici causa provenire potest, ac præsertim eis, quas in præcedentibus morbis assignavimus.

*Delirium* est affectio, qua durante, homines ad breve tempus, absurdā mente volvunt, loquuntur, aut agunt: aut hæc cuncta faciunt. Delirium in febribus duplex assignatur, aliud ridiculum, & alterum serium. Ridiculum est, quando ægri varia absurdā, incondita, & malè cohærentia cum quadam hilaritate, & aliquando cum risu proferunt. Delirium serium est quando ægri, quasi irati, & quodam furore varia proferunt incondita, & absurdā. Constat hac differentia ex Hippocrate Aphor. 53. scilicet 6. *Desipientie, quæ cum risu sunt, securiores; quæ verò cum studio, pericolosiores.* Id est, deliria ridicula minus mala sunt, quam seria, & cum jurgiis. Hujus morbi origo provenit, aut à sanguine bilioso cerebrum aliente, aut potius à spiritibus animalibus malè affectis, qui motus, & sensus organa tam vehementer, ac tumultuanter afficiunt, ut usū à natura destinato priventur: tum & tractum phantasmatum invadentes, varia illa, & inconcussa excitant.

*Pleuritis* est membrana illius, quæ *Pleura* dicitur, & costis subtenditur, phlegmone, sive inflammatione affectio. Solent pleuritidem comitari febris, respiratio difficultis, acutus in latere dolor, & tufsis. Pleuritidem

au-

autem pulmonis exteriorem partem afficere, constat ex Hippocrate lib. de loc. in homine, ubi dicit: *Utræquo pulmonis parte inflammata fieri peripneumoniam; si verò altera tantum pulmonis pars inflammetur, effe pleuritidem.* Ex quibus verbis colligitur juxta Hypocr. Pleuritidem, & Peripneumoniam non differre loco affecto, nam in hac interiores pulmonis partes; in illa verò exteriores afficiuntur: tum eadem signa, causa, prognosis est, & utriusque curatio. Hujus morbi causa est, præsertim cum plegmone comitatur, sanguis illabens ex arteriis illius tractus, qui *Argos* dicitur; cum nempè continuo, ac frequenti caloris astu est accensus, qui cum à venis capillaribus, ob frigus contraria, exugi non possit, in phlegmonem abit, ac putreficit, qui varius est pro diverso sanguinis vitio, temperie, &c. ac pro diversa acrimonia, quam eo loci acquirit.

*Icterus* est morbus, quo per totum corpus bilis ita affunditur, ut livido, aut croceo colore tintum apparet: id autem ita contingere, valde probabiliter judicat Carolus Muscitanus. Alimenti subtilis pars in animalis sedis nutrimentum, crassa verò, ac fœculenta per intestina excernitur: hæc autem partis subtilis à crassa secretio in ventriculo sit prævia fermentatione, juvanteque calore promovetur; & subtilis quidem in ventriculi tunicas se insinuat, ac per ductus alibi expositos in nutrimenti loca se confert; quod verò residuum est alimenti, per pylorum ad tenuia intestina descendit: & quoniam in hac alimenti parte ulterior adhuc desideratur partium subtilium ab excremento separatio, idcirco providit natura, ut excrementitia fellis pars per vasa biliaria in duodenum influeret, cuius permissione materia illa in liquorem resolvitur, quo sit

fit ut spirituosa pars, quæ antea crassioribus materiis alligabatur, per subtile ductus ad nutritionis loca sumiliter deferatur.

Accidit autem quandoque, vel errante in stomacho digestione, vel felli liquoris debilitate, ut pars subtilior à crassa non se extriceret, tuncque tota illa massa diversos fortitor colores, ut flavum, nigrum, lividum, &c. Quo in casu, si facultas distributiva alienetur, & excrementum illud ad intestina crassa non deferatur; sed per ductus ab intestinis progressos distribuatur, tunc in venas se se insinuat, & cum sanguine defertur, & ad totam corporis superficiem deducitur, quam suo colore tingit: hinc ob ejus defectum fæces, quæ excerauntur, albescunt, & urina crocea evadit. Tertia malè curata in hunc morbum sapè degenerat: tum eum inducit insolita bilis commotio, & id genus alia.

*Hydrops græcè Aquaintercus*, & aqua inter cutem appellatur, quoniam aqua sub cute est, ipsaque turgescit venter. Hujus morbi causa à depravata sanguificatione procedit: debitè enim sanguificationis deficitus, multum serum colligitur, & aquosa substantia; quæ vel in cavitates Peritonei, vel thoracis, scroti, ac sub cutem expellitur. Tumoris autem causa est, quod nempè diffusus per totum corpus humor prædictus, non à venis sugatur propter obstrunctiones, & cruditatem materię. Hinc semper Hydropicus sitit, quia cum vena nullum humorum sugant, fauicium membranæ, ac fibrae exsiccantur, ex quo inextinguibilis oritur fistis.



## CAPUT III.

*De Febris.*

**F**EBRIS morbus est ita frequens, ut maxima hominem pars ejus invasione intereat: ejus autem causa ita humanum captum effigunt, ut Medici doctissimi, ac solerissimi naturæ indagatores ingenuè profiteri non vereantur, se adhuc febrium naturam non fuisse assequitos. Si hæc materia foret pro dignitate tractanda integrum tractatum exposceret; paucula tantum in præenti adducam, quatenus nostrum institutum requirit.

## PROPOSITIO IX.

*Vulgata Febris definitio, ac constitutio expeditur.*

**F**ebris nomen ideò huic morbo impositum est, quod nempè experientia teste, sit passio quedam excandescientia permanentis motus cordis, & arteriarum, cui associari solet totius corporis calor, & fervor, quamvè consequuntur alia symptomata, languor, debilitatis, doloris, & alia quamplurima. Solet autem communiter definiri, quod sit *Calor præternaturalis in corde accensus*. Causas autem excandescientia febrilis putant communiter esse; efficientem quidem, cordis caliditatem nativam: materialem vero esse sanguinem, copia, vel qualitate peccantem, qui non secus ac ligna, pabulum flammæ subministrat. Præterea quia febres ut plurimum certas habent dura-

tionis, & intermissionis periodos, statim temporibus denuò invadentibus: necesse est ut sanguini aliquid aliundè accedit, quod ad singulas periodos febriles, tali proportione, ac tempore possit denuò febrim reaccendere, quod juxta communem sententiam nihil aliud esse posse videtur, nisi humor aliquis excrementius, ac corruptus, in minera aliqua delitescens, qui focus putredinis communiter dicitur, ubi sensim augmentatus, sanguinem denuò male afficit.

Hac sententia, quatenus ait calorem febrilem in corde accendi, difficilis mihi videtur: cor enim à sanguine calorem accipit, & à sanguinis influxu ejus calor dependet, quo cessante, breviter ejus substantia restri geratur, quamvis propter densitatem, quam habet, calor semel suscepsum diutiùs, ac intensius retineat; & consequenter à sanguine deducendus est calor, qui jugiter per totum corpus diffunditur: ergo calor præternaturalis in febris, potius in sanguine, quam in corde censendus est accendi.

#### PROPOSITIO X.

*Febris consistit in præternaturali sanguinis dispositione, ab aliquo acre exaltato inducta, quæ effervescentiam præternaturalē efficit, & actiones naturales ledit.*

**I**Ta Francisc. Bayle *Phys. partic. part. 2. tract. 2. lib. 3. disp. 5. art. 1. & alii.* Probatur, nam febris in ea dispositione consistit, qua illud symptoma semper producit, quod in omni febre repertur, & sine febre, aut dispositione illa consistere nequit: sed dispositio præternaturalis sanguinis prædicta illud symptoma pro-

producit, quod sine febre nequit consistere: ergo in ea sanguinis dispositione consistit febris. Minor patet; nam symptoma, quod communī consensu in febre reperitur, est pulsus frequens: tum & præternaturalis, ac vitiata sanguinis effervescentia: sed hæc proveniunt à prædicta sanguinis dispositione: ergo, &c.

Pulsus frequentiam provenire à dispositione sanguinis præternaturali, quam acre exaltatum inducit. Probatur, nam pulsus, seu alternata arteriæ dilatatio, & contractio, dependet, ut alibi diximus, ab alternata contractione, & dilatatione cordis: cum enim cor contrahitur, sanguinem in arterias pellit, easque dilatat, eademque cessante contrahuntur: pulsatio igitur arteriarum à cordis motu dependet; & consequenter pulsus frequens, à frequenti cordis contractione, & dilatatione debet deduci. Cordis autem motus licet immediatè exequatur à spiritibus, ut dixi lib. 2. prop. 32. determinatur tamen in statu sanitatis à sanguine moderatè fervente, ac moderata acri monia prædicto, propter moderatam actuum exaltationem; quo fit ut in statu sanitatis moderata sit pulsus frequens: & ex hac moderata pulsus frequens rectè deducitur acrium mediocritas in statu sanitatis. Quando verò acria nimium sunt exaltata, sanguisque eisdem fuerit imbutus, ut contingit in statu febrili, tunc inquam, pungendo, ac vellicando, cor ejusque facultatem ad frequentiores contractions determinant, siue cordis motum, & arteriarum frequentiorem reddunt: tum & inordinatum, & inæquale: id igitur provenit à prædicta præternaturali sanguinis dispositione, nimiaque acrium exaltatione.

Quod verò acria nimis exaltata in sanguine febricitantium, inducant in eo effervescentiam, & ardorem

præternaturalem, inde ulterius patet, quod scilicet, ut alibi diximus, cum de fermentatione ageremus, ab acribus maximè dependet effervescentia: ergo his vi-tiatis, & nimum exaltatis, necesse est fieri effervescentiam præternaturalem, cum pulsu frequentiore. Tandem quòd iisdem positis, actiones, functionesque na-turales laddantur, est certum: nam ut alibi diximus, omnium coctionum fermenta derivantur à sanguine: & consequenter nequit sanguinis constitutio vitiari, quin fermenta pariter videntur: ergo neque possunt acria in sanguine contenta, quævè sunt fermentorum materia, alterari, quin alterentur fermenta, quæ ex eis componuntur. Hinc in febricitantibus alimenta non bene coquuntur, nutritiones perperam fiunt, aliaque similia consequuntur. Confirmatur ulterius eadem conclusio ex causis febrium, que vulgo assignantur, ut in sequenti propositione ostenditur.

## PROPOSITIO XL.

*Febrium præcipue cause assignantur.*

**Q**uinque communiter assignantur febrium causa.

1. Motus corporis, aut animi.
2. Putredo.
3. Rei calidæ contactus.
4. Pororum cutis constrictio.
5. Admixtio rei calidæ, calidæ inquam, actu vel potentia: quas breviter percurremus.

Motus corporis, vehementior nempè, & diuturnior, febrem inducere potest: alternis enim muscu-lorum contractionibus, ac relaxationibus, vena modò comprimuntur, & sanguinem in eis contentum versus majores venas, & cor ipsum impetuose propellunt; modò relaxantur, & sanguinem ex arteriis capillaribus facile accipiunt. Ubi vides circularem sanguinis mo-

tum

## LIBER VIII. CAPUT III.

309

tum accelerari: & hac quidem acceleratione, acria, seu fermenta in sanguine contenta, exaltantur, quo sanguinis effervescentia augetur, pulsusque fit frequentior, cæteraque contingunt, quæ febrem comitari solent.

Animi motus, seu Pathemata, acrum etiam exalta-tionem promovent, vel quatenus majori cordis motu, aut frequentiori, sanguinis motum accelerant, ut acci-dit in gaudio: vel quatenus bilem exagitare, ut evenit in ira: vel quatenus transpirationem impediunt, ut accidentit in tristitia.

In putredine fermenta exaltari, est certum. Cum enim putredo sit quædam corporis putrescentis resolu-tio, necesse est, in ea acria ab aliis particulis separari, ac effrenatè vim suam exerere: ergo & sanguinem in-sicit, febremque inducit.

Similiter calida admota, aut assumpta, & permista partibus, quibus applicantur, aut miscentur, calorem inducunt: & consequenter particulæ, ex quibus co-alescent, in vorticisum motum concitant: ex hoc motu oritur in particulis quidam ad separationem ni-sus, qua tandem contingit; acria itaque à ceteris se-juncta exaltantur, & sanguinis effervescentiam augent, qui per cor transiens, ipsum vellicat, pulsusque motum celeriorem reddit.

Cutis pororum constrictio, transpirationem prohibendo, febrim adducit: quod enim per insensilem transpirationem excernitur, sunt particulæ salis volati-lis exaltatæ, & ab his quibus complicabantur, ac con-temporabantur, secreta: ergo transpiratione prohibita, plurimum hujus salis, cum exitum non inveniat, in sanguinem refluit, ac in eo hospitatur: & consequen-ter prædictæ particulæ sanguinis effervescentiam auge-bunt:

bunt: tum & cætera acria in eo latentia commovebunt, & exaltabunt: sive causabitur febris.

## PROPOSITIO XII.

*Febris in varias species dividitur.*

**E**X variis speciebus, in quas febris dividitur præcipuas dumtaxat enumerabimus. 1. Dividuntur febres in continuas, & intermitentes. Continuae sunt illæ, quæ à prima invasione, usque ad integrum solutionem ægrotantem affligunt: & in his quidem actu, & continuo reperitur prava illa sanguinis dispositio ab acribus exaltatis inducta, donec iisdem acribus à sanguine expulsi, aut temperatis, & obtusis, sanguis ad meliorem statum revocetur. Febres intermitentes sunt illæ, quæ non continuo à prima invasione ægrotantes affligunt; sed per certa temporis intervalla recurrent: & in his predicta sanguinis prava dispositio, modò viget acribus exaltatis, modo desinit, eisdem à sanguine expulsi, aut temperatis.

2. Febres intermitentes ulterius dividuntur in alias species, juxta majorem, aut minorem celeritatem, qua redeunt paroxismi: communiores autem sunt tres, nempè Quotidianæ, Tertianæ, & Quartanæ. Priorum paroxismi quotidie, eadem circiter hora, & eodem ferre modo redeunt. Tertiana paroxismi, tertio quoque die eadem ratione redeunt. Quartana autem, quarto quoque die.

Advertendum autem est, non omnes intermitentes, quarum paroxismi quotidie redeunt, de genere quotidianarum esse censendas: si enim paroxismi, qui quotidie redeunt, inter se discrepant, & horis diversis diei redeant, aut diversimode ægrotantem affligant, di-

diversaque symptomata inducant, diversi generis febris est judicanda: videlicet si primus paroxismus sit similis tertio, & secundus quarto, ea febris Tertiana duplex est appellanda: si autem primus paroxismus sit similis quarto; secundus, quinto, &c. talis febris vocabitur Quartana triplex, seu ex tribus quartanis composita. Hinc etiam dividuntur febres in simplices, & compositas. Simplex vocatur, qua sola affligit ægrotantem: composita autem est ea, quæ ex pluribus febribus componitur; ut ex duabus tertianis: ex duabus quartanis: ex continua cum intermitente tertiana, aut quartana, &c. Sed pauca de ipsis in particuliari dicamus.

## PROPOSITIO XIII.

*Febris Ephemeræ, & Synochus simplex, seu non putris exponitur.*

**F**ebris Ephemeræ, aut Diaria, sic dicitur, quia ut plurimum uno tantum die durat, raroque ad plures extenditur. Consistit autem in ea sanguinis dispositione, quam inducunt acria tenuissima exaltata, quæ tenuissima sanguinis portioni innatant, eamque fermentant, hacque fermentatione totam sanguinis massam agitant. Quod hanc febrem inducunt acria subtilissima patet ex ejus brevi duratione: tum & ex eo, quod materia illa acris, cum tenuis sit, & spirituosa, levi sudore, aut aucta solùm transpiratione finitur, ac levissimis auxiliis cedit. Notandum tamen est, quod febris Ephemeræ, licet per se spectata facile solvatur; aliquando tamen non vacat periculo ob pravam dispositionem ægrotantium: in plethoricis enim corporibus facile degenerat in febrem putridam, nisi plenitudo

do maturè tollatur; in calidioribus verò naturis, in febrem ardentem: in siccis, & squalidis in febrem hec-ticam potest devenire.

Febri diaria valde affinis est illa, quæ *Synochum* simplicem appellant: dicitur *Synochus*, quia à prima invasione continuò affigit ægrotum usque ad integrum solutionem sine ulla intermissione: dicitur item *simplex*, quia omnis est putredinis expers. Hæc ab eisdem fermè causis procedit, ac diaria; soletque intra quintum, aut septimum diem sudore, aut hæmorrhagia solvi.

#### PROPOSITIO XIV.

*Febres humorales, que putridæ appellantur exposuntur.*

**F**ebres hujusmodi *humorales* vocantur, quia in ipsis omnis generis humorum substantia malè afficitur: dicuntur autem *putridæ*, quia ab humorum putredine oriri putantur. Assero tamen febrium putridarum causas esse ea omnia, quæ ita acria exaltant, ut sanguinem, aut crassiores illius partes dissolvant, ut colligitur ex dictis. Potentissima autem febrium putridarum causa sunt illæ, quæ transpirationem prohibent: acria enim jam soluta, & ab iis quibus contemperabant liberata, & ad excretionem parata, in sanguinem refluent, quæ postmodum sua activitate, cætera acria in sanguine latentia movent, ac suscitant. Similiter acria assumpta magnam vim habent ad febres putridas producendas, ob eandem rationem. Interdum predicta acria intra corpus, in recessibus variis generantur, quæ humoribus immiscuntur, eosque corruptunt, febresque putridas ingenerant.

Jux-

Juxta Hippocratem autem bilis est omnium febrium putridarum causa; quod etiam intelligendum est de omni humore bili analogo, qui nempe plurimo sale alkalico redundant, à quo tota vis resolvendi, quæ in bile existit, dependet: ad hoc autem ut bilis, aut ipsi affinis humor febres putridas inducat, opus est, ut à vinculis, quibus coercebatur liberetur. Quod sanè præstant acida acria; hac enim copiosius in sanguinem infusa, partes alkalicas in eo latentes exagitant, simulque effervescentiam in ipso sanguine excitant. Hinc juxta majorem, aut minorem bilis copiam, & exaltationem, & pro varia aliorum humorum mistura, magis, aut minus resolvitur sanguis; simulque magis, aut minus fervet in febribus putridis: hinc si bilis pars sulphurea multa sit, & plurimum exaltata, calorem infert intensissimū, sicutique intolerabilem, ideoque ejusmodo febris *Ardens* appellatur.

Febra putridæ dividuntur in Continentes, ita dictæ, quod à prima invasione ad usque integrum solutionem continuò affligunt ægrotantes: & intermittentes, de quibus propositione sequenti. Insuper Febres continentis dividuntur in continentis in specie dictas, & in continuas. Continentes in specie dicta sunt illæ, quæ ab initio ad finem eundem servant crescendi, aut decrescendi, aut consistendi tenorem. Febres verò continua, esto nullam patientur intermissionem, habent tamen aliquam inæqualitatem, & in eis per certa intervalla fiunt aliqua exacerbations, quæ modò singulis diebus, modò alternis, modò quarto quoque die recurrent. Ideoque aliæ dicuntur quotidiane continentæ, quarum nempe paroxismi quotidie redeunt; alia Tertianæ, alia Quartanæ, prout tertio, aut quarto die exacerbations recurrent. Non omnes tamen

con-

continuæ, quarum exacerbationes redeunt quotidie, sunt de genere quotidianarum, nisi earum exacerbationes eadē hora redeant, aut eodē modo anticipent, aut postponant, & eisdem symptomatis invadant. Si enim prima exacerbatio sit similis tertia; secunda quartæ, est de genere Tertianarum; si verò prima sit similis quartæ; & secunda quintæ, &c. erit de Quartanarum genere.

## PROPOSITIO XV.

*Febres intermitentes explicantur.*

**C**onstat ex dictis, Febres etiam intermitentes ab acris exaltatis dependere, quæ præternaturalem effervescentiam sanguini inducunt. Id autem exponendum est, cur nempe paroxismi in intermitentibus per intervalla tantum recurrant, & desinant; quod satis difficile est, ac Auctores in diversas coagit abire sententias. Censo autem cum aliquibus, valde verosimile esse causam excitantem paroxismos febrium intermitentium esse portionem aliquam succi pancreatici, quæ in aliquo ramo ductus Virsungiani, pituita, aut alia de causa obstructo, retinetur, ubi diutius hærens, majorem acrimoniam acquirit; qui cum redundant, obstaculum vincens, versus intestina tendit, à quibus per venas lacteas in massam sanguinis effluens, effervescentiam præternaturalem producit.

Ut hoc aperiū statuatur, supponendum est, quantum per diligentes observationes colligi potest, alkali-ca acria in bile manifestum dominatum obtinere; acida vero in succo pancreatico, & succis salivalibus: hæc autem sensibilia non sunt, nisi augeantur, & exaltentur: augentur autem, aut exaltantur, alkalicæ quidem in bile; acida autem in succo pancreatico, saliva, & in lim-

limpha, idque vel vitio sanguinis, vel vitio partium, in quibus prædicti humores percolantur, aut retinen-tur.

Postquam itaque succus pancreaticus exaltatus, & acidior redditus, remoto impedimento in intestina defluit, & per ductus lacteos defertur in sanguinem, sua aciditate illi majorem consistentiam conciliat, ejusque motum intestinum aliquantulum sedat: & consequen-ter calorem imminuit, unde frigus, horror, ac ple-rumque tremor in principio paroxismorum egrotantes patiuntur, & ob eandem rationem pulsus efficitur mi-nor. Hæc autem ex assignata materia è pancrease pro-venire, inde suadetur, quod scilicet frigoris illius sensus circa lumbos sentiatur, in primo paroxismorum insultu.

Quoniam verò succus pancreaticus copiosior est, & acrior, cum versus intestina defluit, ductus biliarii ex-trema, ibi existentia, vellicat, ac pungit, quo fellis vesiculam ad contractionem impellit, que similiter per ductus lacteos in sanguinis vasa properat: ubi au-tem prædicti humores alkali, & acidi exaltati, in san-guinem ingrediuntur, præternaturalem in eo efferve-scentiam, caloremque acriorem, & intensiorem ex-citant, haud aliter quam cum oleum Terebinthinae cum spiritibus seu oleo Vitrioli commiscentur. Hinc pulsus major efficitur, ut testatur experientia. Conti-nua autem illa bilis, & succi pancreatici, seu alkali, & acidi in se invicem actione, fermenta illa temperan-tur, aut redundunt, & ad ulteriore fermentatio-nem excitandam redundunt inepta, ceteraque maxi-mam partem paroxismi saevitia: tum glandulæ subcu-taneæ calore illo laxantur, multumque illarum mate-rierum, vel specie sudoris, aut halitus per transpira-tio-

Demum postquam paroxismi tumultus sedatus fuit, nova in primavero illo recessu fit obstratio, noviterque cumulatur succus pancreaticus, noviterque exaltatur, ita ut similem acrimoniam accipiat, quo fit ut novum paroxysmum post aliquod tempus reducat, citius, aut tardius pro qualitate, & quantitate materiae: sive per certas periodos supradicta symptomata redunt; donec multiplici effervescentia, aut auxiliantis medicamenti opera, fermenta illa extinguantur, quae paroxysmorum generationi inserviebant: aut certe quovis modo aut sopiantur, retundantur, aut evacuentur.

## PROPOSITIO XVI.

*Febris Hectica, & Maligna expenduntur.*

**F**ebris Hectica id peculiare habet, quod nempe ad primum contactum calor debilis sentitur; sed post aliquam moram, quandam in tangentis manum acrimoniam inducit: intensior autem percipitur calor in arteriis, quam in ceteris partibus, nullamque patit agrotanti molestiam. Aliquot horis a pastu intenditur calor, sive pulsus frequentior, nullo frigore praecedente: qua febre invalecente, sensim contabescit corpus, & cutis aspera redditur, & sicca.

Proxima causa in qua Febris Hectica consistit, est dispositio preternaturalis sanguinis, quam inducit aliquod acre exaltatum, continuo in massam sanguinis influens: hoc autem acre in succis salivalibus contingi, & ex ipsis in sanguinis massam derivari, satis suadet febris exacerbatio, quae contingere solet duabus, aut tribus horis post sumptum alimentum, eo videlicet tempore, quo incipit chyli distributio, cum quo fermenti salivalis portio in sanguinem defertur. Verosi-

mi-

mile etiam est succum pancreaticum esse vitiatum ob affinitatem cum saliva; ac etiam reliqui succi acidum continentis vitio aliquo afficiuntur.

Hectica febris nullam infert agrotanti molestiam, quia sanguinis effervescentia est debilis. Tabem tamen corpori inducit, quia confessim in ventriculo à succis salivalibus labes inducuntur alimentis, quæ deinde in vasis sanguineis augetur. Unde succus nutritius, qui ex his gignitur, parum est ad nutriendum idoneus; & consequenter insufficiens, ut id quod è partibus corporis continuo effluit, resarciri queat: quo fit ut primum substantia mollior illius lenti caloris vi absimatur, ac deinde ea qua est magis consistens.

Febris maligna dicitur illa, que graviora symptomata producit, quam ipsi competere videantur: vires item subito inopinato prosternt, ac potissimum vitales, quibus fractis, animalis facultas brevi redditur imbecillior, ac consequenter ejus functiones depravantur. Symptomata, quæ præcipue in febre maligna observantur, sunt sequentia. Pulsus frequens, debilis, ac variis modis inæqualis. Ägri nunc sopore tenentur, nunc vigiliis affliguntur. Adebat etiam interdum vomitus, aut nausea: capitis dolor, vertigo, delirium, motus inordinati, & convulsivi, anxietas, lassitudo magna, fætidus alvi defluxus, & frequens sanguinis è naribus, aut ex aliis partibus extillatio: & qui è vena recta fluit, aliquando non concrescit: macula in cute modò rubra, modò livida, aut nigra; vesiculae etiam excitantur, ac præcipua glandulæ pene aures intumescent.


Ex predictis symptomatis satis probabiliter deducitur hujus febris malignitatem in ingenti humorum acrimonia consistere: cum nempe alkalia, aut acida,

aut

aut utraque simul insignem exaltationis gradum sunt adeptæ; & volatilitatem assequuntur: sanguinis enim in his febribus dissolutio summa, alkalium summam exaltationem arguit, tum & sanguinis effluvia: Alkali enim est quod potissimum sanguinem dissolvit, redditque fluidiorem. Acidum etiam exaltari in febribus malignis suadent concretiones variae, quæ fiunt nunc interius, nunc exterius in corporis habitu. Sed de his satis pro nostro instituto.



COM-



# COMPENDII PHILOSOPHICI.

## TRACTATUS XI.

ET ULTIMUS.

### DE METAPHYSICA REALI.



ETAPHYSICA, ut alibi diximus, est scientia de illis rebus agens, quæ sunt abstractæ à materia: cumque duplex esse possit rerum abstractio à materia, nempe intentionalis, sive per mentis abstractionem: & realis, seu ut ajunt, secundum esse. Ideo duplē Metaphysicā distinximus; aliam nempe Intentionalem, de qua ante Physicam egimus: & realem, quam nunc, expletis physicis elucubrationibus, suscipimus pertractandam. Obiectum itaque Metaphysicæ realis est ens à materia realiter abstractum: cumque hoc sit ens spirituale, videlicet Deus, Angeli, & Anima humana; triplici libro tractatum istum absolvemus. In primo de Anima humana erit

no-

nobilis sermo : In secundo de Angelis : In tertio denique de Deo Opt. Max. ut in ipso ultimo nostro fine, huic nostro operi finis imponatur.

# L I B E R I.

DE SPIRITU HOMINIS , SEU ANIMA HU-  
MANA.

**T**RIPPLICITER potest Anima humana considerari : aut in se ipsa , nempe secundum suam essentiam , & proprietates ; aut in ordine ad suas operations : aut in ordine ad corpus , cum quo unum compositum humanum constituit . Sub hac igitur triplici consideratione , tribus capitibus de ipsa pertractabimus . Ut autem quæ dicenda sunt probè intelligantur , prius de Spiritu in genere paucula præmittemus .

## C A P U T I.

### *De Spiritu in Genere:*

**PROPOSITIO I.**

*Ratio, seu Effentia Spiritus assignatur.*

CUM nos dum hanc vitam mortalem agimus rebus sensibilibus ita simus addicti, ut frequenter non nisi ab his, quæ sensuum opera apprehendimus affi-

afficiamur, valde nobis difficile est, quid Spiritus sit agnoscere, ejusque notionem, & essentiam assignare. Et quidem hoc nomen *Spiritus* diversimode accipi solet. Sumitur enim aliquando pro Vento, ut Genes. 8, *Adduxit spiritum super terram*, & imminute sunt aquæ. Aliquando pro Anima, sive sensitiva, sive rationali. Sic Eccl. 3. v. 21, dicitur: *Quis scit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus mentorum descendat deorsum.* Sumitur etiam quam frequenter pro corpore subtili: sic communiter in animalibus agnoscimus spiritus vitales, & animales, qui particulae sunt deficacissimæ, ac subtilissimæ tanguinis, de quibus satis egimus. Sumitur tandem pro substantia incorporea, quæ nempe substantię corporeę contraponitur. De spiritu itaque in hoc sensu accepto agimus in præsenti.

*Circa constitutivum Spiritus diversæ sunt Anchōrum sententiæ: ipsarum tamen impugnatione relicta, Assero Spiritum consistere in eo quod sit substantia intellectiva, indivisibilis entitativè, ac secundum se penetrabilis, & à materia independens. Ita P. Casimirus Tolosas, & alii. Taliter autem ex prædictis constituitur spiritus, ut esse substantiam intellectivam sit ejus conceptus primarius; cætera verò sint ejus proprietates essentiales. Probatur. In eo consilis ratio propria, ac essentia formalis spiritus, quod in eo primum est, ac veluti radix ex qua cætera ejus attributa dimanare concipiuntur; & per quod sub eodem genere proximo distinguitur spiritus ab omni eo, quod spiritus non est: sed per esse substantiam intellectivam distinguuntur spiritus ab omni eo quod spiritus non est: & esse intellectivum est primum ex quo, veluti ex radice cætera omnia ejusdem attributa dimanare concipiuntur.*

tur : ergo, &c. Probatur min. quoad primam partem; esse enim substantiam intellectivam solum convenit Deo, Angelis, & Animis rationali ; cumque haec sola spiritus sint ; certe esse substantiam intellectivam convenit omni, & soli spiritui , & per id primario differt ab omni eo, quod spiritus non est. Quoad secundam verò partem probatur minor. Nam ex eo quod spiritus sit substantia intellectiva , sequitur illam esse entitativè indivisibilem : tum quia intellectio in se quid simplex est ; & consequenter subiecto indivisibili inesse debet : & licet Homo , quod compositum est , sit intellectivus , id habet ratione anima , quæ spiritus est , & indivisibilis entitativè : Tum præsertim probatur, quia ex nullo partium entitativarum concursu , plexu , aut harmonia , potest intellectivum resultare , ut alibi diximus , & postea ulterius patebit : ergo, &c.

Dixi etiam Spiritum esse secundum se penetrabilem , id est , spiritum posse penetrari cum alio quovis corpore. In quo etiam differt ab atomo , seu puncto physico , quod licet sit entitativè indivisibile ; habet tamen suam extensionem impenetrabilem , quam exigit ; exigit enim esse impenetrabilitet extensem ; secus verò spiritus. Est etiam à materia independens : materia enim in corpusculis , seu atomis suapte natura impenetrabilibus consistit , à quibus spiritus nullatenus dependet , cum ex ipsis nequeat componi : omnia igitur prædicta attributa proprie competit spiritui , & ad assignatam ejus essentiam consequuntur.

## PROPOSITIO II.

*Spiritus sunt entitativè indivisibles ; sed penetrabili extensi.*

Prima pars, nempe Spiritus esse entitativè indivisibles , constat ex præcedenti ; non enim componuntur ex partibus realiter entitativè distinctis. Secunda verò pars, quod scilicet suam extensionem habeant, patet ex dictis Tract. 2. lib. 3. prop. 35. Quidquid enim est , extensum est : non enim esse potest in puncto mathematico : ergo in physico, quod extensum est , & potentia divisibile : ergo spiritus saltim in puncto physico est : ergo habet extensionem. Tertia pars , nempe esse penetrabiliter extensem , constat ex præced. Cum enim corpus non sit , neque ex corpore aliquo coalescat , penetrabile est. Hinc vides essentiale esse corpori esse impenetrabiliter extensem , seu exigere impenetrabilitatem ; Spiritui verò essentialiter competere esse extensem penetrabiliter. Videantur dicta loco citato.

## PROPOSITIO III.

*Actu intelligere , seu cogitare , non est de ratione essentiæ Spiritus.*

Probatur 1. Nam illud est de ratione formalí , & essentialem spiritus , quod prius in ipso concipitur: sed actu intelligere , seu cogitare non est id , quod prius concipitur in spiritu : ergo non est de conceptu formalí , & essentialem illius. Minor prob. Nam prius est , & concipitur in spiritu posse intelligere , & cogitare , quam actu cogitare , aut intelligere. Probatur 2. Illud sine quo aliqua res esse potest , non est de ratione formalí illius : atqui Spiritus esse potest absque actuali intellectione , aut cogitatione : ergo actualis in-

tellecio, aut cogitatio non est de ratione formalis spiritus. Minor prob. experientia. Quis enim credat nos cogitare, dum in utero matris existimus, aut dum somno profundo detinemur.

Huic argumento respondent aliqui cum Renato descartes Animas nostras in utero matris vere cogitare; sed nos minimè recordari; idemque communiter contingere in somno: ad hoc enim ut recordemur rerum, quatenus à nobis olim cognitarum, omnino opus est, circumstantias loci, & temporis, in quibus eas cognovimus repräsentari: hoc autem fieri nequit sine concurso cerebri, quod dum sumus in utero matris, aut profundo somno, non est aptè dispositum ad retinendas species, & consequenter non potest deinceps iterum idem obiectum repräsentare, ut alias cognitum. Sed contra: nam ut postea patebit, datur in anima humana memoria pure intellectualis: anima enim separata recordator eorum, quæ fecit in statu unionis, ut patet in epulone divite, qui in inferno fratum suorum recordabatur: ergo anima sine concurso cerebri posset aliquorum recordari, aut saltim, quod verius existimo, licet in statu unionis cerebrum necessariò concurrat, posset facilimè levi excitatione eorum, quæ in utero matris cogitavit, recordari: sed hoc est contra experientiam: ergo, &c. Minor patet, nam in utero matris anima, non aliam forte habuisset ideam, quam sui, & Dei: cumque tunc à contemplatione sui, ac Dei ab extenorū obiectorum actionibus non distraheretur, tota certè esset in illa contemplatione: ergo faciliter ad sui, ac Dei cognitionem excitaretur. Unde igitur per infantiam, & adolescentiam, & utinam non per totam vitam, tam stupidi sunt plerumque homines in Dei, siue cognitione,

nisi adsit instructio: licet igitur non possemus recordari prædictorum obiectorum, ut alias à nobis cognitorum, certè meditationes illæ facillimè, & quasi sponte redire deberent.

Probatur 3. conclusio. Nam si Deus subtraheret concursum spiritibus ad cognitiones omnes actu elicendas, actu non cognoscerent, aut cogitarent: sed tunc remaneret in eis essentia spiritus: ergo actualis cognitionis non est de eorum essentia.

#### PROPOSITIO IV.

*Licet actualis intellectio, aut cognitionis non sit de essentia formalis Spiritus: ipse vero semper est in actuall cognitione, aut intellectione, excepta anima rationali in statu unionis cum corpore.*

Ratio est quia virtus, seu potentia necessaria expedita, & ab omnibus libera impedimentis, necessariò agit: sed potentia intellectiva est potentia necessaria intellectuum: ergo quoties expedita est, & à nullo impedimento coercetur, necessariò actu cognoscit, & cogitat: ergo spiritus, qui per talem potentiam constituitur, necessariò aliquid actu semper cogitat, dummodo expeditam habeat intellectivam potentiam, nihilque adsit, quod ejus actualem intellectuionem prohibeat: sed Angeli, & Animæ humanæ in statu separationis sic se habent: ergo semper sunt in actuall intellectione, aut cognitione. Minor patet, nam tam Angeli, quam Animæ humanæ in statu separationis, expeditam habent potentiam intellectivam: quid ergo prohibere illis potest actualem cognitionem, seu intellectuionem. Et confirmatur. Si enim nullam cognitionem aliquando elicerent, certè vel illam non

non elicerent, quia non possent, vel quia vellent non elicere: Non primum, quia potentiam habent expeditam: non secundum, quia eo ipso quod velint non cogitare, jam cogitarent; neque enim talem volitionem habere possunt sine aliqua advertentia, & consequenter cogitatione: licet itaque possint Spiritus ab hoc vel illo obiecto cogitationem avertere; non tamen possunt sub predictis conditionibus ab omni cognitione, seu intellectione feriari.

Objiciunt 1. Cartesiani. Esse actu extensum est de ratione formalis corporis: ergo actu cogitare est de ratione formalis spiritus. Respondeo distinguens antecedentem. Esse actu extensum est de ratione corporis mathematici concedo: physici, nego. Est quidem de ratione formalis corporis mathematici, quia hoc nihil aliud est, quam id quod supponitur trinè dimensum, quod nec concipi valet sine actuali extensione: corpus verò physicum, ut alibi diximus, formaliter constituitur per exigentiam extensionis impenetrabilis, ita ut licet actu eam non habeat, sit verè corpus physicum, ut patet in corpore Christi in Venerabili Sacramento, ubi sine extensione impenetrabilis existit. Videantur ramen ea, quæ diximus in Physica generali. Quemadmodum ergo extensio actualis impenetrabilis non est de formalis ratione corporis physici, ita nec cogitatio actualis est de ratione formalis Spiritus.

Objicies 2. Omnes pro comperto habent spiritum vivere: atqui vivere non est simpliciter existere, nec tantum posse agere, sed de facto agere: ergo spiritus semper agit: sed non agit nisi per cognitionem, aut ope illius: ergo semper aliquid cognoscit, aut cogitat. Confirmatur auctoritate S. Augustini lib. 10. de Trinitate cap. 3. dicentis: *Non potest autem mens esse, & non*

vivere. Ultima etiam consequentia confirmatur ejusdem Sancti Doctori auctoritate lib. 4. de Origine Animae c. 6. *Sicut motus non cessat in corde, ita non quiescimus aliquid cogitando versare.* Respondeo distinguens min. Vivere in actu primo non est tantum posse agere, nego: vivere in actu secundo non est tantum posse agere, concedo: nec aliud velle videtur S. August. cum dicit, mentem non posse esse, & non vivere, vita nempe saltim intellectuali in actu primo. Secunda verò auctoritas Sancti Doctoris intelligenda est, non in toto rigore physico, sed moraliter: si enim excipiat tempus, quo in utero matris existimus, & somni alicujus profundi, mens nostra non quiescit aliquid cogitare.

## C A P U T II.

*De Anima rationali, ejusque attributis.*

**A**NIMA humana, ait S. August. lib. 6. de Quantitate. *Anima, est quædam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Immortalem esse fides docet, ideoque nulla ratione subsistente probari potest eam esse mortalem: imo omnibus quæ ad id suadendum adduci possunt, ex principiis etiam philosophicis, potest facile responderi. Nec id tantum, verum etiam immortalem esse, apertissime potest demonstrari: quod totis viribus conandum est adversus impiam Atheorum stultitiam: & quidem validæ rationes à plerisque afferuntur; verum, ut recte P. Casimirus, non ita in adversarios jaculantur, ut ipso-

forum nequitiam omnino confodiant. Huic enim tam aperta veritati non parum obscuritatis accessit, ex eo quod Physicæ principia à veritate aliena supponantur; & formas materiales è subiecto educi, ita ut de novo fiant secundum totam suam entitatem, existimentur; brutaque cognitione esse prædicta, animasque habere ab omni materia prorsus distinctas. Hæc itaque immortalitatis animæ humana veritas nunc aperte stabilienda est, ex principiis etiam Philosophiæ naturalis, adversus impios homines, qui ut toti se le hujus sæculi deliciis dedant, animæ suæ immortalitatem negantes, dicere non verentur, *edamus, & bibamus, eras enim moriemur.*

## PROPOSITIO V.

*Anima rationalis est incorporea, & entitativè indivisibilis; & consequenter spiritus.*

**D**emonstratur. Evidens est nos esse intellectivos, seu in nobis esse principium elicivum intellectuum: sed evidens est principium intellectuum necessariò esse incorporeum, & entitativè indivisibile: ergo evidens est nos habere principium intellectuum incorporeum, & entitativè indivisibile: sed hoc est quod appellamus *Animam rationalem*: ergo evidens est animam rationalem, qua fruimur, esse incorpoream, & entitativè indivisibilem. Utraque præmissa seorsim ostendenda est; quibus ostensis, consequentia est legitima.

*Evidens est nos esse intellectivos, seu in nobis esse principium elicivum intellectuum.* Probatur. Nam certi sumus nos cogitare, & intelligere: licet enim dubitare velimus de quacumque rerum corporearum ve-

ti-

ritate; de hoc tamen dubitare non possumus, quod nempe cognoscamus, cogitemus, aut intelligamus; cum ipsum dubitare sit cogitare, intelligere, aut cognoscere non videri nobis certa, quæ dubitamus: evidenti igitur experimento consciæ sumus nos cogitare, ac intelligere: cumque numquam dubitare, cogitare, aut intelligere possimus, quin existamus: evidens enim est impossibile prorsus esse, ut aliquis dubitet, sive cogitet, & interim nihil sit; certè hæc est evidens consequio: *Ego cogito: ergo sum: ergo evidens est me esse, itemque esse cogitantem, ac intelligentem: & consequenter evidens est me esse cogitativum, seu intellectivum, & per consequens in me esse principium aliquod elicivum cogitationum, seu intellectuum: imò ut recte Cartesius, certius est nos esse intellectivos, seu in nobis esse principium elicivum cogitationum, quam habere corpus: cum de nostri corporis existentia possimus aliqualiter dubitare; non verò de eo quod cogitemus, aut sit in nobis talium cogitationum, seu intellectuum principium: manet igitur demonstrata major propositio, ut expressè tenet S. August.lib.de Quantit.Animæ, cap.15.* Nunc ostendenda est minor.

*Evidens est principium intellectivum esse incorporeum, & entitativè indivisibile.* Probatur 1. Evidens enim est corpus in suo conceptu non nisi extensionem impenetrabilem dicere, atque iners esse, nec nisi ad motum localem idoneum, nihilque agere nisi quatenus localiter movetur, ac ope hujus motus: sed cogitare, & intelligere valde diversum est à quocumque motu locali, eumque infinitis parafangis excedit: ergo cognoscere, & intelligere nequit esse operatio corporis, prout tale est: sed ab alio superiori principio,

pio, & consequenter incorporeo, provenire debet. Præterea neque procedere valet ab aliqua corporum artificiosa dispositione, ac coniunctione: ex hac enim non nisi motus locales artificiosiores provenire possunt, ut latè in diversis locis ostensum est: ergo cognoscere, & intelligere ab aliquo principio incorporeo, & entitatè indivisibili provenire debet. Hęc est demonstratio Renati Descartes, qua methodo analytica procedens, ostendit existentiam, & immortalitatem Animæ rationalis: hęcque proculdubio est Sancti Augustini lib. 10. de Trinit. quam plerique Autores Peripatit profitentes forsitan non advertentes à tanto Doctore fuisse excogitata, non modo impugnare nuntiunt; verum elato supercilioso despiciunt.

Probatur 2. Nam nos non modò cognoscimus obiecta, verum ex pluribus unam, ac simplicem rationem abstrahimus: resque prout sic abstractas, & universales cognoscimus, ita ut de ipsis disputemus tristemus, &c. Sed hatum cognitionum incapax est substantia quævis materialis, & corporea: ergo, &c. Major experientia constat. Minor patet, nam cum abstrahimus, notionem formamus rerum diversarum, relicta ipsarum diversitate: & ex re habente partes notionem efficimus, relicta ipsarum partium notione: ergo nobis virtus inest quædam supra hoc quod est habere partes: ergo hęc virtus alicui inest, quod partibus caret; sicut quid indivisibile est in sua entitate, & incorporeum.

Probatur 3. Postquam res in se cognoscimus, illas consideramus per ordinem ad aliud, efformamusque notionem similitudinis, aliasque similes: atqui inter sensibilia, & corporea, nihil est simile illi, quod respectum, seu relationem appellamus: ergo talis notio re-

lationum ab aliquo principio efficitur, superiori cuiilibet rei corporeæ. Minor probatur: licet enim res, quas similes assertimus, seu esse duplas, triplas, &c. suis veluti coloribus depingi possint; similitudo autem, nec ratio dupli, aut tripli, &c. depingi nequaquam potest; quemadmodum nec ratio causæ, & effectus, &c. sunt ergo predicta notiones valde diversæ ab his quæ per sensus ingrediuntur: ergo vim aliquam habemus à sensuum, & imaginationis natura omnino diversam, ac perfectiorem, qua necessariò inesse debet principio omni re corporea excellentiori, & consequenter incorporeo, & indivisibili.

Probatur 4. ex numeratione. Quoties enim decem homines ex gr. videmus, sensus nihil aliud de ipsis renuntiare valet, quam quod eorum quilibet unus sit: intellectus vero superveniens una notione res complectitur; & quidquid sensus separatis expressit, unica notione intellectus colligit, quod est numerare: hinc notio numeri non in rebus numeratis, sed in anima existit, ut asseruit Aristoteles, estque unica notio, & definitio numeri esse unitatum collectionem. Hęc itaque notio, corporea non est: si enim corporea esset, certè esset similitudo corporea obiecti, & consequenter cum sit similitudo omnium illarum ex gr. decem rerum, quæ numerantur, decem partes habere deberet, & jam non esset una notio, sed decem: non itaque decem res materialiter, seu corporaliter representari possunt, nisi per decem res, seu decem notiones; quemadmodum nec valent in tabula decem homines representari, nisi per decem effigies: nihil itaque manifestum est, quam animal, quæ unica re, seu unica notione decem res representat, non corporaliter, seu materialiter illas representare, sed per expressionem, seu

seu notionem immaterialem, & incorpoream : ergo & ipsa immaterialis est, & incorporea.

Probarur 5. Cognitio, & potissimum reflexa, est supra vires entis corporei : sic potentia visiva, neque se ipsam, neque visionem videt : neque auditus suam auditionem, &c. atqui mens nostra non solum cognoscit, verum reflexe se cognoscere cognoscit : ergo praestantior est rebus corporeis : ergo, &c.

Probatur 6. Nam mens nostra multa cognoscit, quæ rerum corporearum vim excedunt, qualia sunt Deus, Angeli, quæ immaterialia sunt, & incorporea: versatur etiam circa futurorum spem, circa honores, opprobria, &c. aut appetendo, aut fugiendo, quæ omnia non nisi intellectu discerni possunt, cum sint à sensibus aliena : ergo harum actionum principium, quid incorporeum est, & immateriale.


Probatur 7. Nam experientia etiam constat, nos in actionibus indifferentiam, & universalitatem habere, quod nulli corpori convenire videmus : sic si quis alium de multis, iisque diversis rebus interroget, iste de omnibus respondebit, modò illarum notitiam habuerit, idque cum delectu, si velit, harum vel illarum. Patet autem hæc ita ordinata, responsa, non peragiri certis quibusdam, ut ita loquar, machinis, quarum una si moveatur, reliquias deinceps suo ordine moveat, ut in brutis peragi diximus motus diversos, ac sensationes: sed potius in nobis necessariò provenire à principio aliquo, quod cum sit indifferens ad omnia, promptè se in omnem partē convertere potest, ac pro suo libito operari. Tandemque ex omnibus dictis hoc efformatur argumentum : illud quod habet modum operandi superantem omnem vim, captumque rerum materialium, illud inquam, non est corporeum, sed in-

cor-

corporeum, & spirituale : sed Anima rationalis habet prædictum operandi modum : ergo est incorporea, & spiritualis.

Objicies tamen 1. Potentia, quæ in operando dependet à corpore est corporea : sed anima rationalis in operando dependet à corpore : ergo est corporea. Respond. 1. distinguis majorem : potentia quæ in operando dependet à corpore elicitive est corporea, est major ; si obiectivè tantum, nego majorem. Explicatur. Si potentia in se non esset sufficiens ad suas operationes elicendas, permitto quod esset corporea; non tamen sequitur eam esse corpoream eo præcisè quod obiectivè à corpore dependeat, quatenus nempè corpus, vel obiectum est illarum actionum, seu operationum, aut vices obiecti gerit. Distinguo jam argumenti minorem : sed intellectus in operando dependet à corpore elicitive nego minorem ; obiectivè, & præparative est minor. Respondeo 2. permissa majori argumenti, negando minorem universaliter acceptam: nam intellectus multa potest cognoscere absque speciebus emendatis à sensibus, multa enim cognoscit supra se reflectens, ut ex dictis patet. Permissi insuper tantum, nec absolute concessi potentiam, quæ etiam elicitive in suis operationibus dependet à corpore, esse corpoream ; universaliter enim acceptam, falsam esse existimo, quia possibile est, ita spiritum corpori alligari, aut uniri, ut spiritus suas operationes non eliciat, nisi ad eas suo modo corpus concurrat : siue se habere animam rationalem in statu unionis, alibi diximus.

Objicies 2. Non minor est impropositio obiecti materialis ad potentiam immaterialem, quam obiecti immaterialis ad potentiam materialem : ergo quemad-



admodum potentia materialis nequit attingere obiecta immaterialia; neque potentia immaterialis attingere poterit obiecta materialia: sed anima rationalis attingit obiecta materialia: ergo Anima rationalis non est immaterialis, sed materialis, & corporea. Respond. negans majorem: est enim absolute falsissima, quamvis si penes verba spectetur, speciem veri habere videatur. Claritatis tamen gratia illam distinguo: non minor est impropositio obiecti materialis ad potentiam immateriale; quam potentia immaterialis ad obiectum materiale, si loquamus de improportione excludente proportionem aequalitatis, concedo: tam inaequale enim est quoad perfectionem obiectum materiale potentia materiali, quam ista illi: si loquamus de improportione excludente proportionem inaequalitatis, nego majorem. Nam obiectum materiale ad potentiam immateriale dicit proportionem minoris inaequalitatis, sive minoris ad maius: potentia autem immaterialis ad obiectum materiale dicit rationem majoris inaequalitatis, sive majoris ad minus. Unde in hac acceptione longe diversa est impropositio obiecti materialis ad potentiam immateriale, quam e converso: sicutque potentia immaterialis, utpote perfectior obiecto materiali, potest illud percipere: & quemadmodum numerus quaternarius, eo quod dicat perfectionem majoris inaequalitatis ad binarium, hujus perfectionem in se continet; non vero binarius continet perfectiōnem quaternarii, quia ad illum tantum dicit proportionem minoris inaequalitatis: ita & potentia spiritualis continet virtualiter perfectionem obiecti materialis; scilicet vero illud, perfectionem potentiae immaterialis. Et ut falsitas argumenti magis pateat, potest sic in adversarios retorqueri. Non minor est impropositio minimi

nisi ponderis ad pondus maximum, quam ponderis hujus maximi ad illud minus: ergo quemadmodum pondus istud minus nequit in bilance elevare pondus maximum; neque istud poterit elevare pondus minus. Quod est absurdum.

## PROPOSITIO V.

*Anima rationalis est immortalis.*

**I**Mmortalitas in praesenti non sumitur pro indestructibilitate absoluta: certum est enim Animam rationalem, perinde ac quavis alia res creata posse a Deo destrui, ac in nihilum redigi: sed sumitur tantum prout opponitur mortalitati rerum materialium, quas interire contingit per mutuam separationem illarum partium, ex quibus conjunctis, ac mutuo colligatis componebantur.

Affero itaque Animam rationalem suaptè natura esse immortalem. Probatur 1. Nam illud est suaptè natura corruptibile, quod est dissolubile in partes, ex quibus componitur: sed anima rationalis non est praedicto modo resolubilis, cum ut diximus in praecedenti, non componatur ex partibus, sed sit spiritualis, incorporea, & indivisibilis: ergo suaptè natura interire non potest: sed est immortalis haud minus quam Angelus. Hoc argumentum evidenter ex nostra doctrina inferitur, nec alio opus est ad praedictam veritatem stabililiendam; non erit tamen superfluum alia adjungere ad illam ulterius confirmandam.

Probatur 2. ex delectatione, qua fruitur anima in contemplanda veritate; tum & ex desiderio sciendi penitus inextinguibili: ac etiam ex ejusdem appetitu circa bonum: hoc enim desiderium non est frustra: ergo aliquando satiandum erit post mortem: ergo anima

ma non perit cum corpore; sed morte tantummodo ab eo separatur, ut praedictis bonis ulterius fruere possit.

Probatur 3. Si anima non esset immortalis, summa hominis felicitas, & beatitudo consistet in voluptatibus corporeis: sed hoc est aperte falsum: alias non verteretur dedecori; & probro praedictis voluptatibus vacare, prout de facto vertitur: laude enim digni habentur hi, qui carnis illecebras contemnunt; secus verò qui eas queritant, ac eisdem se tradunt, brutis comparantur: ergo, &c.

Probatur 4. Nam plerumque improbi in praesenti vita bonis temporalibus cumulantur; justi vero eternis, ac laboribus: cumque Deus justus sit, quod naturaliter etiam cognosci potest: naturaliter etiam patet animam hominis post mortem durare, ut bonorum suorum operum mercedem recipiat; malus autem poenas pro malefactis: juxta illud quod Luca 16. dictum fuit diviti epuloni: *Recordare quia receperisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Hinc S. Clemens lib. 3. Recognitionum testatur D. Petrum hoc argumento usum fuisse contra Simonem Magnum, scilicet *Deus est justus: ergo Anima nostra est immortalis.*

Sed objicies. In aliquibus Sacrae pagine textibus non aliter de anima hominis fit mentio, quam substantia alicujus corporeæ, ut patet Genes. cap. 12. ubi de Abraham sic legitur: *Tulitque Sarai uxorem suam, & Lotum filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haram.* Majorem autem difficultatem ingere videtur illud Ecclesiastes cap. 3. *Unus interitus est hominis, & jumentorum, & aqua utriusque conditio: si-*  
cut

*cut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Ac postmodum: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum.* Ergo, &c. Respondeo ita plenas esse Sacrae Scripturæ paginas verbis attestantibus Animæ nostræ immortalitatem, ut nulla sit ferè linea, que eam non attestetur. Ad primum ergo testimonium dicco cum communi, eam esse phrasim Sacrae Scripturæ, ut *Anima pro homine nominetur;* ac rursus ut homo quandoque accipiatur pro ipsius parte inferiori, nempe corpore: sive accipitur nomen *Animæ* in primo textu. Similiter sumitur in secundo Homo, quando Ecclesiastes illum cum jumentis comparat, aitque esse pars conditionis. Quod inde confirmatur evidenter, quod nempe ipse Ecclesiastes cap. 12. afferat, spiritum hominis redire ad Deum, cum ejus corpus solvitur in pulverem. Præterea respondetur Ecclesiastem in ultimo obiectionis textu loqui ex persona hominum illorum carnalium, qui præter, & ultra hanc vitam, nullam cogitant, neque sperant meliorem.

Patet igitur Animam rationalem immortalem esse, ac incorruptibilem, quod aperte inferitur ex principiis physicis nostræ atomistica Philosophiæ, juxta illam enim corruptio alicujus rei in sola stat partium ipsam componentium dissolutione, quemadmodum & generatio in sola earum coniunctione, nexu, combinacione, &c. Unde illa tantum generabilia sunt, ac corruptibilia, quæ composita sunt ex partibus distinctis, quæ enim ex eisdem non constant, solum sunt per creationem producibilia, & per annihilationem destructibilia: cumque ut probatum est, anima rationalis ex partibus entitatib[us] distinctis non componatur, sed

indivisibilis sit, certè neque per generationem potest produci, neque per corruptionem destrui; sed suapte natura est immortalis, tantumque à Deo in nihilum redigi potest, à quo ex nihilo sicut per creationem producta.

## PROPOSITIO VI.

*Omnes Anima rationales sunt ejusdem speciei; non tamen sunt æqualiter perfectæ.*

**A**spero 1. Omnes Animas rationales esse ejusdem speciei. Ratio est, quia omnes homines sunt ejusdem speciei: ergo & Anima, quæ sunt eorum forma. Antecedens probatur, nam in omnibus hominibus eadem reperiuntur proprietates: tum omnes ab Adamo per naturalem generationem descendant, quæ origo est viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ: omnes ergo sunt ejusdem speciei, in quo nulla appetit difficultas.

Affero 2. Omnes animas rationales non esse in se ipsis æqualiter perfectas. Probatur 1. Nam substantię materiales, quæ intra eandem speciem continentur, non sunt omnes æqualiter perfectæ: ergo idem dicendum est de Animabus rationalibus. Auteced. patet: constat enim experientia non omnes homines esse ejusdem indolis, vigoris, &c. & consequenter non omnes æquali perfectione participant temperamentum illius speciei proprium. Probatur itaque consequentia, nam ideò substantia materiales intra eandem speciem contentæ non sunt æqualiter perfectæ, quia ejusmodi inæqualitas valdè conducit ad pulchritudinem speciei; quemadmodum, & multiplicitas specierum valde confert ad pulchritudinem generis: sed hæc eadem ratio militat in animabus humanis: ergo recte convincitur à pari non esse æqualiter perfectas. Non enim fas est

exi-

existimare minùs providisse Deum pulchritudini specierum immaterialium, quam materialium.

Probatur 2. ex inæqualitate operationum: non enim omnes homines sunt æqualis ingenii, ac perspicaciam in judiciis. Tum aliqui sunt rebus metaphysicis maximè idonei; rebus vero mathematicis inepti. Sed dices, hanc inæqualitatem ex inæqualitate dispositionis organorum, quibus Anima utitur in statu unionis cum corpore provenire. Sed contra, quia licet hæc inæqualitas organorum non parum ad prædictam inæqualitatem conducat; sola tamen non sufficit ad illam inducendam; præfertim quia ex organorum sola inæqualitate nullatenus reddi potest ratio cur aliqui ingenio etiam clarissimi, rebus mathematicis percipiendis sint ferè inepti, aut difficillime eas intelligent; alia vero etiam difficillima in aliis materiis summa cum facilitate percipient: non ergo ex sola organorum materialium dispositione prædicta inæqualitas potest provenire: præfertim cum, ut dixi, diversi perfectionum gradus valdè conducent ad pulchritudinem speciei. Hinc facile, quæ objici possant, dissolventur.

## PROPOSITIO VII.

*Anima rationalis non producitur per traducem, sed à solo Deo creatur in corpore humano.*

**A**liqui asseruerunt per traducem produci: hoc est fieri à parentibus per propagationem seminali, modo simili eo, quo candela absque sui luminis iactura, candelam accendit: & quemadmodum corpus generat corpus, ita animam generare animam credebant. Hoc tamen falsissimum esse judico; ideoque affero 1. Animam rationalem non produci per traducem, sed à solo Deo creari. Probatur, nam si fieret

per traducem, vel fieret ex nihilo, vel ex aliqua materia: non primum, quia sic crearetur à parentibus: nulla autem creatura potest creare: non secundum, quia sic non esset anima incorporea, & indivisibilis, contra id quod supra pluribus rationibus stabilitum est: ergo Anima ex traduce nequit produci.

Objicit tamen Sennertus *hypom. phys. hypom. 4. cap. 10.* Simile generat sibi simile: atqui homo non est similis homini quoad corpus tantum, sed potissimum quoad animam: ergo debet generare animam. Respondeo. Hominem generare hominem sibi similem quatenus materiam communicat recipienda Animæ dispositam, & unionem partium, earumque ordinationem, ac nexus attingit, juxta dicta in præcedenti tractatu. Quid? quod si ad id necesse foret hominem generare animam, deberet etiam & generare materiam, quod nec ipse Sennertus admittet: nec enim potior ratio assignari potest cur unam, non verò aliam partem generare deberet. Anima itaque à solo Deo creatur.

### C A P U T III.

#### *De Potentiis, & Operationibus Animæ rationalis.*

**A**NIMÆ rationalis potentiae tot sunt, quot diversa operationum genera, quas illa apta est efficere, sive extra corpus, sive intra il- lud; quales sunt operations apprehendendi, judicandi, discurrendi, comparandi, amandi, separandi, ti- men-

341  
mendi, &c. Nihilominus omnes istæ potentia ad tres communiter revocantur, quas *Intellectum, Memoriam, & Voluntatem* appellamus, de quibus nunc aliqua sunt pertractanda.

### PROPOSITIO VIII.

*Potentiae Animæ rationalis, nec inter se, nec ab Anima realiter distinguantur.*

**H**Anc propositionem non obscurè innuit S. Augustin. lib. 10. de Trinit. cap. 11. ubi docet Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem non esse tres vicas, sed unam tantum vitam; nec tres mentes, sed unam mentem. Probatur autem 1. Illa quæ nec possunt seorsim produci, neque possunt seorsim destrui, realiter non distinguantur: sed potentiae animæ neque possunt seorsim produci, neque seorsim destrui; sive invicem comparentur, sive cum anima: ergo neque inter se, nec ab ipsa anima realiter distinguantur. Minor prob. nam si potentiae seorsim possent produci, vel producerentur simul cum anima, vel successivè: si simul, ergo nec dependerent, nec emanarent ab anima, ut adversarii dicunt: si verò successivè: ergo posset anima existere sine suis potentiis: posset enim Deus posteriorem potentiarum productionem cohíbere: absurdum autem est Animam existere sine suis potentiis. Neque possunt seorsim destrui; destrucción enim consequitur ad productionem, eique responderet; ita ut repugnet destrui per diversas actiones rem, quæ per diversas produci non potuit: ergo Anima simul cum suis potentiis non nisi unica actione creativa produci: nec nisi unica annihilatione destrui potest: sicutque potentiae cum anima, & inter se sunt realiter idem.

Respondet aliqui absurdum non esse Animam divinitus existere posse sine suis potentiis: adhuc enim esset radicaliter intellectiva, & volitiva, licet non formaliter; primum enim est ipsi essentialis, secundum vero ipsi competere per potentias a se realiter distinctas. Sed contra, nam vel intellectus ille radicalis, ex.gr. posset sufficienter intelligere actualiter sine alio intellectu formalis; vel non posset: si posset, frustra, & sine fundamento admittitur intellectus formalis. Si secundum, ergo frustra adstruitur intellectus ille radicalis: frustra enim admittitur potentia, quae nunquam potest reduci ad actum. Dices, intellectum radicalem, simul cum formalis, reduci ad actum, sicut non esse frustra. Sed contra, nam si re vera ageret cum formalis coniunctus, aliquid agere posset separatus, cum non accipiat vim agendi a formalis, cui nempè virtutem communicat.

Probatur 2. Si potentia Animæ rationalis ab ipsa realiter distinguerentur, intelligere, & velle non minus esset quid extraneum respectu animæ, quam respectu corporis: sed hoc est falsum: ergo, &c. Sequella probatur. Si potentia animæ rationalis ab ipsa distinguerentur, actiones intelligendi, & volendi non essent magis actiones animæ, quam corporis: ergo, &c. Anteced. probatur, nam essent actiones potentiarum, quæ non minus distinctæ essent ab anima, quam a corpore: ergo tam essent actiones animæ, quam corporis. Antecedens patet, nam æquè distinguerentur realiter potentiae ab anima, quam a corpore.

Dices cum adversariis: hoc esse discriimen, quod nempè potentia intelligendi, & volendi emanant ab Anima; non vero a corpore; ideoque non obstante distinctione reali illarum ab Anima, esse actiones ani-

me potius, quam corporis. Sed contra, nam praedicta emanatio potentiarum ab anima, stante distinctione reali ab illa, non tollit tam extraneas esse praefatas actiones ab anima, quam a corpore, ut patet in exemplo: licet enim filius emanet a Patre, nihilominus actiones filii in rigore physico, non minus extraneæ sunt Patri, quam Avunculo, aut fratri, &c. Dummodo ergo adit realis distinctio, emanatio dicta nihil conductit, ut actiones intelligendi, & volendi, sint tam extraneæ animæ, quam corpori.

Objicies. Ea de quibus verificantur praedicta contradictionia realiter distinguuntur: sed de intellectu, & voluntate verificantur praedicta contradictionia: ergo realiter distinguuntur. Minor probatur, nam de intellectu verificantur, quod contemplatur; de voluntate quod non contemplatur: item de voluntate, quod vult; de intellectu vero quod non vult: ergo, &c. Respondeo tamen distinguens majorem; ea de quibus verificantur praedicta contradictionia realiter, realiter distinguuntur (loquimur in creatis) concedo: ea de quibus talia praedicta formaliter tantum verificantur, realiter distinguuntur, nego: & distinguo similiter minorem; ejusque probationem: de intellectu verificantur quod intelligit, & de voluntate quod non intelligit, &c. verificantur, inquam, formaliter concedo: realiter nego, & consequentiam. Intellectus itaque formaliter sumptus non amat; realiter vero sumptus amat: & voluntas formaliter sumpta non intelligit; bene vero realiter sumpta. Potentia itaque distinguuntur inter se formaliter, & metaphysicæ; non vero realiter, & physicæ, Eodem modo solvi possunt similes obiectiones.

## PROPOSITIO IX.

*Actus non sunt aliisque entitatis ab omni substantia realiter entitatib[us] distincte; sed dumtaxat Anima motus.*

**H**ec conclusio inferatur ex dictis in Physica generali. Probatur itaque 1. Nam si actus essent entitatis distincte realiter, & entitatib[us] ab omni substantia crearentur, & non crearentur. Primo non crearentur, quia apud Adversarios educuntur de potentia anima: crearentur vero, quia fierent de novo secundum totum suum esse, ut in simili diximus de formis materialibus loco citato: ergo nequeuerat esse entitatis realiter entitatib[us] ab omni substantia distincte.

Probatur 2. nam illæ entitatis vel essent corruptibles, vel incorruptibles. Primum dici nequit; cum enim sint spirituales, incorruptibles esse debent; alter idem dicendum esset de Anima rationali, & Angelo, qui ideò non sunt corruptibles, quia sunt spirituales: si ergo spiritualitas non impedit corruptibilitatem actuum; neque corruptibilitatem animæ, & Angeli prohiberet, quod non est dicendum. Si itaque dicatur illos actus esse incorruptibles, certè cum esse definunt, annihilabuntur: à quo igitur annihilantur: non quidem ab anima; creatura enim sicut creare non potest, ita neque annihilare, saltim naturaliter. Neque etiam à Deo: nam similiter dici posset solum Deum illos actus producere. Dices forte talem esse naturam illorum actuum, seu entitatum; ut postulent annihilari cito, aut saltim non exigant conservari. Sed contra, nam præterquam quod nihil hac responsione explicatur, re vera res non possunt postulare suam annihila-

tio-

## LIBER I. CAPUT III.

345

tionem: licet enim non exigant conservari; non tamen exigunt non conservari: in hac itaque indifferencia inassignabile est, quid determinet Deum ad annihilationem potius, quam ad conservationem illorum actuum præcipue bonorum.

Dices tamen desinere esse actus illos, non quod exigant destrui, aut non exigant conservari; sed quia anima applicat alio vires suas, & definit influxus in illos, qui saltim partialiter debet esse ab Anima: sunt enim immanentes. Sed contra 1. Nam licet anima applicet alio vires suas, non inde sequitur influxum animæ in illos actus cessare; anima enim conservat tunc species, ad quas non advertit: tum & concurrit ad actus vegetationis, & sensationis, ad quos similiter non advertit. Tum etiam quia si actus illi sint entitatib[us] distincti ab anima, certè poterunt conservari sine concursu animæ; non secùs ac Leo postquam genitus est, sine influxu aliquo generantis conservatur. Fateor quidem actus illos amissuros tunc denominationem vitalis; nulla tamen appetat ratio cur non possent conservari. Quid? quod hac adversiorum solutione non solvitur argumentum, adhuc cum queram an desitio illa, qua evenit defectu influxus conservantis, sit annihilatio, aut corruptio, reditque eadem difficultas.

Affero itaque. Actus dumtaxat esse motus animæ, solumque distinctione modali, quæcumque illa sit, ab anima distinguiri: quemadmodum & sensations, & appetitiones nihil aliud sunt, ut alibi explicuimus, præter motus animæ sensitivæ.

Objicies 1. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4: decernit: liberum hominis arbitrium non se habere mere passivæ, sed aliquid agere: ergo aliquid producit.

cit. Respondeo negans consequentiam, nam agere non est producere aliquam entitatem, quæ sit terminus actionis: qui enim hominem occidit, verè agit, cum tamen terminus illius actionis non sit aliqua entitas; est enim sola mors. Liberum itaque arbitrium non se habet mèrè passivè; quia anima non solum movetur à Deo; sed etiam se ipsam movet, ut postea dicimus.

Objicies 2. Si actus non importaret aliquid supra Animam, anima semper esset in actu omnium suarum operationum: sed hoc est falsum: ergo, &c. Confirmatur, nam anima ex se est indifferens, ut sit cognoscens, vel non cognoscens: ergo ut fiat cognoscens debet determinari per aliquid superadditum. Respondeo juxta ea, quæ diximus in Metaphysica intentionali distinguis majorem: si non importaret aliquid supra animam entitativum, aut modale: absolutum, aut respectivum concedo: entitativum, & absolutum præcisè, nego: unde patet solutio ad confirmationem: fit enim anima de non intelligenti intelligens per motum illum intentionalem superadditum, qui ab ipsa anima modali distinctione distinguitur: in quocumque tandem hęc distinctio consistat.

Objicies 3. Id quod est supernaturale debet realiter entitativè distingui à substantia: sed sunt plerique actus supernaturales: ergo debent distingui realiter entitativè à substantia, præfertim animæ, quæ naturalis est. Respondeo ex doctrina P. Maignani *Phil. sacræ cap. 13. à num. 92.* per hoc quod est actum esse supernaturale non probari eum esse specialem entitatem realiter entitativè à substantia distinctum, licet dicatur supernaturalis quoad entitatem: sufficit enim quod sit motus animæ, proprias, ac naturales animæ vires

excedens. Actus itaque supernaturalis est ille, quem anima agere non valet, nisi adivetur, & elevetur viribus à Deo iudicis, qui quidem actus, seu animæ motus, quid modale tantum est, ab anima quidem distinctum distinctione modali, quæcumque illa sit. Sed in his diutiis esse non est hujus loci.

## PROPOSITIO X.

*Obiectum intellectus determinatur.*

**P**rima Animæ rationalis potentia *Intellectus* appellatur, seu potentia intellectiva, quam distinctam esse realiter à sensibus, satis patet ex intellectione, seu cognitione, quæ à sensibus elici non potest: hæc autem non nisi per ordinem ad suum obiectum nobis intonescere potest. Altero itaque obiectum intellectus esse omne intelligibile. Ratio est, quia nulla est ratio cur potius unum, quam aliud intelligibile possit esse obiectum intellectus. Quemadmodum ergo potentia visiva habet pro obiecto omne visibile; Auditiva omne audibile, ita intellectus omne intelligibile. Præterea probatur à pari; nam nullum est assignabile bonum, quod à voluntate amari non possit: ergo neque assignabile est aliquod verum, seu intelligibile, quod ab intellectu non possit attingi. Hinc obiectum adæquatum intellectus est ens in tota sua amplitudine acceptum.

Objicies tamen. Nonnulla sunt, quæ humani intellectus captum superant, ut *Essentia Divina*, *Mysterium Trinitatis*, *Dei libertas*, & alia: ergo, &c. Sed respondeo verum quidem esse, intellectum creatum suis viribus non posse Deum clare videre: nec quidquam in rerum natura reperiri, quod ad claram Dei visionem intellectum determinare possit: cognoscitur

tamen naturaliter Deus imperfectè, vel per discursum: idem dico de Trinitate, quam hæreticus confusè concipit, & sic de aliis. Ad hoc antem ut dicatur intellectum dicere habitudinem ad prædicta cognoscibilia, sufficit, ut saltim obscurè ab eo attingi, & intelligi possint.

## PROPOSITIO XI.

*In Anima nullæ dantur species impressæ intellectuales.*

**C**ommunis Scholasticorum sententia tenet, intellectum essentialiter indigere speciebus intelligibiliis, seu intentionalibus ab obiecto intelligibili distinctis, ut intelligat, & cognoscat: tum & omnes omnino potentias sensibiles materiales indigere simili ter speciebus impressis ad suas sensaciones efficiendas. Et quidem species impressas materialibus potentiis subservientes jam procul egimus Tract. præced. lib. 5. prop. 6. In præsenti autem etiam eas, quæ ad intellectum communiter requiri dicuntur, ut intelligat, etiam rejicimus. Majoris itaque claritatis gratia supponendum est, species intentionales apud Scholasticos in duplice esse differentia, nam aliæ sunt impressæ; aliæ expressæ. Species expressa est imago illa obiecti, quam exprimit, & producit in se potentia cognoscitiva; estque ipse actus, seu cognitio representans obiectum: species autem impressa afferitur esse qualitas quedam ab obiecto ad potentiam emissâ, quam ultimò complet, ac determinat ad procedendam cognitionem, seu speciem expressam obiecti.

Affero non dari ejusmodi species impressas. Probat ur 1. ex earum inutilitate: Anima enim eis non indiget, ut cognoscat obiectum: eo enim ipso quod sensus internus agat, ut in præcedentibus diximus, anima

omni-

omnino determinata jam est ad cognoscendum, ut postea latè ostendetur: & consequenter jam est completa, nullum enim aliud complementum præter ultimam determinationem requirit.

Probatur 2. Hujusmodi species cum animæ non infundantur à Deo, produci debent vel ab obiecto, vel à sensu, vel ab Anima: sed nihil horum dici potest: non quidem ab obiecto, quod abeat, & ut species in anima producat, debet esse animæ applicatum, ipsique adjunctum: non à sensu, hic enim species spirituales nequit producere: non denique ab anima, quæ cum talem speciem producere nequeat, nisi ad eam producendam determinetur: & cum æquè facile posset anima determinari ad producendum actum ipsum, cuius gratia speciem produceret, cur non potius actum producat. Præterea quia cum species debet esse obiecto in esse representativo similis, quomodo eam anima producet, nisi prius cognoscat obiectum? Ad quid igitur species?

Probatur 3. Prædictæ species impressæ animam non determinant: ergo non sunt admittenda. Anteced. probatur, nam si animati determinarent ad cognoscendum, cum ipsis semper insint, semper, & continuò eam determinarent: sunt enim causæ necessariae: ergo non sunt formaliter determinativæ: & consequenter sunt invitiles.

Probatur 4. Inexplicabile est, qualiter ejusmodi species excitentur. Phantasma enim, aut sensus in eas non agit: anima autem eas excitat nequit, nisi prius determinetur, & cognoscat, quænam species sit determinanda, quod efficere nequit nisi prius cognoscat obiectum: hoc autem ridiculum est: sic enim anima cognoscere deberet obiectum antequā illud cognoscere,

ret, si illud cognoscere nequeat nisi per speciem impressam.

Probatur 1. Nam intellectus non est minus completus ad intelligendum, quam voluntas ad volendum: sed hæc, cogito obiecto, nullo alio complemento, seu specie volibili indiget: ergo neque ille, obiecto per seum percepto, indiget alio complemento, seu specie intelligibili.

Sed objicies. Potentia sensitiva indiget specie impressa ad sentiendum: ergo & intellectus ad intelligendum. Sed respondeo negans antecedens de specie quam adversarius intelligit: sensus enim non aliam habet ab obiecto speciem, nisi ejusdem affectionem impressam, ut diximus loco citato; at verò dum intellectus intelligit, non agit circa ullam affectionem impressam, ut ex dicendis amplius patebit. Hinc rejecies divisionem illam intellectus in agentem, & passibilem: intellectus enim agens ideo ponebatur, ut munus haberet producendi, seu aptandi species prædictas: cumque hoc niunus abolitum sit, non est cur intellectus agens admittatur: ipse tamen intellectus dici potest agens, quatenus intelligendo agit; & possibilis, seu patiens, quatenus actionem suam excipit; est enim actio vitalis, & essentialiter immanens.

### PROPOSITIO XII.

*In Anima nullum datur verbum mentis, seu species expressa ab ipsa actuali intellectione distincta.*

Probatur 1. Nam quinque conditiones communiter requiruntur juxta Sanctos Patres, & Theologos ad esse Verbi. 1. Ut sit aliiquid in mente. 2. Quod sit ejus proles. 3. Quod sit similitudo, & imago rei.

rei. 4. Quod sit manifestativum rei. Et 5. Quod non maneat cessante actu intelligendi: sed has conditiones haber intellectio ipsa, seu actus intelligendi: ergo ipsa intellectio est Verbum. Minor patet, nam intellectio, cum sit actus immanens, menti inest. Item prolixus intellectus est, cum ab ipso procedat: item est similitudo, & imago rei, ipsamque representat, cum sit ipsa intentionalis obiecti representatio: tandemque, cessante actu, non amplius remanet: ergo, &c.

Probatur 2. Nam quemadmodum se habet Verbum ad extra, seu locutio vocalis, ita ceteris paribus se habet Verbum mentis, seu locutio mentalis: sed locutio vocalis nihil aliud est quam vocis emissio; & Verbum vocale nihil aliud est quam vox ipsa prolata, representans conceptum loquentis, & obiectum: ergo similiter Verbum mentis, seu locutio mentalis, nihil aliud est, quam ipsa intellectio, seu actus intelligendi obiectum representans.

Objicies tamen; omnis intellectus intelligendo habet aliquam imaginem, seu representationem experimentem obiectum: sed hoc est Verbum mentis, seu species expressa: ergo in omni intellectu talis species est admittenda. Sed respondeo intellectum per ipsam intellectionem, qua intelligens obiectum constituit fieri quodammodo imaginem obiecti: non enim ut obiectum representet requiritur aliiquid ab intellectu diversum, ut patet ex dictis.

### PROPOSITIO XIII.

*Intelligere est verè agere.*

Ratio est quia intelligere, seu cognoscere est exercitium aliquius potentiae, quæ certè activa est: ergo cognoscere est agere. Præterea cognoscere est actus

actus vitalis, seu actus vita: sed actus vita non est mensura passio, sed actio, ac veluti potentia motus: ergo intellectio est actio; adeoque intelligere est agere. Hinc intellectio nostra à solo Deo fieri nequit: cum enim intellectio sit actio, certè necessariò, & essentia liter à suo principio, seu intellectu dependet: & consequenter si ab intellectu non fieret, aperta sequeretur contradictione: sequeretur enim nos intelligere, & non intelligere: intelligere scilicet ex suppositione, & non intelligere, quia intellectionem non eliceremus.

## PROPOSITIO XIV.

*Qualiter Anima determinatur ad cognoscendum exponitur.*

**H**ominem non posse quidquam cognoscere, nisi ad cognoscendum determinetur, patet quia cum multa posset cognoscere, certè ut unum potius, quam aliud cognoscat determinari oportet: per quid autem determinetur est nunc explicandum.

Ad id autem suppono. Animam cognoscere, sensum sentire, & quidquid sensus sentit ab Anima cognosci. Hoc supposito, assero Animag determinatam esse ex se ad cognoscendum quidquid sensus sentit, non secus ac lapis ad motum deorsum, ita ut possita obiecti alicujus affectione in sensu, necessariò anima ex vi sua determinationis praedictæ illud obiectum cognoscat. Ratio est quia cum anima sit Hominis forma, ut postea ostendemus, omnesque potentias sibi subordinatas habeat, procul dubio, nisi cognosceret quod sensus sentit, esset omnino inutilis, cum nec cognoscere posset in statu unionis, nec potentia sentiendi esset ipsi subiecta. Cum itaque anima forma hominis sit, ac munere formæ diu taxata in homine defingatur, ejus

ejus omnino finis est, hominem constitutre principium ratiocinationis, tum & sensationis principium, ita ut potentias sibi subordinatas regere, continere, ac sustinere possit juxta regulas rationis: ergo quemadmodum corpus grave ratione finis, cui in ratione talis destinatum est, componendi nempe globum Terræ totalem, determinatum est ad descendum, ita & anima determinata erit ratione finis praedicti ad cognoscendum quidquid sensus sentit: posita itaque obiecti in sensu affectione, qua obiectum quodammodo fit illi præsens, determinatur anima ad illud cognoscendum. Hicque explicandi modus à P. Honor. Fabri adductus lib.7. de *Anima rationali* prop.23. ceteris videtur facilior, ideoque amplectendus. Modo itaque praedicto determinatur anima ad apprehensiones, quibus positis, judicat de coherentia, aut incoherentia obiectorum sic cognitorum, fertque judicium affirmans, aut negans. Qualiter autem, aut per quid determinetur, ut ex præcognitis ratiocinetur, aliasque cognitiones deducat, in sequenti prop. expono.

## PROPOSITIO XV.

*Qualiter anima ex uno cognito, ad aliud per ratiocinationem cognoscendum determinetur,* non explicatur.

**H**oc distinctis numeris majoris claritatis gratia distinctum exhibeo.

*1. Homo ubi ratiocinatur ab aliquo determinari debet ad consequens eliciendum.* Ratio est quia cum homo ratiocinatur, ex multis confusè cognitis in antecedente, unum distinctè in consequente cognoscit: ergo ab aliquo determinari debet, ut potius hoc distinctè cognoscat, quam illud, ex. gr. Sit hoc antece-

dens: *Omnis homo est animal*; in hoc multa confusè cognoscimus, scilicet Petrum, Paulum, &c. esse animal: item hominem esse corpus, esse vivens, sentiens, &c. ergo ut in consequente distinctè inferamus: *ergo Petrus est animal*, potius quam aliud, ab aliquo determinamur.

2. Non determinatur intellectus ab obiecto illo confusè cognito in antecedente. Ratio est quia cum in antecedente plura confusè cognoscat, non est cur unum potius quam aliud intellectum determinet. Dices requiri duas premisas, siveque intellectum determinari potius ad hoc, quam ad illud consequens: ut cum dico; *omnis homo est animal*: sed *Petrus est homo*: ergo *Petrus est animal*. Ceterum in subiecto illo generali *omnis homo*, tam confusè cognosco Petrum, quam Paulum, Joannem, &c. & in prima propositione tam confusè cognosco Petrum esse hominem, quam Paulum, &c. cur igitur in minori attingo distinctè Petrum, potius quam Paulum, Joannem, &c. Dices, supponi conclusionem probandam: & consequenter duos illius terminos jam distinctè cognitos, scilicet Petrum, & Animal, ac queri dumtaxat medium. Id ita aliquando esse, ultrò fateor: at sapè ex una propositione aliam deducimus, de qua prius nihil distinctè cogitabamus: ergo in his casibus non determinamur ab obiecto.

3. Afferro itaque ipsum hominem se se liberè determinare ad unum distinctum consequens, potius quam ad aliud. Cum enim ab obiecto confusè cognito non determinetur, nihilque aliud sit, à quo determinari possit, certè se ipsum determinat. Et in hoc præterim facultas ratiocinii posita est, quod nempe homo hac vi polleat, qua ex aliquo obiecto confusè cognito

se se determinare possit ad idem distinctè cognoscendum. Quod verò se ad id liberè determinet patet, nam ita se determinat ad unam cognitionem distinctam, ut possit se ad aliam determinare, ad quam se non determinat; & potest non se determinare ad hanc, ad quam tamen se determinat. Hinc patet hoc principium activum ratiocinationis, & liberè determinatiois esse animam rationalem.

## PROPOSITIO XVI.

*Quoties anima cognoscit, sensus internus sentit.*

Robatur, nam dum anima paulo acriùs ratiocinatur, sensus interni organum, nempe cerebrum defatigatur, incalscit, &c. ergo tunc sensus agit, aliter non defatigaretur: sed non aliter agit, quam sentiendo: ergo quoties anima cognoscit, sensus internus sentit. Quomodo verò id fiat in sequenti propositione explico.

## PROPOSITIO XVII.

*Exponitur modus, quo sensus internus ab anima determinatur ad sentiendum id, quod ipsa cognoscit.*

IN hac operationum, seu motionum serie sensus incepit, primaque operatio incipit à sensu, quo sentiente, anima sufficiente determinatur ad cognoscendum illud idem, quod sensus sentit, idque eodem modo: quemadmodum enim sensus multa simul sentit, aliqua nempe distinctè, alia confusè, ita & anima multa cognoscit, illa tamen distinctè, quæ sensus distinctè sentit, & ea confusè, quæ sensus confusè. Jam verò ubi anima se ipsam liberè determinat ad cognosc-

scendum aliquid distinctè , quod ante tantum confusè cognoscet , tunc sensus illud idem distinctè sentire incipit ; nec ad id alia indiget determinatione : cum enim jam antecedenter in eo fuerit affectio impressa , quam confusè tantum cognoscet , & quam etiam anima confusè cognoscet , ubi anima illam distinctè cognoscit , determinatur & sensus ad illam distinctè sentiendam : tunc enim noviter ab anima in fibris illis sensorii communis excitatur motus similis illi , quem antea habuerant , aut ille idem augetur , quo magis circa idem sentiendum afficiuntur , fitque distinctior sensatio , & evidenter . Ita ferè hanc rem explicat P. Honor. Fabri .

## PROPOSITIO XVIII.

Hinc explicari potest modus , quo anima ratiocinum , seu discursum in longum producit .

**U**T id clarius percipiat supponendum est 1. Numquam fieri sensum sine motu fibrarum nervearum ; nec motum fibrarum illarum , quibus affectio inest , fieri sine sensu , ut patet ex dictis in Tract. præced. Supponendum est 2. Potentiam determinari , & phantasma dumtaxat excitari per motum illius fibræ , cui phantasma inest , ut patet ex dictis loco citato. Supponendum est 3. Sensum , & motum pariter procedere , ita ut magnus , & sensibilis motus , cum magno , & distincto sensu ; parvus , & insensibilis , cum parvo , & confuso sensu sit conjunctus. Supponendum est 4. Ex ibidem dictis , ex motu alicujus segmenti fibra sequi motum aliorum segmentorum , etiam aliarum fibrarum , præsertim proximarum ob continuatem ; hieque parvus , aut magnus , ac proinde si par-

vus

vus sit , parvus exercitur sensus ; magnus verò ubi magnus . His positis .

Ubi sensus internus aliquid distinctè sentit , moveatur sensibiliter tremulo quodam motu , illud fibra segmentum , cui affectio , quæ sentitur , inest : & consequenter propter continuatatem moventur etiam alia fibra , aut alia segmenta , licet mitiori motu , quibus alia simulacra , seu affectiones insunt ; quo sit ut hæ etiam sentiantur , minore tamen , & quasi insensibili sensatione : ubi igitur sensus prefato modo multa simul sentit , unum scilicet ex. gr. distinctè , & alia confusè , plus minus , statim anima , ut diximus , eadem cognoscit , distinctè scilicet illud unum , quod sensus distinctè sentit , & reliqua confusè . Jam verò ubi anima per ratiocinium , unum ex confusè cognitis distinctè cognoscit , illud idem sensus distinctè sentit ; id est fibra illa , cui talis affectio inest , quæve parvum antea habeat motum , ad magnum , & sensibilem determinatur ; ac proinde potentia sentiens , quæ antea confusum sensum exerebat , determinata à magno motu , magnum , & distinctum sensum exerit .

Deinde ex hoc magno motu in novo fibra segmento , novi motus minores , & indistincti in alia segmenta propter continuatatem propagantur , ex quibus similiiter novi sensus confusi exoriuntur , circa illa nempe simulacra , quæ prædictis segmentis insunt : ergo sensus multa de novo confusè sentit : igitur & anima multa de novo confusè cognoscit : tum anima unum ex his , si velit , per ratiocinium distinctè cognoscit : ex quo iterum distinctus sensus consequitur : & ex hoc novi sensus confusi : adeoque ex his novæ cognitiones confusa : ex quibus aliqua ulterius distincta deducitur , quæ novum etiam sensum distinctum parit : atque ita de-

deinceps veluti in orbem itur à sensibus confusis in cognitiones confusas: ex his in aliquam distinctam: ex hac in novum sensum distinctum: ex hoc denum in novos confusos, atque ita deinceps, donec tandem inveniat mens, quod latebat, illudque simulacrum emergat, quod quarebat. Vides mentis cursum, vi- des discursum. Hec ni fallor, recte difficultatem explicant, ac in re satis obscura sufficere videntur.

## PROPOSITIO XIX.

*Hinc potentiarum subordinatio satis explicari potest.*

**P**Atet satis aperte ex dictis, sensum internum esse animæ subordinatum, siquidem anima ejus opera utitur in ratiocinando, ejusque functiones, motus, ac sensus pro libito adhibet, ita ut eum servire cogatur usque ad sudorem etiam, & defatigationem. Insuper cum appetitus sensitivus sensui interno sit subordinatus, ut ex dictis Tract. præced. satis constat: sensus autem internus sit, ut dixi, animæ subordinatus, consequenter & appetitus sensitivus eidem animæ erit subiectus. Hinc anima potens est motus inordinatos appetitus moderari, vehementiores cohíbere, turpes, ac inhonestos arcere, & frenare, omnesque denum juxta regulas rationis componere. Quod qualiter efficiat sequens propositio docet.

## PROPOSITIO XX.

*Exponitar quomodo anima motus appetitus contineat, excitet, cohíbeat, &c.*

**H**æc ex dictis Tract. præced. faciliter explicantur. Diximus enim Potentiam, ac sensorium internum ad prædictos motus excitari per affectionem tra-

du-

ductam ex organo sensus in fibras motrices, quarum nempe opera utitur potentia motrix ad dictos motus efficiendos: itemque pro affectionum diversitate diuersos excitari motus. Item motum unum à contrario motu cohíberi, aut retardari, &c. tum ad hunc contrarium motum determinari potentiam per diversam affectionem immissam: hanc insuper ab eo motu procedere, qui cum sensatione conjunctus est; diversi namque motus diversis sensationibus comitantur: est autem diversa sensatio pro diverso phantasmate excitato, aut diversa affectione in plexum sentientem traducta, circa quam sensus agit. His suppositis, qua loco citato sunt uberioris exposita, sic modum quo anima motus appetitus cohíbet, excitat, &c. expono.

Sit ex.gr. vehemens iræ motus in appetitu excitatus, ab aliquo nempe obiecto, quod sensum vehementer afficiat. Ut itaque anima hunc motum compescat, motus contrarius excitandus est, ac proinde altera affectio est traducenda, qua potentiam ad illud determinet: ad hoc autem ut hoc fiat, illud phantasma excitandum est, illaque sensatio exercenda, ex qua procedit. Anima itaque explorat, & speculatur phantasmatum, donec illud occurrat, cuius opera optatum finem obtineat: imo si forte unum non sufficiat, multa sunt adhibenda; imo ut motus contrarius ab anima inducatur, validior, & illustrior affectio est traducenda: atqui hæc à vegetiore sensatione procedit: ergo anima ad illustriorē cognitionem se determinat, ex qua illustrior sensatio, & consequenter major motus consequitur, & ex hoc posterior affectio in organum appetitus traducitur. Hinc sit ut quandoque anima vietrix evadat; nonnumquam verò succombat, eo scilicet quod cum conatum non adhibuerit, quem operis

ar-

arduitas exigebat. Hinc etiam sequitur animam, cum per longum usum fibræ habiliores redditæ fuerint ad motus inhonestos, facile finire se duci ab obiectis sensibilibus, & voluptatum illecebris irretiri. Vides hic legem in membris nostris repugnarem : vides luctam carnem inter & spiritum; appetitum inter, & animam, in qua procul dubio propter naturæ lapsæ debilitatem prostrati essemus, nisi auxilio divinæ gratiæ adjuti, hominem illum domesticum frenaremus, ac in ordinem redigeremus.

## PROPOSITIO XXI.

*In anima nulli dantur habitus spirituales, merè facilitantes.*

**D**ixi non dari habitus merè facilitantes, quia inveni-  
gabiles sunt habitus supernaturales infusi, quales sunt habitus fidei, Spei, & Charitatis, Gratia habitus  
realis, ac Luminis glorie, qui à Deo animæ infunduntur, nec sunt merè facilitantes, sed potius animam  
complent in ratione causæ, ejusque potentias elevant  
ad proprios actus supernaturales eliciendos, habentque  
consequenter rationem potentie respectu illorum. Pre-  
ter istos autem admittunt communiter Scholastici in-  
umeros ferè habitus naturales animæ inharentes: hoc  
est, quasdam spirituales qualitates, tum in intellectu,  
tum in voluntate, quibus harum potentiarum actiones  
facilitari affirmant, hosque dicunt per crebras actuum  
repetitiones tandem adquiri.

Affero tamen nullos esse in anima habitus spiritua-  
les mere facilitantes. Probatur 1. Quia sunt frustra:  
litter enim in anima esse supponamus, nisi aliud accedat  
sunt inutiles; si autem aliud accedat, illud sane per  
se solum sufficit ad functiones, que eisdem tribui so-  
lent:

solent: ergo frustra admittuntur. Anteced. probatur.  
Primò enim si agatur de actionibus intellectus, ad ipsas certè sufficient phantasmatu ordinata, ac compo-  
sta, sine quibus proculdubio prædicti habitus intelle-  
ctuale inutiles sunt; si verò loquamur de actionibus voluntatis, facile componentibus appetitum, ejusque  
motus, sufficient ad hanc facilitatem fibræ organi,  
contrariis motibus assuefactæ, ac proinde habiliores  
reddita, ut in præced. tract. dictum est. Quod autem  
spectat ad ordinata phantasmatu, patet, nam ex his or-  
dinati actus sequuntur, ut constat ex dictis: ergo præ-  
dicti habitus merè facilitantes inutiles sunt, ac sine suf-  
ficienti fundamento adstruuntur, cum sine ipsis prædi-  
cta facilitas quam optime explicetur. Sed hoc ipsum  
ad particularia descendentes amplius explicemus.

Memoria, quæ ut diximus in ordinata phantasmatu serie consistit, relectione excolitur, quatenus cere-  
bri fibræ motu illo, qui relectionem comitatur, expe-  
ditores redduntur, ac faciliter ordinatam seriem phan-  
tasmatum, debito, ac minimè interrupto ordine excitant: recte igitur, quæ ad memorie facilitatem spe-  
ciant, absque prædicto habitu explicantur. Vide quæ  
diximus tract. præced. lib. 5. prop. 25. Similiter habitus  
scientiae exponitur; ubi enim aliquid demonstramus,  
ita phantasmatu componimus, ut facile possint ad can-  
dem demonstrationem repetendam excitari. Habitus  
item Prudentiae: ubi enim apta media ad fines propo-  
fitos per ratiocinium invenimus, & phantasmatu com-  
ponimus, id sèpè repentes, cum opus erit, faciliter  
prædicta media recurrent. Tandem habitus artis facilè  
exponitur: ars enim vel est scientia practica, aut me-  
chanica. Si primo modo spectetur, idem est de arte  
dicendum, quod de scientia nuptimè diximus: si se-  
cundum,

cundo modo, præter talem phantasmatum dispositiōnem, dicit talem habilitatem fibrarum illius organi, cuius usum opus artis desiderat: tum & illarum, quibus à nervorum origine traducitur affectio ad organum prædictum: ex. gr. ad gutturis, linguæque musculos pro Musica: ad manum, & digitos pro Organis, cyathisque pulsandis, & sic de reliquis. Similiter expōnuntur, quæ ad alios habitus spectant.

Probatur 2. conclusio, nam prædictorum habituum producō, prout ab adversariis adstruantur, nequit explicari. Qænam enim causa habitum, ex. gr. Temperantia producit? Non quidem obiectum, ut est certum; multoq[ue] minus appetitus; neque Anima, h[oc] enim longè facilius facilem actum produceret, quam habitum facilitantem. Dicunt communiter ab actibus produci. Sed contra. Nam vel produceretur ab uno actu, vel à pluribus: non ab uno, ut adversarii fatentur. Deinde non à pluribus: ad hoc enim ut plures causa partiales ad eundem effectum concurrant, simul esse debent; quod enim non est, non influit: sed actus vitales instantanei, vel quasi instantanei sunt, ideoque simul non existunt: ergo, &c. Nulla ergo assignabilis est causa, quæ talem qualitatem, seu habitum producere possit. Micas facio rationes, quibus in Physica generali usi sumus adversus similiūm qualitatūm productiones. In nostra autem hypothesi facilē explicatur, qualiter tales facilitates producantur: catenūs enim producuntur, quatenūs talis habilitas, vel dispositio fibris organorum inducitur, qua posita, faciliter, & prompte obsequantur. Inducitur autem talis habilitas, organi illius usū, eoq[ue] frequenti: talibus enim motibus assūscunt fibre, facilèque quoties oportuerit obsequuntur. Hinc sit, ut per non usum ea facilitas de-

deperdatur, quia scilicet rigescunt fibre, ac prædictam dispositionem, interrupto nimirum usū, deperdunt. Hæc satis facilia sunt, nec quidquam objici potest, quod ex prædictis facilē non solvatur.

### PROPOSITIO XXII.

*Voluntas, ejusque obiectum explicantur.*

**V**Oluntas est *Potentia spiritualis appetitiva.*

Ejus obiectum est illud omne, quod apprehendit potest ut bonum, aut malum. Quod apprehenditur ut bonum, est obiectum actus prosecutionis, quod verò ut malum, aversionis, aut fugæ: omnes enim actus voluntatis ad prosecutionem, & aversionem reducuntur. Quemadmodum itaque actus intellectus se habet per modum cuiusdam expressionis obiecti, quod respicit in ratione veri; ita & voluntatis actus se habet per modum cuiusdam motus circa obiectum, quod directè respicit sub ratione boni, saltem apparentis. Primus voluntatis actus est complacētia, aut disiplētia simplex de obiecto: diciturque *simplex* ad instar simplicis apprehensionis: hac autem simplici complacētia, aut disiplētia relinquunt voluntas, quasi suspensa circa obiectum: sep̄issimè autem necessariò sequitur ex representatione boni: bonum enim ut bonum nequit non placere; tuncque antevertit liberum rationis usum, diciturque actus primò primus. Hunc sequuntur affectus *efficaces* appellati, qui necessariò supponunt simplices affectus: ex illa enim complacētia, aut disiplētia in obiecto, oritur actus efficax, quo nemp̄ aut vitamus bonum, aut malum avertisimus, dicunturque efficaces, quia eorum vi, efficimus illud, quod volumus; aut vitamus ea, quæ aversamur, aut saltem proportionata media ad illud adhibemus.

Hinc

Hinc vides omne volitivum esse necessariò cognoscitivum : non enim voluntas ferri potest in incognitum : quomodo enim bonum eligere, aut malum fugere, & aversari poterit, nisi bonum , aut malum ipsi proponatur : sed non aliter quam per cognitionem proponi possunt : ergo quod volitivum est necessariò debet esse cognoscitivum. Hinc quemadmodum intellectui proponitur obiectum per sensum , ita voluntati proponitur per intellectum idem obiectum : estque intellectus inter sensum, & voluntatem quasi communis Interpres.

Licet autem voluntas in suis operationibus necessariò actum intellectus presupponat , seu cognitionem obiecti, juxta illud Poëtz : *Ignoti nulla cupidus* , cognitio tamen in operationes voluntatis physicè non influat. Probatur, nam ut ex dictis constat , cognitio est merus modus, seu actualis determinatio : sed modus non est ex se activus : ergo, &c. Cognitio itaque tantum est prærequisita , ut proponat obiectum sub ratione boni, aut mali, quo proposito , voluntas eleæivè procedat, aut aversivè circa illud obiectum.

### PROPOSITIO XXIII.

*Libertas voluntatis explicatur.*

**M**Ultipliciter libertas accipi potest , totupliciter nempè ac liberum ; cumque liberum illud sit, quod aliquo vinculo solutum est , idcirco tot sunt libertatis acceptiones, quot sunt vincula à quibus homo potest esse liberatus. Sic alia est libertas à lege obligante, alia à miseria, & poena multante, alia est libertas à peccato, quæ justis competit : in presenti autem loquimur de libertate naturali , quæ nempè omnibus hominibus à natura indita est , & per quam maximè

in

in suis operationibus à modo agendi brutorum diversificantur. Assero itaque hanc libertatem consistere in activa indifferentia voluntatis ad operandum, & non operandum : seu in potentia expedita , qua æquè posset voluntas se determinare ad aliquid , atque ad ejus oppositum. Hinc actio libera voluntatis illa est , ad quam anima liberè se determinat ; libere autem se determinat, cum aliunde non determinatur, sed a se ipsa præcisè , taliter ut unam partem eligat, ita ut æquè posset aliam eligere. Hinc essentia, ac notio libertatis in illa expedita potentia sui ipsius determinativa consistit.

Dupliciter autem libertas considerari potest , vel in actu primo, vel in actu secundo. In actu primo duplicititer iterum considerari potest , vel scilicet in actu primo remoto, vel proximo. Libertas in actu primo remoto solam importat voluntatem, quatenus ex se perinde potentem hoc facere, quam illud. In actu vero primo proximo non pauca superaddit voluntati requirita : qualia sunt ex parte intellectus indifferens cognitionis, seu cognitionis indifferenter proponens obiectum sub ratione boni, & mali : item ex parte Dei concursum indifferenter ad utrumlibet præparatum, ceteraque conprincipia : tum & remotionem omnium impedimentorum, per ipsum liberum voluntatis exercitium non auferibilium.

Hinc libertas in actu primo proximo rectè definitur : *Facultas, seu potentia, quæ positis, & manentibus omnibus prærequisitis, simpliciter antecedentibus, perinde potest agere, quam non agere, vel etiam oppositum agere.* Additur simpliciter antecedentibus, quibus nempè ea intelliguntur, quæ & natura antecedentibus libertatis exercitium , & voluntatis dispositioni non

non subjiciuntur; eo scilicet quod neque antecedenter impossibilita sint, quia nempe ea habere, vel non habere non est in potestate voluntatis; neque consequenter, quia semel in voluntate posita, pro ejus libitu non possunt abjici, aut auferri: hujusmodi enim impedimenta si insuper sint cum una tantum sive contradictionis, sive contrarietatis parte conexa, ita ut cum opposita sint incompatibilia, libertatem ledunt. Secùs verò res se habet, si quamvis antecedentia sint, non talia sint simpliciter, quatenus nempe vel antecedenter impediri possint à voluntate, nec accipiuntur, vel certè postquam habentur, ab eadem liberè possint auferri; hoc enim in casu, licet cum una dumtaxat voluntatis parte stare queant, ejus tamen libertatem non labefactant, quia nempe liberum aliquod voluntatis exercitium præsupponunt, aut aliquod post se possunt habere.

Libertas tandem in actu secundo est ipsum actuale exercitium libertatis, sive actus voluntatis elicitus in se formaliter liber, de quo alia postea dicemus.

#### PROPOSITIO XXIV.

*Distinctio voluntarii, & liberi; aliaque ad libertatem pertinentia enodantur.*

**E**X dictis satis colligi potest magnum esse diversitatem inter voluntarium, & liberum: illud enim voluntarium esse dicitur, quod à voluntate procedit, sive mediatè, sive immediatè, ideoque communiter definitur: *Quod est à principio intrinseco appetitivo cum cognitione finis.* Dux voluntarium esse quod mediatè, aut immediate à voluntate procedit: omnis enim actus voluntatis est immediatè, & maximè voluntarius, utpote à voluntate immediate profectus:

me-

mediatè verò voluntarius est quisvis alias actus, ad quem concurrit voluntas, sive consulendo, sive dirigendo, &c. Hinc aperte patet diversitas inter voluntarium, & liberum: licet enim omne liberum sit voluntarium: non verò omne voluntarium est liberum: liberum enim supponit voluntatem cum omnibus requisitis, quæ suprà sunt enumerata, ut in actu primo proximo statuatur libera, & indifferens ad agendum hoc, aut ejus oppositum, aut ad assensum, & dissensum, quæ sanè ad mere voluntarium non requiruntur, cum ad hoc sufficiat à voluntate procedere: unde quantumvis actus aliquis esset necessarius, esset tamen voluntarius.

Duplex distingui solet libertas, nempe contradictionis, & contrarietatis. Libertas contrarietatis est, quæ versatur inter duo obiecta opposita: sic ex duobus oblatis unum eligimus; virtutem nempe, aut vitium; paupertatem, aut divitias, &c. Libertas verò contradictionis est circa idem obiectum, quod scilicet voluntus, aut nolumus: prosequimur, aut averfamur: voluntus agere circa illud, aut non agere.

#### PROPOSITIO XXV.

*Explicatur per quid voluntas se determinet.*

**A**Ssero cum communi sententia voluntatem se determinare per ipsam actionem, qua certè nihil aliud est, quam actualis determinatio causæ. Ratio assertioñis est, quia per illud voluntas se determinat, per quod agit: sed agit per actionem: ergo per ipsam actionem se determinat. Item per illud se determinat, per quod ex indifferente fit determinata: sed per actionem fit ex indifferente determinata: ergo per ipsam actionem se determinat. Et in hoc vera, & intrinseca li-

libertatis radix posita est, ut potentia indifferens ea vi  
polleat, qua se ipsam possit determinare.

Actus autem liber voluntatis à predicta actione,  
seu determinatione libera non distinguitur: nullum  
est enim fundamentum ad predictam distinctionem  
admittendam. Sed dices, electionem liberam, qua vo-  
luntas eligit actum, ver.gr. amoris Dei, debere distin-  
guiri ab actu libero amoris electo. Sed contra, nam in-  
differentia, qua gaudet voluntas libera ad eligendum,  
vel non eligendum actum amoris Dei, tollitur forma-  
liter per ipsum actum amoris Dei: ergo ipse est ratio  
formalis determinandi: sed ratio formalis determi-  
nandi est ipsa actio, seu determinatio: ergo actus ab  
ipsa actione, seu determinatione libera electiva non di-  
stinguuntur. Præterea, ut diximus suprà, actus animæ  
nihil sunt nisi motus quidam, seu motiones ipsius ani-  
mæ, quibus nempè se ipsam movet: sed motio est  
actio: ergo actus animæ sunt actiones immanentes  
ipsius animæ: ergo actus liber est ipsa actio, seu  
determinatio libera.

### PROPOSITIO XXVI.

*Libertas est adæquate intrinsecæ, & essentialis actui  
voluntatis libero.*

In hac re diversæ sunt Auctorum sententiae, dum alii  
eam esse negant adæquate intrinsecam, & essentia-  
lem actui libero. Ita Suarez in 1.2. disp. 1. sect. 3. num.  
18. Vazquez in 1.2. disp. 34. cap. 3. num. 15. & disp.  
55. cap. 3. num. 12. quos citat, & sequitur Arriaga disp.  
6. de Ang. sect. 4. subsect. 4. Idem tenent Comptonus,  
Oviedus, Fabri, Casimirus, & alii. Alli verò eam esse  
actui libero adæquate intrinsecam, & essentialiem de-  
pendunt, ut Hurtadus disp. 1. 5. de Anima, sect. 6. Ant.

Pc-

Perez, Cardin. Palaveinus, Sparza, Alderete, Reque-  
senius, Quiroz, Castiglionius, Lingen, & alii. Assero-  
itaque cum secunda sententia libertatem esse adæquate  
intrinsecam, & essentialiem actibus liberis.

Probatur conclusio, nam (præced.) actus liber est  
ipsa actio, seu determinatio formalis electiva voluntati-  
s: sed nequit esse hujusmodi determinatio formalis,  
quin sit essentialiter, & intrinsecè liber: ergo, &c. Minor prob. Illud quod essentialiter supponit in volun-  
tate indifferentiam ad utrumlibet, est essentialiter libe-  
rum: sed nequit actus esse formalis determinatio elec-  
tiva voluntatis, quin essentialiter supponat in volun-  
tate indifferentiam ad utrumlibet: ergo nequit esse  
formalis determinatio electiva voluntatis, quin sit in-  
trinsicè, & essentialiter liber. Major patet, nam quod  
supponit essentialiter voluntatem indifferentem ad  
utrumlibet, essentialiter supponit illam in actu primo  
proximo liberam: ergo essentialiter connectitur cum  
libertate voluntatis: ergo essentialiter habet hoc quod  
est à voluntate libera procedere: ergo est essentialiter,  
& intrinsecè liberum. Minor verò probatur: nam ne-  
quit actus esse formalis determinatio electiva voluntati-  
s, quin voluntatem indeterminatam supponat: ali-  
ter enim esset jam antecedenter determinati ulterior  
determinatio: ergo nequit actus esse formalis deter-  
minatio electiva voluntatis, quin ipsam essentialiter  
supponat adhuc indeterminatam, & adhuc proximè  
potentem determinari ad utrumlibet: & consequenter  
actui libero essentialiter, & intrinsecè competit id quod  
est procedere à voluntate libera; & consequenter est  
intrinsecè, & essentialiter liber.

Objicies 1. Quod Deus applicet suam omnipo-  
tentiam per decretum indifferens, aut per decretum  
*Comp. Phil. Tom. V.* Aa de-

determinatum, accidentale est actui libero : sed libertas actus involvit applicationem omnipotentiae per decretum indifferens : ergo libertas actus est ipsi accidentalis : sive actus si procedat à voluntate instruta omnibus con principiis ad libertatem requisitis, erit liber ; si verò procedat à voluntate ipsis delitata, erit necessarius. Respondeo ex dictis negans majorem: nam actus est ipsa actio, seu determinatio electiva voluntatis, ex.gr. ad amorem præ ejus parentiam : non autem esset determinatio electiva voluntatis, nec esse posset, si decretum applicativum esset determinatum: quæ enim, amabò, in hoc casu electio, quævè determinatio, cum voluntas jam esset determinata per illud decretum. Hinc non foret idem actus voluntatis, qui posito decreto indifferenti à voluntate procederet, ac ille, qui posito decreto applicativo determinato ab eadem dimanaret.

Objicies 2. Libertas contrarietas, ex.gr. ad amorem, & odium, est saltim inadæquatè extrinseca actui libero : ergo & libertas contradictionis ad amorem nempè, & ejus parentiam. Respondeo negans antecedens. Nam actus liber libertate contrarietas nihil est aliud, quam determinatio electiva voluntatis ad unum ex contrariis præ alio, ver.gr. ad amorem præ odio: ergo essentialiter est connexus cum principiis indifferenteribus ad odium : nec satis concipio quomodo esse possit formalis electio, seu determinatio libera ad amorem præ odio, si ob parentiam principiorum ad odium ponendum, sit ipsi impossibile odium. Dices, mansuram in hoc casu adhuc liberam ad ponendum amorem, vel ejus parentiam : sed distinguo, & erit tunc, aut esse poterit idem actus, nego : & erit diversus, concedo, ut ex dictis satis constat.

Ex

Ex hucusque dictis satis colligitur 1. Rationem liberi in actu primo remoto esse voluntati adæquate intrinsecam : ideo scilicet, quia hac ratio liberi in actu primo remoto, nihil reale addit supra entitatem ipsius voluntatis. Colligitur 2. Denominationem liberi in actu primo proximo esse voluti partim intrinsecā, & partim extrinsecam. Ratio autem est, quia hujusmodi ratio præter voluntatem, importat con principia alia constituentia libertatem, à voluntate realiter distincta; libertatem verò actus liberi esse ipsi adæquate intrinsecam, & essentiale ob rationes prædictas.

## PROPOSITIO XXVII.

*Aliqua ad voluntatem, ejusque actus spectantia resolvuntur.*

**Q**uartetur 1. Utrum omnis actus voluntatis sit volitio sui ipsius. Respondeo esse implicitam volitionem sui ipsius: nequit enim voluntas ponere actum, quin ipsum ponere velit: ergo ipse actus voluntatis est sui ipsius implicita volitio, seu est volitio se ipsum ponendi. Dixi implicita, quia certum est, non omnem actum voluntatis se ipsum explicitè velle.

Quæres 2. An posita efficaci intentione finis possit voluntas eligere medium minus utile cognitum, utiliori relicto. Suppono intentionem finis esse volitionem ipsius finis; electionem verò mediorum ad finem conducentium, esse ipsam volitionem mediorum predictorum pro ipso fine consequendo. Hoc supposito, assero voluntatem, posita efficaci intentione finis, posse eligere medium minus utile, utiliori relicto. Ratio est, quia voluntas ex intentione efficaci finis solum necessitatibus ad ponendum utile, & sufficiens ad finem

assequendum: sed medium, licet minus utile, posset esse sufficiens ad finem assequendum: ergo potest voluntas, posita intentione efficaci finis, eligere medium minus utile, utiliori relichto.

Quæres 3. Quomodo actus imperati à voluntate sint liberi. Respondeo esse solum mediatè liberos, quatenus scilicet omittere potuit liberè actum imperantem. Ratio est, quia id quod simpliciter antecedenter necessitat, tollit libertatem immediatam: sed imperium efficax voluntatis necessitat simpliciter, & antecedenter ad actum imperatum: ergo tollit hujus libertatem immediatam. Minor probatur: quodvis principium antecedens actum, & cum illo connexum necessitat antecedenter ad ipsum: sed imperium efficax est connexum cum actu imperato, & est antecedens ad illum: ergo, &c. Confirmatur. Nam actus imperatus eatenus est voluntati liber, quatenus voluntas potest eum omittere: sed voluntas non aliter potest eum omittere, nisi quatenus potest omittere actum imperantem: ergo actus imperatus nou est immediate liber. Minor patet. Cum enim imperium efficax sit antecedens, & connexum cum actu imperato, nequit voluntas hunc actum evitare, quin prius vitet imperium: solum ergo mediatè vitare potest actum imperatum: & consequenter hic non immediate, sed tantum erit mediatè liber.

Quæres 4. An in voluntate sit possibilis pura omissionis libera. Nomine omissionis puræ intelligimus in praesenti parentiam actus, ita ut neque ponatur in voluntate aliquis alius actus positivus habens incompatibilitatem cum actu omisso: de hac itaque queritur an à voluntate possit liberè poni circa aliquod obiectum sibi propositum. Assero cum communī sententia

pos-

possibilem esse in voluntate puram omissionem libera. Probatur 1. Quia quando proponitur obiectum non necessariò amabile, itemque non necessariò odibile, potest voluntas abstinere ab amore, item ab odio, alisque hujusmodi actibus circa ipsum: ergo dari potest pura omissionis libera. Dices, voluntatem teneri ponere actum positivum reflexum, quo dicat volo omissionem amoris, aut nolo actum odii. Sed contra, quia obiecta illorum actuum non necessariò trahunt voluntatem: ergo voluntas absque alio actu potest absolute, & simpliciter ab ipsis abstinere.

Probatur 2. Statut Deus nolle concurrere ad voluntationem odii, aut alios similes actus, ita ut tantum vellet ad amorem concurrere, cum indifferentia tamen, ut voluntas liberè possit ab amore abstinere, certè hoc in casu si voluntas abstinaret ab amore, daretur pura omissionis libera.

Probatur 3. Nam libertas contradictionis in voluntate est distincta, & separabilis à libertate contrarietatis: sed libertas contradictionis nequit stare, si voluntas non possit pure omittere: ergo voluntas potest pure omittere. Major, & minor probanda sunt. Probatur itaque major. Nam quantumvis voluntas impotens foret ad ponendum odium, posset manere libera, & indifferens ad ponendum, vel non ponendum amorem: sed tunc haberet libertatem contradictionis absque libertate contrarietatis: ergo illa ab ista separari potest. Probatur jam primi syllogismi minor: nam libertas contradictionis est libertas ad amorem, & ejus parentiam, seu omissionem: sed talis libertas stare nequit, quin utrumque extremum sit liberum: ergo nequit stare libertas contradictionis, si voluntas non possit pure omittere.

Objicies 1. Potentia libera est potentia vitalis : ergo non potest reduci ad actum nisi per aliquid positivum , quod nempe sit actus positivus vitaे. Respondeo , concessu antecedenti , negans consequentiam: nam potentia libera libertate contradictionis , potest dupliciter reduci ad actum , seu determinari ; nempe aut per actum positivum , id est , per actionem ; aut per carentiam actionis , per quodlibet enim ex his exercetur libertas : nec enim potest concipi qualiter agat liberè , quando positivè agit , nisi possit non age-re , seu ab omni actu cessare.

Objicies 2. Libertas in actuali exercitio debet differre à libertate in actu primo : atqui in pura omissione nullatenus differret à libertate in actu primo : ergo , &c. Sed respondeo negans minorem : nam voluntas in actu primo est indifferens ad omissionem , & omissionis carentiam : supposita autem omissione , non est jam merè indifferens : unde cum libertas in actu secundo nihil aliud sit , quam ablato illius indifferen-tia per positionem alterius partis , hæc omissione est libera : ita enim est , ut pro libitu voluntatis potuerit non esse.

Objicies 3. Omnis potentia est ad aliquid positivum : ergo potentia libera non est ad puram omissionem. Respondeo distinguens anteced. Omnis potentia necessaria est ad aliquid positivum , concedo : libera , nego anteced. Ratio autem disparitatis est , quia potentia necessaria non habet in sua potestate actionem , & negationem actionis , cum sit ad actionem determinata , positis nempe omnibus ad agendum prærequisitis ; potentia verò libera habet in sua potestate actionem , & ejus carentiam : siveque potest pure omittere.

Ob-

Objicies 4. Ut voluntas suam libertatem exerceat , necesse est ut habeat motivum attrahens , & retrahens ; at in pura omissione nullum reperitur motivum attrahens , & retrahens : neque enim trahitur , aut retrahitur voluntas , quando caret ab omni actu : ergo , &c. Respondeo negans min. In pura namque omissione datur motivum attrahens , & retrahens : nam motivum , quod voluntatem trahit ad actum positivum , est retrahens respectu pura omissionis : & illud quod retrahit ab actu positivo , est retrahens respectu pura omissionis. Ex dictis alia solventur.

## C A P U T IV.

*De Anima rationali in statu unionis cum corpore ,  
& in statu separationis ab ipso.*

**L**ICET multa jam in præcedentibus tractata sint , quæ Animæ competunt in statu unionis cum corpore ; aliqua tamen in præsenti resolvenda veniunt circa illam tum in priori , tum in posteriori statu consideratam , quæ non parvi sunt momenta.

**PROPOSITIO XXVIII.**  
*In quolibet homine una dumtaxat est Anima rationalis.*

**D**ari in quolibet corpore humano Animam rationalem , satis liquet ex dictis initio hujus tractatus , ubi animam incorporam , & spiritualem esse , & consequenter immortalem , satis aperte demonstravimus. Nunc autem assero in quolibet homine unam dum-

dumtaxat esse animam rationalem. Ratio est, quia unus homo unum compositum est, quod unum esse absolutè habet, Hominis scilicet, non Bovis, aut alterius: sed forma, quæ unum absolutum, ac determinatum esse tribuit, est una: ergo unica tantum est anima rationalis in quolibet homine. Tum etiam quia fructuа efflent plures: nec ulla est assignabilis ratio, qua id aliqua probabilitate suaderi possit.

Dices tamen saltim in homine admittendas esse tres animas, nempè rationalem, vegetantem, & sentientem. Sed respondeo, me jam alibi explicuisse, qualiter ad esse sentientis, & vegetantis in homine unica anima, nempè rationalis sufficiat: esse enim hominis advenit tamquam forma ipsi facultatibus sentienti, & vegetandi: hæque sunt quasi materia respectu ipsius esse intellectivi: hinc, ut alibi diximus, facultas sensitiva, quæ in bruto est ejus forma princeps, & anima, in Homine est potentia subordinata anima intellectivæ, quæ hominem in esse Hominis constituit: idem dicendum est de facultate vegetativa: in Homine itaque una dumtaxat est anima rationalis, quæ unica in eo est forma non subordinata, unumque formale, ac priuatum principium; licet plures sint formæ partiales eidem subordinatae, minisque præcipuae, quæ idcirco rationem anima non participant.

### PROPOSITIO XXIX.

*Anima rationalis est re vera Hominis forma.*

**I**Ta definitum est in Concilio Viennensi sub Clemente V. his verbis: *Omnem doctrinam, aut positionem temere afferentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellective vera, & per se humani corporis non sit forma, velut*

er-

*erroneam, & veritati catholice inimicam, predicto Sacro Concilio approbante, reprobamus: definientes quod quisquis deinceps afferuerit, vel tenere pertinaciter præsumperit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hereticus sit censendus.* Idem statuit Concilium Lateranense sub Leone X.

Probatur autem conclusio ratione philosophicâ: nam esse peculiarem alicujus compositi formam, ut alibi diximus, est esse partem nobiliorem, & actuofiorem compositi, quæ per sui communicationem tribuat ceteris partibus minus nobilibus motum, & vires ad suas functiones peragendas, cum mutua concatione, ac dependentia in operationibus peragendis: atqui anima rationalis sic se habet in humano corpore: est enim pars nobilior, movetque corpus, daturque inter ipsam, & corpus mutua dependentia operationum, quatenus ipsa cum corpore, ejusque organis est unita, & constituit unum principium totale, ac singulare operationum illius compositi, quod est Homo: ergo propriè, ac verè est forma Hominis: & non solum est in corpore humano sicut Nauclerus in navis, aut sicut non semel Dæmones in obſeforum corporibus, sed tamquam vera illius forma.

### PROPOSITIO XXX.

*Anima rationalis est in toto corpore; præcipue tamen ejus sedes est in cerebro, tamquam in parte principi.*

**N**ihil quod sciām est haecenū in hac re ab Ecclesia constitutum, nec Sancti Patres omnino convenientiunt, nec eadem est omnium Philosophorum sententia. Aliqui enim Animæ sedem in cordē statuant;

alii

alii in cerebro : & Cartesius in Conario , seu glandula pineali. Communis tamen sententia tenet esse in toto corpore. Afferro 1. Animam rationalem esse in toto corpore, ita ut tota entitas ejus sit in toto corpore , & tota in qualibet parte illius. Ratio est quia sic melius explicatur quomodo sit vera corporis forma : & licet aliter posset hoc idem exponi ; cum tamen nulla sit ratio , quæ ita unam partem convincat , ut aliam falsam esse demonstret: ideo potius tenendum est animam rationalem esse in toto corpore.

Dixi totam animam rationalem esse entitativè in qualibet parte corporis , quia scilicet , cum spiritus sit , & entitativè indivisibilis, certè ubicumque sit , tota ejus entitas existit : cumque anima in qualibet corporis parte existat, ut dixi , tota ejus entitas in qualibet corporis parte existit ; non tamen totaliter in qualibet parte existit , quia scilicet in aliis etiam existit: est igitur anima toti corpori humano coextensa; sive in qualibet corporis parte tota quoad suam entitatem existit ; non verò quod totam suam extensionem, quod est totam ibi existere, sed non totaliter. Quemadmodum ut sèpè alibi diximus , & infra amplius patebit, Angelus potest pro suo libitu majorem , aut minorem extensionem suscipere, qua suscepta , Angelus est totus entitativè in qualibet illius spatii parte , non tamen totaliter , & quoad totam suam extensionem , quam habet : sic & anima toti corpori coextensa est , ita ut in qualibet corporis parte existat tota quoad entitatem; non tota quoad extensionem , quod ut dixi , est totam non tamen totaliter in qualibet parte existere.

Afferro 2. Præcipuam animæ sedem esse in cerebro , ac potissimum in plexu nerveo , aut in illo cerebri tractu , ubi præcipuum est organum , cui cæterorum or-

ganorum nerveæ fibræ sensoriæ , ac motoriæ concur- runt. Ratio autem est quia , ut Tract. præced. diximus lib. 5. à prop. 20. In prædicto cerebri tractu prin- cipium , & radix motuum , ac sensationum existit : & à sensationibus ibidem factis anima afficitur ob unio- nem cum corpore, modo quo suprà explicuimus: item ex illis affectionibus corporis peculiares motus resul- tant , ita ut ex illo tractu , quasi ex motionum prin- cípio omnes fermè dependant: sed ut in machinis motoiis conspicimus, potentia ibi præcipiè applicatur, unde facilis tota machina , pondusque appensum mo- vetur : ergo præcipua animæ sedes in prædicto cerebri tractu locari debet , ut inde totam corporis machi- nam facilis moveat , & gubernet , ac sensations , mo- tusque congruentes efficiat.

Objicitur 1. Ab his qui sedem Animæ , saltim præci- puam in corde statui. debere censem. Ibi esse debet animæ sedes, unde omnes operationes oriuntur : atqui omnes operationes oriuntur à corde : ergo , &c. Minor prob. nam ibi fabricantur spiritus præsertim vitales. 2. Testante Evangelio Matthæi cap. 15. v. 19. De corde exēunt cogitationes male , homicidia , adulteria , for- nicationes , furtæ , falsa testimonia , blasphemia : er- go , &c. Sed respondeo ad primum , in cerebro cudi spiritus , qui animales appellantur , qui motibus totius corporis inserviunt. Ad secundum respondeo , cordis nomine liberam Hominis voluntatem intelligi , qua homo ad crimina perpetranda liberè determinatur, unde tota ejus anima turpiter sedatur ; quod rectè cohæret cum eo , quod Anima præcipuè in cerebro residet, unde primam originem animi motus deducunt ; per sensus enim obiectorum illecebreg sensorium commune afficiunt , hacque affectione anima ad malum allici- tur,

tur, quod nisi ipsius libera voluntate respuat, prædicta mala cum dedecore amplectitur, ac turpiter committit.

## PROPOSITIO XXXI.

*Anima rationalis in statu separationis cognoscit, ac loquitur.*

**N**unc jam nostram animam rationalem in statu separationis à corpore consideramus. Anima autem separata in triplici statu considerari potest, nempe vel in statu beatitudinis supernaturalis, vel in statu damnationis aeternæ, vel in statu puræ naturæ: licet enim hic status de facto non sit; est tamen possibilis. De anima itaque separata agimus in præsenti, quatenus in hoc tertio statu consideratur, attentes in ea non damnationem, aut gloriam, hac enim ad Theologiam pertinent; sed solum animæ naturam, prout Philosophia limites prescribunt.

Affero itaque 1. Animam à corpore separatam suas cogitationes exercere. Probatur, nam anima rationalis ex se, ac suapte natura est intellectiva, ut supra demonstratum est: ergo hoc idem retinet in statu separationis à corpore: ergo in eo statu cognoscit: præcipue cum in statu unionis quamplures notiones rerum, seu species acquisiverit, illasque conservet; non est cur eas amittere debet. Præterea in statu separationis novas notiones, seu species accipere potest, vel à Deo illas infundente, vel ab ipsis obiectis: ergo certum est Animam separatam cognoscere, & intelligere.

Objiciunt tamen Alexander Aphrodites & Pomponius. Anima non potest intelligere nisi speculando phantasmatu: sed hoc locum non habet in statu separationis à corpore: ergo in hoc statu non potest intelligere. Sed respondeo negans majorem: si enim spe-

culando phantasmatu cognoscit, cur non etiam speculando obiecta cognosceret.

Affero 2. Anima separata perfectius intelligit, quam corpori unita. Ratio est, quia modus intelligendi independenter à corpore nobilior, ac perfectior est modo intelligendi dependenter ab ipso: atqui anima separata intelligit independenter à corpore; unita vero, dependenter ab ipso: ergo perfectius intelligit separata à corpore, quam eidem unita: Miram itaque claritatem habet anima separata in rebus cognoscendis, nec minus mirabilem celeritatem, ut ex unica unius obiecti notitia, unico veluti intuitu multa deducat, quæ non nisi notabilis temporis successu in statu unionis cum corpore posset deducere: modo nempe haud assimili, quo oculus unico intuitu columnæ capitellum, corpus, & basim, ordinem Doricum, aut Jonicum cernit, qui quidem intuitus discursus virtualis solet appellari: non tamen omnia hoc modo anima separata inveniuntur; in multis enim à notis ad ignota discurrit, eo scilicet quod per primam cognitionem prædicatum in subiecto contentum satis clare non videat.

## PROPOSITIO XXXII.

*Motus, & potentia motrix animæ rationalis explicantur.*

**P**otentia motrix Animæ rationalis, ejusque motus in dupli ejusdem animæ statu considerari possunt, nempe in statu unionis cum corpore, & in statu separationis ab ipso. Affero itaque Animam tum in statu unionis, tum in statu separationis, posse vi propria naturali se ipsum localiter mouere, tum, & alia corpora. Ratio est quia in statu unionis corpus moveat, & impellit à loco in locum, simulque se ipsum, licet

licet mediante corpore movet, ut experientia testatur: ergo etiam in statu separationis se ipsam, & alia corpora movere poterit: imo eo facilius, quo tunc à corporis, cui uniebatur sarcina, & impedimento est libera.

Sed objicies, si Anima hac virtute motrice polleret, sequeretur posse, cum vellet, è corpore exire; possetque etiam in statu unionis corpus cui unita est, incorruptibile reddere: quia scilicet anima contrario, ac prævalente nisu, posset omnem partium resolutionem, ac divisionem prohibere: ergo & posset corruptionem, ipsamque mortem, & dolorem, quæ in partium dissipatione, & continui divisione possita sunt, prohibere. Sed respondeo, negans sequelam, quia Anima ratione unionis cum corpore, est ab ipso in operando dependens; ita ut cum ipso unum totale, ac singulare principium constituat operationum: unde ratione unionis, præstatæ potentie motricis usus absolutus retstringitur: quare sicut nequit corpus ingredi, nisi sub certis dispositionibus, quæ ad obeundas vitæ operations sunt necessariae, ita neque potest ab eo discedere, quamdiu prædictæ dispositiones durant; idque ob rationes, quas cum de unione ageremus, diximus.

### PROPOSITIO XXXIII.

*Status separationis non est animæ rationali violentus.*

Probatur 1. Nam ille status est alicui violentus, in quo contra naturalem inclinationem ab aliqua vi extrinseca detinetur: atqui anima in statu separationis non detinetur ab aliqua vi extrinseca contra propriam ejus inclinationem: ergo, &c. Minor probatur, nam anima, utpote spiritualis, est suapte natura & ex se à

cor-

corpore independens, tum quoad esse, tum quoad operari: ergo non est cur dicatur illum statum esse contra propriam anima inclinationem. Et confirmatur, nam Anima humana informat corpus natura sua corruptibile, & aliquando corrumpendum: ergo potius naturale est animæ, quæ natura sua est immortalis, post corporis resolutionem manere superstitem.

Probatur 2. Ille status violentus non est, in quo aliquis quamplurimis gaudet privilegiis, quibus antea non gaudebat: atqui anima quamplurimis udet privilegiis in statu separationis à corpore, quibus antea non gaudebat: multò enim perfectius, perspicatius, ac promptius actiones spirituales exercet, quam cum erat corpori unita: ergo status separationis non est illi violentus.

Probatur 3. Si status separationis esset animæ violentus, anima desideraret reunionem cum corpore: sed hanc nequit desiderare: ergo, &c. Minor prob. Nam talis iterata unio est naturaliter impossibilis, hancque impossibilitatem anima cognoscit: ergo eam naturaliter non potest desiderare. Supposita tamen revelatio ne, eam desiderant Anima beatæ; aperte enim cognoscunt, reunionem illam comitandam esse dotibus gloriosis, & consequenter suas operationes nullatenus fore impediendas.

Objicies tamen, Anima est forma corporis, & pars ad hominem constituendum destinata: ergo habet naturalem vim informandi corpus, & per diversa illius organa quamplurimos actus tum sensitivos, tum vegetativos elicendi: sed extra corpus nequit ejusmodi officia exercere: ergo in statu separationis, hac saltu perfectione privatur: & consequenter est aliquo modo violenta. Respondeo negans ultimam consequentiam:

non

non enim privatio alicujus perfectionis est violenta, quando refarcitor per acquisitionem majoris perfectionis, ac nobilioris: in anima autem separata, licet operationes vegetandi, & sentiendi mediis organis deficiant, operationes verò intelligendi, cognoscendi, voluntarii, ac loco movendi multò melius in statu separationis ab anima exercentur: in corpore enim imperfectius operatur; separata verò multò perfectius. Utinam nunc ita operemur, ut post hujus mortalis vita cursum aternam felicitatem consequamur.

## LIBER II.

## DE ANGELIS, SEU INTELLIGENTIIS SEPARATIS COMPLETIS.

**H**AEC de Angelis pertractatio ad Theologos potissimum spectat: ideoque Theologia illam sibi merito vindicavit. Quoniam verò multa in ea occurunt, qua de Angelis lumine naturali inquire, ac perscrutari possunt, idcirco in praesenti experiri juvat, quid Philosophia sue ratiocinationis ductu de eorum essentia, existentia, ac miris operationibus assequi valeat. Dicuntur autem Angeli intelligentie completae, quia ad componendum totum aliquid naturale minimè ordinantur, quemadmodum anima rationalis, qua dici solet intelligentia incompleta, quatenus non nisi in corpore creature, ut una cum eo Hominem constituat.

CA-

## CAPUT I.

*De Angelorum existentia, natura, potentius, & operationibus.*

**A**NGELI, ut fides divina nos docet, alii boni sunt, alii mali: & tametsi utrisque Angelorum, aut Dæmonum nomen tribui queat, prout indiscriminatum tribuitur à Philosophis, & Poëtis præsertim veterioribus; usus tamen communis obtinuit, ut bonis Angelorum nomenclatura; malis verò Dæmonum nomen impertiatur. In praesenti autem capite, quæ Angelis, ac Dæmonibus communia sunt, tum & aliqua Angelis propria discutiemus; in sequenti verò quæ ad Dæmones peculiariter spectant, pertractabimus.

## PROPOSITIO I.

*Angelorum existentia stabilitur.*

**A**ngelos existere certa fide tenendum est. Probatur auctoritate Sacrae Scripturæ, quæ innumeris penè locis Angelos esse aperte testatur: tum & communis SS. Patrum, Theologorum, ac Philosophorum nostrorum sensu, qui omnes unanimi consensu Sacrae Scripturæ auctoritate suffulti Angelorum existentiam fatentur. Eandem non obscure testantur plerique ex antiquis Philosophis, ut videre est apud Eugubinum lib. 3. de Perenni Philos. à cap. 12. & lib. 8. per totum. Testamat etiam illam faciunt quamplurima Angelorum apparitiones, quæ in Scripturis Sacris, tum & à probatisimis Auctoribus reseruntur: ac præ-

Comp. Phil. Tom. V.

Bb

ser-

seritum Illustri illa Sancti Michaëlis Archangeli ad radices Gargani montis, Ecclesiae testimonio comprobatum. Non itaque licet de Angelorum existentia dubitare, præcipue cù in Concilio Lateranensi sit definitum.

Affero tamen hucusque Angelorum existentiam ratione naturali non esse demonstratam, nec facile posse solo naturæ lumine demonstrari: sequentes enim quæ communiter adducuntur demonstrationes, non paucas rimas agunt. 1. Volent aliqui eo ipso Angelos actu existere, quod possibiles sint. Sed quis non videt eos quæadmodū existere nō repugnat, ita neque repugnare eos nō existere: deberet ergo probare, eo quod possibiles sint, necessariò debere à Deo produci, quo nihil absurdius est enim Angelorum creatio liberrima Deo, & à mera ejus voluntate dependens.

2. Alii dicunt perfectionem Universi exigere Angelorum existentiam: cum enim dentur creature purè materiales; tum & Homo quoad corpus quidem materialis, & spiritualis quoad animam, maximè congrue videtur, non debere desicere creature purè spirituales, scilicet Angelos. Sed hoc argumentum ad summum topicum est, non demonstrativum, cum certum sit Mundum à Deo sine Angelis potuisse creari.

3. Alii recurrent ad ministerium Angelorum, quo hæc rerum universitas carere non potest. Sed nulla est ratio cur Deus præstare non possit immediate ea, quæ Angelorum ministerio præstare solet.

4. Recurrent alii ad cælestes motus. Sed cur hi motus Deo dumtaxat tribui non possunt? Imo cælestia corpora ab impetu innato sibi à Deo impresso moveri, alibi disimus.

5. Multò melius Angelorum existentia à posteriori, ut ajunt, probari videtur, nempe per effecta quædam,

dam, aut alia signa, quæ illorum presentiam testantur. Probant enim Angelos existere Abreptitii, seu Obsessi illi homines, qui cum rerum sint ignarissimi, ea saepius dicunt, quæ naturaliter scire non possunt, peregrino idiomate loquuntur, absentes patefaciunt, & quæ ab illis fiunt, aut patrantur, detegunt: in altum feruntur, quæ omnia cum corporeas vires excedant, ab Angelis fieri fatendum videtur. Verumtamen cuncta hæc ab Animabus separatis præstari posse, diceret non nemo: & si aliquis id pertinaciter affereret, convinci nullatenus posset. Hoc tamen verum existimo, eum qui animam immortalem admittit, Angelos quoque admittere non dubitaturum. Licet tamen hec, aliaque similes rationes Angelorum existentiam minimè demonstrent, simul tamen cum Auctoritatibus supradictis hominum doctissimorum, communique eorumdem consensu, ita eam perspicuum reddunt, ut ad ipsam barbaris etiam persuadendam sufficere videantur.

### PROPOSITIO II.

*Angelorum natura, & constitutio assignatur.*

**A**ngelos, ac Dæmones constare corporibus, non quidem crassis, sed aethereis, ac ita subtilibus, ut simul invisibilia sint, tenuit ex priscis Philosophis Plato: tum & plerique ex antiquis Theologis, & Patribus, ut refert P. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6. & P. Dionysius Petavius tom. 3. Theologicorum dogmat. lib. 1. cap. 1. Eos enim Pneumatos, seu Spiritus vocabulo nominabant, quemadmodum & Aërem, Ventum, aliaque subtilissima corpora, ob eorum subtilitatem Spiritus appellamus: non tamen putavere Angelos merum corpus esse, sed insuper aliud præstantius, ac mèrè spirituale continere dicebant; alioquin homi-

nibus longè deteriores esse censuerint, quod absit; illos enim medios inter Deum, & hominem statuerunt.

Alii tamen antiqui Patres cum universis Theologis, ac Philosophis, negant Angelos, ac Dæmones, aut corpora esse, aut corpore constare: & licet S. Bonavent. in 1. *Difst.* asserat ipsos constare ex materia, & forma, latè tamen sumit materiam in sensu metaphysico, pro quovis potentiali, quod alicujus mutationis sit principium: expresse enim ait corporeos non esse. Hæc autem sententia ita certa, ac constans est, ut opposita, licet non prorsus hæretica, hæreti tamè proxima censeatur, ob decretum Concilii Lateranensis cap. *Firmiter* quo definiri videtur illos meros spiritus esse: tum Scriptura Sacra eos sèpè spiritus, ac spirituales appellat: ut Apostolus ad Hebrewos 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratori spiritus?* tum Ephes. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem;* sed adversus Principes, & Potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum barum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Sic etiam Dæmones immundi spiritus sèpè nominantur. Omnino itaque asserendum est Angelos meros spiritus esse: sive definiri posse, substantias esse spirituales creatas completas, ut suprà diximus.

### PROPOSITIO III.

*Angeli in ipso Mundi initio; in Cælo sydereo fuerunt creati.*

1. **Q**uod ad tempus attinet, in quo fuerunt Angeli à Deo creati, nihil certum statui potest. Quamplures enim Patres Græci, & pauci ex Latinis tenuerunt ipsos ante omnia mundana corpora fuisse conditos ita S. Basilius *Hom. 1. in Hexabeh-* me-

meron, Nazianz. *Orat. 28. &c. 42.* Chrysostom. *tom. 1. hom. 2. p. 7. &c. tom. 6. p. 86.* Damascenus *lib. 2. c. 3.* Dionysius *lib. de Divin. Nomin. c. 5.* tum & Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Cassianus, Beda, & alii apud Petavium loc. cit. Non fuisse autem conditos ante corporeas creature, tenent plures è Latinis, & pauci ex Græcis, nempe Epiphanius, Theodorus Mopsuestenus, Theodoreetus, Basilius à Seleucia, Procopius Gauzenus, Augustinus, & alii.

Afferendum est 1. Angelos non fuisse creatos ab æterno. Concilium enim Lateranense cap. *Firmiter*, docet Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem, & corporalem. Afferendum est 2. Non fuisse creatos post Mundum conditum: etenim Job. cap. 14. dicitur Beheimoth, id est Diabolus, initium viarum Dei, scilicet secundum naturam: tum etiam quia Homini, qui sexto die fuit conditus, statim adfuit tentator Diabolus. Afferendum est 3. cum S. Thoma 1. p. q. 61. art. 3. Angelos simul cum Mundo corporeo fuisse conditos: & colligitur ex supradictis verbis Concilii Lateranensis, quibus asseritur, *simul ab initio temporis,* utramque de nihilo fuisse conditam creaturam, quod temporis simultatem aperte indicat: licet hoc non sit de fide, tum quia verba illa possunt aliter exponi: tum quia an Concilium id definire intendat, adhuc potest dubitari.

Quoad locum autem in quo Angeli creati fuerunt, nihil est in Scriptura aperte revelatum, aut in Concilii definitum, aut communī Patrum consensu traditum: unde varie sunt sententiae, ut videre est apud P. Suarez de Angelis lib. 1. cap. 4. Convenientius autem videatur asserere 1. Angelos creatos fuisse intra Universum tam-

tamquam ejus pars: & quidem in eo loco , qui proprie Cælum appellatur. Ratio est quia id satis insinuare videtur Scriptura : Isaæ 14. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer , qui mane oriebaris ? tum & Lucæ 10. Videbam Sathan , quasi fulgor è Cælo cadentem.* Item Apocal. 10. Angelos bonos cum malis in Cælo bellum gesisse describitur , eo nimirūm in quo fuere creati. Dubitatur adhuc in quo Cælo fuerunt creati. S. Thomas 1.p. q. 62. art.3. Vult in Cælo Empyreo esse conditos , quia nempe nobilissimas creatureas conveniens fuit in nobilissimo loco creari. P. Suarez loco citato, quem sequitur P. Schottus *Phys. curiosa lib. 1. cap. 3. §. 3.* vult in Cælo sydereo immediate infra Empyreum fuisse creatos: ratio est quia sic melius explicari videtur , quomodo mali de Cælo ceciderint : & tamen Lucifer dixerit Isaæ 14. *In Cælum conserendum , super astra Dei exaltabo Solium meum :* nempe ex sydereo Cælo in Empyreum quod superius est. Tum etiam quia inconveniens videtur, Cælum Empyreum , qui locus est gloriæ , in quem nihil coinquatum introibit , aliquando peccati in ipso commissi labile fuisse infectum. Hęcque sententia mihi videtur probabilior.

## PROPOSITIO IV.

*Quæ ad Angelorum numerum , & ordinem spectant exponuntur.*

Ingentem esse Angelorum numerum ex Sacris Litteris est manifestum: Nam Daniel. 5.v.10. asseritur: *Millia millium ministrabant ei , & decies millies cente- millia assistebant ei.* Apocalip. 5.v.11. *Erat numerus eorum millia millium.* Tum & Job. 25. *Nunquid est numerus militum ejus ? Quibus in locis incertus numerus , ac propemodum infinitus exprimitur.*

Hinc

Hinc Angelorum numerus determinatus à nobis assignari non potest: præcipue cum S. Dionyfius lib. de Cælesti Hierarchia cap. 14. Cyrillus , & alii , quos sequitur S. Thomas 1.p.q. 50. ar. 5. existimant Angelorum numerum esse innumerabilem.

Plerique tamen, ut aliquid statuant , numerum Angelorum cum hominum multitudine comparant , qui nempe hucusque fuerunt, nunc sunt, ac in futuris temporibus erunt, qui quidem numerus à nobis numerari potest, nullus est enim numerus rerum materialium de facto existentium, qui aliqualiter exprimi nequeat , ut de facto numeravit Archimedes numerum arenularum, quarum decem millia unum papaveris granum æquarent, qui repleret totum spatium mundanum usque ad firmamentum. De quo videatur P. Gaspar Schotus 3. part. Magie universi lib. 8. tum & in Physica curiosa lib. 1. c. 4. Hoc supposito , probabile esse tuentur , numerum Angelorum esse majorem numero omnium hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt. 1. Hac congruentia , quod nempe nobiliores creature superare debeant ignobiliores , aut mole , aut numero: sed Angeli nobiliores sunt hominibus: ergo , &c. Hac tamen ratio , quam imbellis sit, inde patet, quod si generaliter verum esset, creature nobiliores debere excedere numero, aut mole ignobiliores, plures, aut majores deberent esse gemmæ , & uniones, quam faxa, & lapides, & sic de aliis.

Probant 2. eandem assertionem. Verisimile non est Deum tam magnifica, ac propemodum immensa Cæli Empyrei spatia condidisse, ut ferè tota vacua remanerent: atqui id necessariò sequitur si Angelorum multitudo non sit hominum numero multò major: ergo , &c. Sed neque hæc ratio omnino convincit , non enim An-

ge-

geli more corporum loca occupant, cum incorporei sint. Melius tamen evincitur, quia cum probabilissimum sit, cuiilibet homini singularem Angelum Custodem à Deo fuisse concessum, ita ut qui uni fuit destinatus, alteri custodiendo non destinetur, clarè convinictrum longe majorem esse Angelorum numerum, quam hominum, cum ad id muneris illi assumentur qui in inferiori ordine continentur.

Inter Anglos ordinem quandam, & subordinacionem esse, communis sententia tener. Ingens enim eorum multitudo in tres Hierarchias distribuitur: Superiorum nempe, quam tres ordines scilicet Seraphim, Cherubim, & Throni constituant. Mediam, quæ Dominationes, Virtutes, & Potestates continet: & Inferiorem, quæ Principatus, Archangelos, & Angelos complectitur. Et prima quidem Hierarchia Deo proximiùs adest, & qui eam componunt Angeli, ejusdem iusta percipientes, inferioribus impertinentur, eosque certiores reddunt. Qui supremum in illa Hierarchia locum possident, Seraphim appellatur, charitatis scilicet ardore succensi: medius autem Hierarchie ordo est Cherubinorum, qui ita ab eminenti scientia, qua divina mysteria norunt, nominantur. Inferius in eadem ordo est Thronorum, qui veluti immobiles sedes, divina lumina recipiunt, totosque se Deo permittunt.

Secunda Hierarchia ordo primus Dominationes continet: hique spiritus rebus illis praesident, quæ sunt per inferiores agende, easque ordinando in Hominum regimine imperium exercerent. Virtutes secundum ordinem constituant: & ejusmodi spiritus ingenti constantia prædicta exequuntur. Sequuntur in tertio ordine Potestates, qui spiritus Dæmonibus obstant, &

com-

compescunt, ne in homines invehantur.

Tertia demum hierarchia tribus ordinibus etiam integratur. Principatus namque ad Principum, ac Prælatorum regimen destinantur. Archangeli ad Regnum, Provinciarum, ac Populorum tutelam: tandemque Angeli ad singularium personarum custodiam ordinantur, ac veluti nuntii inter Deum, & Homines constituantur. Patet itaque novem esse choros, seu ordines Angelorum in prædictas tres hierarchias distributi.

### PROPOSITIO V.

*Angeli suam extensionem habent, quemadmodum major, modo minor esse potest.*

**A**ngelos suam extensionem habere potest ex dictis hoc tract.lib.1.prop.3. Addo præterea cum P. Honor. Fabri posse Angelum ad libitum habere majorum, aut minorem extensionem, ita ut possit pro libitu se ipsum explicare, & contrahere: item hanc extensionem posse ipsum Angelum conjungere cum penetrabilitate actuali, aut cum impenetrabilitate: licet enim non sit necessariò, & essentialiter impenetrabilis; alioquin enim corpus esset: potest tamen ad libitum se reddere pro aliquo tractu majori, aut minori impenetrabilem. Ratio autem est, quia Angelus potest motui corporis resistere, ac resistend corpus motum reflectere: potest item diversimode corpora agitare, movere, ac projicere, quod non aliter efficere potest, quam se se reddendo impenetrabilem, seu extensem impenetrabiliter, ut postea patebit.

## PROPOSITIO VI.

*Quomodo Angelii sint in loco explicatur.*

**A**sso 1. Angelos verè esse in loco. Ratio est, quia Quidquid est, alicubi est: & quod nullibi est, non existit. Sed idem est esse alicubi, ac esse in aliquo loco, seu esse ubicatum: ergo Angelii verè sunt in loco. Asso 2. Angelos non esse formaliter in loco per applicationem virtutis, aut operationem. Ratio est 1. Quia operatio, aut applicatio virtutis supponit pro priori rei praesentiam in loco ubi operatur. 2. Quia quamvis Angelus nihil agat hic, nec agere velit; hic tamen est. 3. Quia ut Angelus absens, aut distans applicet virtutem, & operetur, accedere debet; idque non aliter quam per motum localem: sed hic motus supponit locum: est enim à loco in locum translatio: ergo, &c. Asso 3. Angelum esse in loco per suæ entitatis præsentiam, & ubicationem. Ratio est, quia cum sit in loco, idque non per operationem, aut applicationem suæ virtutis, certè erit per suæ entitatis præsentiam, & correspondentiam ad locum. Qualiter autem exponendus sit in Angelis locus intrinsecus, & extrinsecus, constat ex dictis tract. 2. lib. 3. à prop. 7. Cum enim Angeli suam extensionem habeant, licet penetrabilem, similiter servata proportione de eorumdem loco discurrendum est, ac de loco intrinseco, & extrinseco corporum.

## PROPOSITIO VII.

*Explicatur quomodo Angelii moveant, ac detineant corpora: & alios spiritus.*

**A**sso 1. Angelos corpora movere, aut eorumdem motum fistere, se se reddendo impenetra-

bi-

biles, quod pro libito posse ipsos efficere diximus suprà: sic enim alia corpora ad motum determinare poterunt, aut jam mota, ad quietem, ea impellendo, compescere, eo modo quo id à corporibus in corpora præstari diximus, cum de motu locali ageremus. Cum hac tamen differentia, quod nempè corpus aliud corpus movere nequit, nisi ipsum ab alio fuerit ad motum concitatum: non enim à corpore aliquo motus incipere potest, ut loco citato diximus, cum ob suam inertiam se ipsum movere non possit; Angelus vero, idemque dico de Anima rationali separata, potest & se ipsum movere, & corpora ad motum excitare.

Circa secundam nostrę conclusionis partem, supponendum est, ex Sacra Scriptura, Angelos posse alios spiritus movere: sic Luc. 16. dicitur Anima Lazari ab Angelis deportata in sinum Abrahæ: tum & posse alios spiritus detinere. Sic Tobie 8. Raphaël Angelus ligasse asseritur Dæmonem Asmodæum. Queritur autem nunc quomodo id fiat. Asso itaque modum quo unus Angelus alium movet, aut detinet, similem esse illi, quo nuper diximus corpora movere, aut detinere: ita scilicet ut Angelus superior inferiorem etiam invitum, determinet ad motum, aut hujus motum competeat, illum ad quietem determinando. Ratio autem est, quia Angelus quivis capax est motus passivi ab extrinseco suscipiendi, tum & quietis involuntarię: potest enim à Deo moveri, & detineri: ergo etiam erit capax recipiendi talem motum, ac determinationem ab alio Angelo perfectiore. Videatur P. Ignatius Dernensis disp. 4. de Angelis, cap. 3. §. 2.

## PROPOSITIO VIII.

*Quid Angeli, ac Daemones naturaliter cognoscere possint, determinatur.*

**A**spero 1. Angelos, ac Daemones non posse cognoscere occultas aliorum Angelorum, ac hominum cognitiones, ac volitiones, eas scilicet, quas nullo signo manifestant, sed apud se recondunt. Hæc est communis Patrum, & Theologorum opinio; & colligitur satis aperte ex Sacris Litteris, quæ multis in locis, tamquam peculiare hoc Deo concedunt, quod abditas cordium cogitationes, ac volitiones introspicit. Sic 3. Reg. cap. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Jerem. cap. 17. *Pravum est cor hominum, & inscrutabile, quis cognoscet illud: ergo Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et sic in aliis locis: si igitur nemo præter Deum novit abscondita hominum, multò minus Angelorum.

Tota autem difficultas stat in assignanda ratione hujus occultationis; non enim satisfacere videntur, quæ ab aliquibus Auctoribus adducuntur; quales sunt quod actus non sunt naturales, hoc est, non sunt necessarii, sed liberi: aut quod soli Deo, & elicienti subdantur: nec quod natura sua sint indiferentes; nec quod sint in profundo Animi; nec quod eorum non habeantur species; nec quod Deus degeat concursum ad illos eliciendos. Probabilior tamen ratio est, quam adfert P. Schottus *Phys. curiosa*, lib. 1. cap. 5. §. 1. ex P. Derkennis; quod nempè omnino conveniens sit, imò & necessarium ad vitandam confusionem, ut in societate invicem subordinata, ad quam intellectuialis natura ordinata est, possit quilibet sua consilia, & intentiones pro arbitrio alterum celare, aut manifesta-

re: & hæc quidem ratio in materia à sensibus nostris ita remota sufficere videtur.

Objicies contra nostram conclusionem ex Antonio le Grand part. 3. art. 3. sua *Philos.* Nam Angelus suas proprias cogitationes intuetur, tum & alienas, si accedit elicientis consensus: atqui subiecti idemptitas, aut alterius consensus cognoscitivam facultatem non adauget, neque potentiam magis obiecto proportionatam reddit: ergo Angelus cognoscit alienas cogitationes, invito etiam eliciente. Respondeo, eam vim datum esse Angelis, ac animæ humana, ut possint suas cogitationes, & volitiones aliis patefacere, aut absconde-re pro suo libito; ita exigente natura ipsorum, ut conueniens persitiat inter ejusmodi spirituales creaturas commedium: hinc mirum non esse quemlibet proprias, & alienas cum elientis consensu cognoscere; non verò eas, quas reconditas habere velit.

Quæres nunc an Angeli, & Daemones possint præcognoscere futura. Ad resolutionem suppono, quatuor esse futurorum genera, de quibus quæstio institui potest. Primi generis sunt, quæ à necessariis, eodemque modo se habentibus procedunt, quales sunt calestium corporum aspectus, luminarium eclipses, & alia hujusmodi. Secundi generis sunt, quæ naturales quidem causas habent; sed multas, ac varias, & quarum concursus potest ab aliis etiam necessariis causis impediti, cujusmodi sunt pluviae, tempestates, terremotus, &c. Tertiī generis sunt, quæ tota ex libera voluntate pendent, ut sunt homicidia, aliaque benè, aut male gesta. Quartī generis sunt mixta quedam ex necessario, ac libero, quorum efficiens causa est quidem libera hominum voluntas, cui accedunt aliqua externa inclinantia, ut sunt temperamenta corporum, aëris tem-

peries, & alia quæ non modicam habent vim ad commovendos, & afficiendos hominum animos; ut sunt bella, seditiones, privati cujusque mores, & similia.

Affero itaque 2. Effectus primi generis, eos scilicet, qui ex causa naturaliter in impedibili oriuntur, posse Angelos, & Dæmones certò præscire, dummodo Deus non impedit. Patet, quia prædicti effectus in suis causis sunt determinati. Sic de facto Astronomi caelestium motuum phænomena præscient.

Affero 3. Effectus secundi generis, qui nempe pendunt ex complexu multarum causarum necessiarum, absque interventione causa libere, possunt etiam ab Angelis, & Dæmonibus præsciri: possunt enim totum illud causarum complexum penetrare. Sic scire possunt futuras pluvias, copiam mæsium, aut penitriam, &c.

Affero 4. Effectus tertii generis, qui nempe proximè, vel remotè à causa libera dependent, non possunt Angelii certò præscire ex natura sua. Ratio est, quia hujusmodi effectus præsciri ab eis nequeunt, nec in causa, neque in se ipsis: ergo nullo modo: non in causa, quia hac cum sit voluntas libera, indifferens est ad effectus ponendos, vel non ponendos, ac proinde nullum effectum determinatè continet. Non in se ipsis, quia cum non existant, nequeunt movere, aut determinare intellectum ad illos cognoscendos: neque ex se, cum limitatus sit, ad eos cognoscendos est determinatus. De his itaque effectibus intelligenda sunt verba Isaia cap. 41. v. 22. *Annuntiate que ventura sunt, & sciemus, quia Dii estis vos.* Et alia similia, quæ in Scripturis reperiuntur. Dixi ex natura sua eos non posse cognoscere; illos enim agnoscere valent per di-

divinam revelationem.

Affero 5. Effectus quarti generis possunt Angeli, & Dæmones cognoscere conjecturaliter, sub aliqua probabilitate, aut verisimilitudine. Ratio est, quia possunt intimè perspicere hominis complexionem, atque ex hac naturam, propensionem, mores, & animi decreta externis aliquibus signis manifestata, & alia similia: ex his Dæmones futura prædicunt, sed fallibiliter: ideoque ut suam ignorantiam celent, sèpè verbis amphibologis utuntur: habent enim longam rerum experientiam, illaque ducti multa prædicunt, quorum plura, si Deus permittat, curant ut fiant.

### PROPOSITIO IX.

*An, & quomodo Angelii, ac Dæmones inter se loquantur, exponitur.*

Cum Angelica natura sit societatis capax, Angelos invicem alloqui posse necessum fuit: qualiter autem id fiat diversimodè explicatur; nihilque haecenù super hac re dictum est, quod multas difficultates non patiatur. Aliqui volunt prædictam locutionem fieri ope cuiusdam spiritualis qualitatis, quam Angelus per medium diffundat, ad instar soni. Sed contra, nam si qualitas illa spiritualis sit, qualiter in medio corporeo recipetur? Qualiter semel producta, non ab omnibus Angelis, aut saltem pluribus, invitò etiam loquente non perciperetur? Alii volunt, produci species à loquente in alterius Angelii mente: sed tales species jam suprà rejecimus. Deinde Angelus loquens, ut eas produceret, immediatus deberet esse illi, cui loqueretur: ergo procul distantem alloqui non posset.

Alii tenent, locutionem Angelicam sitam esse in

volitione, qua unus Angelus vult tale, vel tale obiectum alteri innoscere; quatenus nempè hæc volitio admittit impedimentum secreti; Deumque moveret ad imprimendam speciem talis obiecti alteri Angelo. Sed contra, nam hoc est reddere Deum nuntium conceptuum Angeli loquentis. 2. Juxta hanc sententiam Angelus non loquitur, sed vult loqui: hoc est, non manifestat mentem suam, sed vult manifestare: immo solus Deus verè loqueretur, & mentem unius Angeli manifestaret alteri, essetque ad instar interpretis. 3. Locutio inter res creatas est actio respectiva, & transiens, non enim in loquente sicut: ergo non est volitio, quæ est actio immanens. Alias opiniones omitto, quæ similia inconvenientia patiuntur.

Mihi itaque probabilior videtur opinio P. Honor. Fabri *Summe Theol. tract. 2. cap. 4.* Supponit 1. Angelum loquentem ea tantum manifestare, quæ ipse scit, atque adeò in omni locutione actum intellectus intervenire: tum ea solum manifestare, quæ manifestare vult, ideoque etiam intervenire actum voluntatis, actum nempè, quo vult manifestare, & consequenter qui imperat actionem illam externam, qua ea quæ scit, manifestet. Supponit 2. Angelum probè intelligere ea, quæ ab homine dicuntur, itemque callere nostra idiomata; nec tantum intelligere ea, quæ homines dicunt; verùm etiam ea dicere, qua audimus cum nos alloquitor. Quemadmodum itaque Angelus nos alloquitur, per emissionem, & fractionem vocis, ita & alium Angelum alloqui potest: si enim Angelus me loquentem audit, cur alium Angelum simili modo loquentem non audiet? igitur certum appareat hunc locutionis modum Angelis posse competere: igitur cum nullus aliud conaturalior esse possit, nec qui hanc rem satis explicit, non

LIBER II. CAPUT I. 401  
non est cur de alio inquirendo laboremus, cum iste sufficere possit.

Insuper præter illa signa ad placitum, hoc est, varia idiomata, quibus homines utuntur, non est dubium quin alia quamplurima sint, qua Angelii ad conceptus suos exprimendos adhibere soleant. Certum est enim particulas tenuissimas medii ita ab Angelo moveri posse, ut omnes articulationes, ac sonos exprimat, idque multò perfectiori modo, quam ille, quas organi corporei operè diffundimus; dummodo enim Angelus se se impenetrabilem reddat, nullus re vera est motus, quem aëri non imprimat, nullavè modificatio, quam non inducat: Angelus tamen audiens impenetrabilem se se reddere oportet, ut particularum illarum illapsu afficiatur, & loquentem percipiat: in tantum enim quis alteri loquitur, in quantum alteri hanc affectionem significativam imprimat. Habent igitur Angelii sua idiomata, tum communia, tum privata; cum nempè ita invicem consentiunt, ac convenient: hinc Apostolus non modo linguarum hominum membrin; verùm etiam Angelorum, id est, idiomatum: nec in hoc ulla appetat difficultas.

Hinc vides Angelum non necessario, ut nos facimus; sed si velit, per has, vel illas lineas suas voces, hoc est, particulas illas medii, seu aëris, tali modificatione diffundere posse, idque in notabili, ac ingenti dilatantia: analogiam habes in tubo acustico: hinc unum è pluribus alloqui potest, nihil audientibus, seu potius intelligentibus cæteris, quia nempè suam vocem ad unum tantum dirigit: igitur alios non afficit; aut etiam quia singulari idiomate loquitur, quod tantum utriusnotum est; ita ut licet adstantes audiant, non tamen capiant. Sed dices. Quid nî si Angelus, qui au-

dire debet, non redditus sit impenetrabilis? Quomodo eum monebit Angelus, qui eum alloqui vult, cum haec admonitio etiam per locutionem fieri debeat: qualiter, inquam, ipsum excitabit, ut impenetrabilis reddatur: juxta hanc enim doctrinam Angelus manens penetrabilis, neque loqui, neque audire potest. Respondetur tamen Angelum superiorum inferiorem, etiam invitum, afficere posse, quatenus cogit, seu jubet fieri impenetrabilem; non tamen inferiorem ad id superiorum inducere potest, nisi volentem; nec par parem nisi ex pacto: præfata autem iunctionem, seu excitationem agnoscere potest Angelus in ipso motu particularum mediis. Ex his patet: quam recte musici concentus Angelis tribuantur: omne enim sonorum genus, & harmonia species exprimere præfato modo possunt. Hinc etiam facilè exponitur, quomodo unus Angelus alterum docere, & hic ab illo discere valeat; quo recte explicatur illuminatio Angelica, qua nempè superior inferiorem illuminare dicitur, juxta S. Dionysium. Vides quam perspicuè in hac hypothesi hęc explicitur.

## PROPOSITIO X.

*Explicatur qualiter Angelii, ac Dæmones apparere hominibus possunt, audiri, tangi, &c.*

**A**ngelos, ac Dæmones sèpè hominibus apparuisse in variis hominum, & animalium formis, illisque locutos, aliosque similes operationes exercuisse, constat ex Sacra Scriptura, ac probatis historiis. Sic Genet. 3. Dæmon sub specie serpentis apparuit Evæ, & locutus est. Et cap. 17. tres Angeli sub trium viorum specie Abrahæ apparuerunt. Et cap. 19. duo Angeli Sodomam venerunt specie peregrinorum. Et cap. 32. Angelas in forma viri luctatus est cum Jacob. Raphaël

item in figura juvenis Tobie apparuit, ipsumque comitatus est. Gabriel etiam B. Mariæ Virgini locutus est: Dæmon Christo in deserto: Angeli mulieribus illis, quas de Domini resurrectione instruxerunt. Alia insuper innumera penè omitto. Dubium enim solam est, qualiter prædicta ab Angelis efficiantur.

Affero id tribus modis perpetrare posse: vel in corporibus assumptis, ipsisque mediantibus immutando sensus: vel per se ipsos immediatè afficiendo sensus externos; vel etiam absque horum affectione, immutando sensorium commune. Singula breviter exponam. 1. Possunt Angelii, & Dæmones ex aëre, aut vaporigibus formare sibi corpora, facile solubilia, ita ut colores, figuram, duritatem, &c. extrinsecus referant, similes eis, quas homo, aut animal aliquod habet: quo quidem facto eodem modo retinam feriant, aut auris tympanum afficiant, quo ab illo homine, seu animali afficeretur: sicque eadem in sensorio communi resulteret affectio, quæ à predicto homine, aut animali induci poterat. 2. Has easdem affectiones potest Angelus, aut Dæmon per se immediate præstare mediante motu in organis sensuum exteriorum, eundemque effectum producere, ac si homo, aut animal præfens adesset: inde enim eodem modo sensus communis immutaretur, & eandem sensationem efficeret. 3. Absque immutatione sensus externi possunt Angeli prædictas affectiones in sensu communi efficere, quæ ab obiectis predictis efficerentur. Et hoc tertio modo visiones, quæ imaginari dicuntur contingere satis patet. Ex tribus autem modis frequentiores esse secundum, & tertium existimo: indeque colligitur, quod nempè, qui tales apparitiones experientur, etiam clausis oculis, obiecta illa repræsentata videant, etiam inviti.

## C A P U T II.

*De Dæmonibus.*

**D**ÆMONES appellamus communiter Angelos malos, quos *Diabolos* appellamus, tum & spiritus immundos, ac rebelles: hi enim non diu post illorum creationem ob superbiam scelus in Cælo sydereo perpetratum, inde ejecti, penitus aeternis in inferno iuendis fuere destinati. Rebellum autem Angelorum Princeps, qui nempè exemplo, & hortatu magnam Angelorum partem in ruinam pertraxit, Lucifer communiter nominatur.

Dæmones post admissum peccatum, non statim ad infernum, locum nempè in medio Terra situm, fuisse precipitatos, multorum fuit antiquorum opinio, ut videre est apud Petavium lib.3.de Angelis, cap.4. qui asserabant alios in aëre, alios in æthere, in aqua, & cavernis Terræ degere. Afferendum tamen videtur Angelos statim à lapsu detruitos in infernum. Id non obscurè innuit S.Petrus in Epist. can.2.cap.2.v.4. dicens: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detraetos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Item S. Judas in Epist. can. cap.6. Angelos verò, qui non servaverunt principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit. Licet autem statim à lapsu fuerint ad infernum detruisi; non tamen omnes ita ibidem detinuntur, quin sepissime inde egrediantur, & in aëre, aliisque

que non procul locis inhabitent. Ita innuit S. Paulus ad Ephes. cap.2. ubi Diabolum vocat Principem potestatis aëris bujus, cui nempè Dæmones in aëre degentes obsequantur. Et ibidem cap. 6. v. 12. ait non esse nobis colluctationem adversus carnem, & sanguinem, &c. Sed contra spiritualia nequitia in cœlestibus, hoc est in aëre, ut S. Hieronymus exponit. Hoc etiam patet ex Luca cap.8.v.31. Dæmones enim, cum se videbent ex obsessis corporibus à Christo exturbari, rogarerunt illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent, hoc est in infernum. Tum experimenta testantur: videmus enim hominum corpora, ac jumentorum à Dæmonibus invadi, & occupari. Probabile tamen est, non omnes ab initio fuisse ad infernum detrusos, sed tantum illos, quorum nequitia fuit major. Probabile item est, Dæmones vicissim mutare sedes, ita ut qui in infernis sint, illinc emittantur; & qui in aëre, aut Terra degunt, illuc penetrent, sicque ultrò citroque commearē soleant.

Hinc Dæmonum plerique in aëre degunt, qui aëra Deo permittente, sepiùs turbant, tonitrua, & tempestates concitant: alii verò in Terra, Terræque cavernis, præcipue ubi metallæ effoduntur: alii in aquis, montibus, &c. De quo videri potest P. Kirker in *Mundo subter.* & P. Gaspar Schottus *Phyſ. curioſe,* lib.1.cap.12. & 37. & alii plures.

## PROPOSITIO XII.

*Inter Dæmones aliqua est Reipublicæ forma.*

**L**icit in misera illa tenebrarum regione nullus sit ordo, sed horror sempiternus; tamen quamdiu Dæmones in hoc aëre, locisque vicinis versari, & aliqua circa homines ministeria exercere permittuntur,

opus fuit ut aliquem ordinem in eis observarent, formamque reipublicæ retinerent: hicque est communis Auctorum consensus: quod satis aperte colligitur ex verbis Christi Domini ad Judeos objicientes, ipsum in Beelzebub Dæmoniorum principe Dæmonia ejicere, quibus statim reposuit: *Si Sathanas in se divisus est, quomodo stabit Regnum ejus.* Dubium itaque in eo stat, in quo nimis mutuū hujus dominii ac subiectionis ratio consistat. S.Thomas 1. part. quest. 109. art. 2. censet fundari in ipsa perfectione naturæ, cui pari proportione illa moralis potestas commensuratur. Sed hoc non videtur posse subsistere: nulla est enim connexio perfectionis naturæ cum illa potestate morali, nisi quando unum ab alio procedit, aut conservatur, aut unum sit alteri regula moris, quod in Angelis malis non reperitur. Aliter quilibet Angelus esset cui libet Homini naturaliter superior, cui hic obedire teneretur.

Affero itaque cum P. Schotto loco suprà citato, Anton. le Grand, & aliis: omnem illam formam Reipublicæ, quæ est inter Dæmones ab ipsissimis proficiens, mutuoque consensu fuisse stabilitam. Quia licet Dæmones superbissimi sint, & eorum quilibet principatum exambiat, nihilominus suo erga Deum odio, & erga homines invidia, eo ducti sunt ut subordinacionem illam amplectantur tamquam maximè conducendum, ut suum contra Deum bellum efficacius promoveant, animas perdant, ac honores Christo Domino debitas ad Luciferum transferant: ideoque hunc potius inter ceteros in Principem elegerunt, quia primæ rebellionis dux fuit; & quia naturæ eminentia precellit. Principatu Luciferi hoc modo constituto, prælationis ordo inter ceteros Dæmones, dubio procul ab ipso

ipso summo Principe descendit, qui alias aliis preferat, prout vel dignitate naturæ eminebant, vel potiores fuerunt in rebellionis principio. Qui verò sit inter Dæmones institutus ordo, incertum est: de quo inter alios varia dicit Cornelius Agrippa lib.3. *Philosophia occulta*, cap. 18. id tamen multis placet, singulis hominibus attributum esse Dæmonem tentatorem, ut sic magis emulentur forniam regiminis divini, qui singulis tutelarem Angelum designavit, ut singulos custodiat, & in via Domini dirigat.

## PROPOSITIO XIII.

*Aliquæ questiones circa Demonum potentiam resolvuntur.*

**Q**uæritur I. *Quibus modis Dæmones mira aliqua opera efficiant.* Resp. Ea frequenter ope motus localis efficere, simulque applicando activa passivis. Sic possunt ignem à superiori aëris parte in terram dejicere: possunt enim sulphureas, nitratasque materias in aëre conjungere, accendere, ac in Terram dejicere. Similiter possunt aërem in ventos ingentes concitare; tempestates, ac procellas mouere: possunt similiter horrendos causare terræmotus, materias illas, quæ naturaliter eos inducunt intra Terræ viscera congregando, easque accendendo: possunt subito res praesentes ex hominum conspectu subtrahere, atque ita reddere invisibilis: possunt efficere ut statua, vel aliae res inanimatae ambulent, ac loqui videantur more hominum, ipso nempè Dæmoni formante in aëre vocis sonos: possunt effingere, ac representare figuræ quarumlibet rerum, modo quo suprà diximus: possunt sensus internos ita immutare, ut res aliquas vel præteritas, vel absentes, aut etiam futuras representent:

possunt humores corporis mouere, ac turbare: tum & partium compages distrahere, siveque gravissimos dolores, & morbos inducere: possunt similiter varias affectiones amoris, odii, irae, timoris, aliasque passiones excitare: multaque alia possunt Dæmones efficiere; si Deus permittat, sine Dei enim permissione nihil possint.

Quæres 2. *An sint Dæmones incubi, & succubi.* Dæmones incubi appellantur, qui sub specie virili supervenientes incubant feminis; succubi vero, qui sub muliebri figura subcubant viris. Duo itaque sunt circa hanc questionem sententiae: negativam tenent non pauci; affirmativam tamen tuentur tam multi, & graves Auctores, ut sine pertinacia nota ab illa discedere non posse videatur: eamque tenet S. Thomas in 2. dist. 8. & 1. part. quæst. 51. art. 3. & 2. 2. quæst. 96. art. 3. Ratio autem est, quia possunt Dæmones defunctorum corpora assumere, & alia efformare ex aere, aliisque elementis, ac mixtis, eaque ad carnis similitudinem palpabilia exhibere: tum pro libitu ea movere, & calefacere, tum & sexum, quem natura non habent, artificiosè exhibere; siveque viris specie feminina, feminis specie virili abuti. Possunt insuper aliunde acceptum verum semen adferre, ejusque naturalem emissionem imitari: ergo possunt officia incubi, & succubi exercere. Ubi advertendum est cum Delrio *Disquis. Magic.* quæst. 15. posse Dæmonem incubum, si semen virile aliunde acceptum, mulieri infundat, prolem generare: hæc autem si nasceretur, Patrem haberet, non quidem Dæmonem, sed hominem illum, cuius semine Dæmon fuisset abusus: homo enim ille esset, qui ex propria substantia alteri daret esse.

Quæ-

Quæres 3. *An Dæmones transferant Sagas, & Magos ad nocturnos conventus.* Duæ sunt in hac re sententiae, & pro utraque multi militant Auctores. Prima negat Sagas, ac Magos unquam verè, & corporaliter transferri; sed solum animi cogitatione, aut per somnum, ac Diaboli illusionem. Verior tamen est secunda sententia, quæ asserit, nonnumquam falem Sagas, & Magos verè transferri corporaliter à Dæmoni ad suos nefarios conventus: Hanc sententiam sequuntur Patres Orthodoxi, & communiter Theologi, ut vide-re est apud Delrio lib. 2. *Disquis. Mag.* q. 16. & Schot-tum in *Phys. curiosa* l. 1. c. 23. qui quamplures adfert ex probatis Auctoribus historias id convincingentes.

Quæres 4. *Quid censendum sit de Virunculis, seu fæmellis, qui nempe pignorum, vel pumilionum specie, in aliquibus domibus habitare dicuntur.* Solent hi, ut communiter fertur, domestica ferè omnia ministeria obire, scilicet equos curare, verrere domum, ligna, & aquam adferre, aliaque similia facere. Hos itaque non Dæmones esse, sed homunciones quodam, medium quid inter bruta, & homines, aliqui opinaveri; dicuntque animantium genus sub humana tamen specie constituere, qui occultis communiter latitant locis; quandoque vero hominum aspectibus se se offerrunt. Afferendum tamen est Lemures hujusmodi, seu virunculos veros, & incorporeos Dæmones esse, ex eorum scilicet genere, qui aërem, & loca præsertim subterranea Dei ordinatione inhabitant, in hominum peritatem intentos: licet enim quandoque benigni, ac benefici se monstrant, non alio fine id faciunt, nisi ut gravius suo tempore, si Deus permisserit, noceant, ut diversæ testantur historiæ.

PRO:

## PROPOSITIO XIV.

*Spectra sapè sunt Dæmones, aliquoties etiam An-geli boni; tum & sapè Animæ defun-torum.*

**S**pectrorum nomine in praesenti intelligimus simula-chra quædam, ac variarum formarum imagines, quæ vel noctu, seu interdiu se se hominibus vigilanti-bus, ac integra imaginatione, sensibusque fruentibus offerri dicuntur. Spectra autem verè aliquoties vide-ri, & audiri ab hominibus, quamplurimè testantur hi-story ab approbatis Auctoribus cōscriptæ, ut videre est apud P. Schott. in *Phys. curios. lib. 2.* Licet autem verum sit quotidie spectra videri; non minus tamen verum est, multos sapè falli, & pro spectris habere, quæ talia re vera non sunt, quod provenire potest vel ex phrenesi, magnaque tristitia, vel ex ebrietate, ap-prehensione falsa, tum ex ignorantia causarum natura-lium, & artificialium: sic plerique ignem illum, quem Metheorologici fatuum appellant, spectrum putant. Quid itaque de veris spectris dicenda occurunt, bre-viter expono.

Spectra sapè esse Dæmones, constat ex dictis: qui Deo permittente, hominibus apparent, & humanis re-bus intersunt, immites, tetrici, & truculenti, quod sa-nè ab eorumdem operationibus colligitur. Quod verò aliquando etiam boni Angeli spectrorum officium ger-ant, vel ut homines à peccandi periculis avertant, vel ob alios fines, non est improbabile, ut aliquæ testantur historiæ.

Utrum verò Animæ defunctorum viventibus appar-ent, illosque terreat, affligant, & ad aliquid obti-nendum rogent est nunc disquirendum. Id absolute

ne-

negant aliqui, dicens, ea quæ de Animarum appari-tionibus dicuntur, fabulosa esse, aut latae imaginatio-nis effectus, aut delirarum anuum somnia. Cæterum licet non omnia, quæ de his spectris narrantur, incon-sultò probanda sint. Assero tamen Animas defunctorum viventibus apparere posse, & solere.

Probatur, nam hęc fuit antiquorum Gentilium per-suasio, animas nempe defunctorum ad homines subin-de redire, seque spectandas, & audiendas præbere; ita Plato in Phædron, seu in Dialogo de Anima, quem sequuti sunt Platonici, Porphyrius, Athenæus, Ma-ximus, Tyrius, Phylostratus, Eunopius, & alii, in-ter quos Apulejus, & Virgiliius lib. 2. *Eneid.* ita ca-pens.

*Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Cerusa-visa mibi ante oculos, & nota major imago.*

Hoc idem persuasum fuit Judeis, Chaldeis, & Mahu-metanis, ut videre est apud Delirium lib. 2. *Disquis. Magie*, q. 26. sec. 4. Idem etiam tenuere Ecclesiæ Pa-tres, Theologi, aliquę viri doctissimi, ut probat P. Schotus *Phis. curios. lib. 2. c. 20. 21.* & 22. ubi varias adducit historias fide dignas, in quibus patet tum ani-mas in Purgatorio detentas, tum quæ in Cælo cum Christo regnant: tum etiam & animas damnatorum sapè hominibus apparuisse.

Id autem notandum est, spiritus, qui homines ter-rent, & loca reddunt infesta, potissimum esse spiritus malos, Dæmones scilicet. Quod verò ad humanos spi-ritus attinet, credibilius est raro damnatorū hominum spiritus interesse viventium rebus, & molestias excita-re; sapientius autem esse animas eorum, qui in Purgato-rio detinentur. Ratio est quia damnatorum animæ sponte sua inferno excedere nequeunt, utpote non mi-nus,

nus, quam Dæmones ob commissa scelera illi carceri à Deo sunt mancipatae : neque causa satis efficax apparet, cur Deus permittat damnatorum animas inde excedere, cum per Dæmones efficere queat Deus, quod per illas vellet : cum itaque sapientia defunctorum animæ apparere soleant, ut supra diximus; sequitur frequenter animas Purgatorii; raro vero damnatas hominibus apparere.

## PROPOSITIO XV.

*Que ad Energumenos spectant, explicantur.*

**V**Ox Energumenus idem sonat, ac à Dæmonie vexatus, seu correptus. Ac pro ipsa Latini Scriptores sapienter usurpant nomen *Dæmontaci*, & *Arreptiti*. Prædicta autem à Dæmons correptio, seu Energimenus est vexatio homini à Diabolo immediatè illata, localter in ejus corpore existente, & operante, illuquaque ad tempus subigente. Quod si Diabolus intra hominis corpus existat, *Possessio* dicitur; si vero extra, *obsessio*, aut *Incessio* solet appellari. Ut itaque quis dicatur Energumenus, Obsessus, Incessus, Possessus, Arreptitus, aut Dæmoniacus requiritur 1. Ut in illo Diabolus personaliter, ut ita dicam, & habitualiter existat; hoc est, in propria persona immediate, & localiter. 2. Ut corpus illud ad tempus subigat cum potestate in ipsum, ac per ipsum operandi; non quidem ut forma in subjectum; sed ut motor in mobile ipsum movendo, torquendo, aliasque operationes exercendo. Hinc patet, non sufficere, ut quis Energumenus dicatur, Diabolum ad eum vexandum, movendum, aut torquendum habere potestatem sed requiri utrumque quod diximus. Hinc neque Christus Dominus, cum à Diabolo supra pinnaculum Templi, & in excel-

sum

sum montem fuit translatus Matth. 4, neque S. Job, Antonius, aliquique quamplures Sancti, dici posse Energumenos. Exposita itaque nominis etymologia, breviter aliqua circa Energumenos discutiamus.

Quæritur 1. An re vera aliqui sint Energumeni. Respondeo affirmativè contra aliquos aut impios Atheos, aut nasutos Philosophos, qui ea quæ Energumenis contingunt, ad morbos quosdam naturales revocanda censebant. Probatur tamen nostra resolutio 1. Exemplo Energumenorum à Christo Domino sanctorum, ut confit. Matth. 8.v.16, Marc. 1.v.32, tum c.5.v.11. Matth. 9.v.32, & c.12.v.22, Luc. 11. v.13. & aliis in locis Evangelicæ historiae. 2. Exemplo Energumenorum, qui ab Apostolis referuntur sanati. Certum enim est Christum dedisse Apostolis, aliiisque Discipulis potestatem ejiciendi Dæmonia, & de facto ipsa ejecisse, Luc.c.10.v.17. Actor. c.5.v.16. & c.8.v.7. Præterea confirmatur innumeris exemplis à variis Scriptoribus adductis, quæ absque temeritatis nota negari non possunt. Accedit consensus Patrum, Conciliorum, Theologorum, aiorumque, qui integros tractatus de hoc arguento scripserunt.

Probatur 3. ex effectibus, quos hi, quos Energumenos dicimus, edere solent, qui non nisi ad Dæmones in illis existentes, & agentes possunt reduci, cuiusmodi sunt sermo linguaæ antea ab ipsis penitus ignota, revelatione rerum antea incognitarum, tum & absentium, & occultarum, motio ac translatio ingentium ponderum, elevatio in aëre, aliquique similes; qui certè efficiuntur, cum humanis viribus, industria, aut arti adscribi non possint, necesse est ut ad altiorem causam revo- centur: sed hæc non est Deus, nec Angeli boni, cum sapientia effectibus illis mendacia, blasphemiae in Deum,

con-

contumelij, aliaque similia misceantur: ergo sunt spiritus nequam, seu Dæmones.

Quæres 2. Qui Dæmones, & quos obsideant homines. Resp. 1. Omnia ordinum Dæmones obsidere homines. Licet enim inter Dæmones sit Reipublicæ forma, aliique aliis superioribus, ac potentioribus, ut supra diximus: probabilius esse videtur, Deo sic permittente, ex omnibus ordinibus Dæmones hominum corpora possidere. Imo nec unus solus, sed plures, eundem hominem invadunt, imo & integra legio, ut constat Luc. 8. Respondeo 2. Deo permittente, Dæmonem invadere homines cujuscumque conditionis, sexus, ætatis: Justos, injustos: Fideles, & infideles, ut constat exemplis adlati à Scriptura Sacra, & Scriptoribus cum Ecclesiasticis, tum Profanis.

Quæres 3. Quam potestatem exercant potissimum Dæmones in homines possessos. Respond. 1. In animam nullam, aut valde exiguum exercere potestatem. Ratio est quia eam nequeunt privare viribus suis naturalibus; possunt tamen earum expeditum usum enervare, obfuscare intellectum, inclinare voluntatem ad malum, libertatis usum indirecte hebetare, aliaque similia mala inferre: nequeunt tamen animas privare fidei, spe, & charitate, nec virtutibus aliis infusis; nec ad peccatum cogere, aut etiam invitatos pertrahere: Neque omnem potestatem quam habent Dæmones, possunt in homines exercere; sed limitatam tamen, quam nempe Deus permisit.

Respondeo 2. In corpora obsecorum, crudelem suam potestatem, Deo permittente, potissimum exercere Dæmones: sic aliquos variis, & occultis cruciant morbis, omnem Medicorum artem eludentibus: nonnullos sensibus, aut sensuum usu privant: non-

num-

numquam naturalem hominis formam ita deturant, ut potius monstra, quam homines appareant: alios ita viribus desituunt, ut se loco movere nequeant: alios in globum contrahunt, alios in longum distrahunt, ac in omnes partes torquent: quosdam in ignem, quosdam in aquam præcipitant. Lingua etiam Energumenorum non raro Dæmones abutuntur, eaque horrendas vomunt blasphemias, convicia, calumnias, detractiones, &c. Abutuntur & gutture, sive fribilant ut Serpentes, rugunt ut Leones, &c. Innumeræ tandem sunt mala, quibus, Deo permittente, infensus iste inhabitator, eos quos semel invisit, excruciat.

Quæres 4. An Dæmones rebus corporeis pelli possint, maximè ex Energumenis. Et quidem pelli posse oratione, ac jejunio, alisque piis operibus: tum & exorcismis ab Ecclesia institutis, certissimum est: quarimus tamen nunc, an etiam rebus corporeis, & sensibiliibus possint expelli.

Affero 1. Nullam rem sensibilem, & corpoream, adeoque nec herbas, radices, lapides, odores, suffitus, & similia, habere vim physicam, & naturalem directe, & per se Dæmones compellendi, vel ut appareant, vel ut fugiant; accedant, recedant, aut ut aliquid faciant, vel facere desinant: ita sentiunt communiter Autores cum S. Thoma in 4. dist. 7. art. ult. Idem censent Abulensis, Delrio, Theophilus Rainaudus in Phil. nat. dist. 2. art. 2. n. 53. & alii quamplures apud Schottum Phys. curiosa lib. 2. c. 40. Ratio est, quia potestas inferior, ac minor qualis est qua in rebus corporeis reputatur, si comparetur cum Angelis, ac Dæmonibus, non potest naturaliter, directe, & per se physicè cogere, ac sibi subiungere potestatem superiorē, & majorem, qualis est Dæmonum; præcipue cum tanta sit inter res

cor-

Affero 2. Aliquas res corporeas, ac sensibiles habe-  
re vim naturalem alliciendi , arcendi , ac pellendi in-  
directe Dæmones hominem , aut alia infestantes. Ex-  
plicatur simul , & probatur. Sicut enim Dæmones ob-  
servant hominum temperiem , ac complexionem , tam  
naturalem , quam adscititiam , ex ciborum nempe ,  
aliarumque rerum usu , aut abstinentia , tum extraor-  
dinarias humorum commotiones , præsertim ex atra-  
bile , & sanguinis copia procedentes , & stante illa tem-  
perie , aut intemperie hominem tentant ; & illa cessan-  
te , cessant : ita prædictis stantiibus accedunt , ac ve-  
xant ; & ipsis recedentibus cessant divexare , accedere ,  
&c. ut experientia testatur. Cum igitur plerique res  
corporeæ , præsertim herbae , radices , odores , suffitus ,  
& similia , humores hominum diversimodè cieant , aut  
temperet , sequitur ut his applicatis , Damones quoque  
accendant , &c. Quod est res prædictas habere indirecte  
vim naturalem alliciendi , arcendi , ac pellendi Dæ-  
mones. Hicque etiam est communis Auctorum sen-  
sus.

Sed objicies 1. Dæmones rebus corporeis , & sensibi-  
libus alliciuntur: ergo & rebus sensibilibus pelli possunt.  
Anteced. probatur : nam gaudent nidoribus sacrificio-  
rum Gentilium , ipsisque attrahuntur. Tum aliqui  
Dæmones locis humentibus delectantur : alii locis de-  
fertis , & sylvis , &c. Respond. negans anteced. Dæ-  
mones enim non nidoribus sacrificiorum delectantur,  
cum spiritus sint ; sed rebus illis quasi signis , quæ ca-  
dunt in injuriam Dei , & honorem ipsorum Dæmo-  
num , & hominum detrimentum : peccatum itaque  
amant , non nidorem. Nec Dæmones in locis humen-  
ti-

Objicies 2. Multæ sunt herbæ , ac radices , quæ vim  
habent ad Dæmones arcendos , quæ ab aliquibus Au-  
ctoribus adducuntur : ergo , &c. Sed respondeo , si  
prædictæ res aliiquid in Dæmones possint , id non di-  
recte , & per se , sed indirecte , & per accidens efficere ,  
quatenus nempe humores corporum obsessorum mo-  
vent , aut sedant , aut dissipant , quibus Dæmones in  
suis invasionibus utebantur. Eodemque modo potuit  
sonus Cythara à Saneto Davide pulsata , Saulis spiri-  
tum malum frænare , ac cohibere.

Objicies 3. Cor piscis , de quo in historia Tobiae , in  
sumum resolutum Dæmones abigere valebat : sic enim  
Tobie interroganti respondit Angelus : *Cordis ejus par-  
ticulam , si super carbones ponas , fumus ejus ex-  
tricat omne genus Dæmoniorum , sive à viro , sive à  
muliere , ita ultra non accedat ad eos : ergo , &c.* Sed  
respondeo cum P. Schotto loco supra citato , prædi-  
ctum sumum nullam vim physicam , etiam supernatura-  
lem , habuisse infiditam ad illum effectum ; sed solum  
vim moralem , quatenus nempe , illo excitato Angelus  
Dæmon abegit , ut ait Celada in cap. 6. *Tobiae , §. 233.  
affert. ult.* Ratio autem est , quia si virtute physica fuisset  
abactus Dæmon , potuisset transacto fumo redire ;  
cessante enim causa physica , cessat effectus : at non po-  
tuit redire , ut constat ex verbis ipsius Angeli : ergo , &c.  
Non ergo habebat virtutem physicam , sed moralem  
dumtaxat modo prædicto. Ex dictis alia similia , quæ  
objici possunt , dissolves.

Quædam quædam quædam quædam quædam quædam quædam quædam

## LIBER III.

## DE DEO.

**I**TA est, Amice Lector, multæ, ac diversæ hucusque à nobis decurſæ sunt Philosophie ſemītæ, quæ tamen ſi attentiùs, ut par est, conficiantur, in unum tandem coeuntes, ad id nos deduxiſſe parebit, ut ſcilicet Deum Opt. Max. rerum omnium conditorem, & ultimum finem agnoscamus. In hac itaque tertia Metaphysicæ realis parte, quæ quia de Deo sermonem iuſtituit, *Theologia naturalis* meritò appellatur, de Deo eſt nobis agendum, ea tantum de ipſo inquirentes, quæ lumine naturali ſunt cognoscibilia; reliqua enim, quæ aut à revelatione divina, aut ratione ipſa per fidem illuſtrata pendent, omnino Theologis reſervamus.

## CAPUT I.

*De Deo secundum ſe ſpectato.*

**D**UPPLICITER Deus ſpectari potest, vel ſecundum ſe, vel in ordine ad Creaturas: in hoc capite ea persequemur, quæ ad Deum ſecundū ſe pertinent, nempe notionem ejus, & exiſtentiam: tum & attributa præcipua; ea verò, quæ Deo in ordine ad

Crea-

Creaturas competunt, in ſequenti capite exponemus.

## PROPOSITIO I.

*Quid nomine Dei intelligatur, ejusque notio exponitur.*

**D**Ei nomine intelligimus Ens quoddam infinitum, summè perfectum, omnique perfectionis abſum, & originem. Circa Dei autem constitutivum Metaphysicum varię ſunt Auctōrum ſententia: quoniam verò hoc à Theologis latè pertractatur, breviter in praefenti me expediam. Aſtero itaque Deum eſt *Ens essentialiter exiſtens*: ſicque Essentia Divina, seu ipſius formalis conceptus in hoc eſt actuali essentiali poſita eſt. Ratio eſt quia in illo prædicato ſita eſt, quod positivum eſt, & abſolutum, eſtque per rationem noſtrā primum omnium, ex quo reliqua omnia attributa Divina Essentialia, & abſoluta conſequuntur: ſed Deum eſt ens essentialiter exiſtens, eſt pradicatum positivum, & abſolutum, omniumque primum ex quo cetera attributa essentialia, & abſoluta dimanant, ut statim oſtendam: ergo, &c.

Confirmatur, nam Essentia Divina ſtare non potest formaliter, & metaphysicè in independentia ab alio: Essentia enim Divina eſt poſitiva; illa verò independentia dicit aliiquid negativum. Nec conſtitui potest formaliter per eſte à ſe, quia illud *Eſte ab* dicit relatiōnem: ad ſe ipſum autem non eſt relatio. Tum etiam quia Essentia Divina eſt ens maximè abſolutum: ergo per attributum relativum formaliter non debet conſtitui. Nec etiam per infinitatem: infinitas enim negationem ſonat: tum etiam quia veluti advenire conſetur Essentię Divinę ejusque attributis: Ideo namque Deus infinitus eſt, quia Deus eſt: ergo illud eſte divi-

num præsupponitur ad infinitatem. Præterea Essentia Divina in ipsa intellecione actuali formaliter posita non est: tum quia intellectio relationem sonat: est enim & subiecti alicujus, & obiecti: tum quia prius concipitur quid esse intellectivum, quam intelligens: imò esse intellectivum quid genericum est, ideoque nec formaliter Divinam Essentiam constituit. Nec constituitur etiam per collectionem omnis perfectio[n]is: tum quia sic confunditur Essentia Divina cum attributis: tum etiam quia aliud est collectum, aliud collectio, aliud colligens: & Deus quidem colligit in se omnis perfectionis cumulum: ergo prius supponitur esse Dei: ergo aliquid prius ad prædictam collectionem dicit formaliter in suo conceptu. Nec etiam per parentiam omnis defectus, quia est conceptus negativus: imo ideo omni defectu caret, quia ens necessarium est, seu essentialiter existens; & consequenter illimitate est omnis perfectio, omnemque defectum excludit. Denique nec formaliter constituitur per esse id, quo nihil melius excogitari potest: tum quia hic manifestam vides comparationem, seu relationem. Tum quia id non satis explicat quid illud sit, quo nihil melius potest excogitari: & si loquamur de intellectu creato, quod infinite infra Deum existit, certe Deus per id constitui non potest, quod ab intellectu creato, etiam perfectissimum, excogitari valet.

Constat ergo Divinam Essentiam formaliter, & metaphysicè constitui per esse ens essentialiter existens. Quod verò ex hoc quasi primario conceptu, cætera attributa essentialia absoluta, tamquam ex radice consequantur, patet cum singula percurremus. Dices tamen existentia in creatis non distinguitur ab essentia: sed quælibet creatura existit per existentiam: ergo

quæ-

quælibet creatura existit per essentiam. Sed concedo totum: si verò inferas: ergo existit essentialiter, hallucinaris, quasi idem esset existere per essentiam, & essentialiter existere: verum quidem est essentiam quamlibet per se ipsam existere: existit enim per id per quod est, ut diximus Tract. 2. non tamen existit essentialiter, ita ut necessario existat, nec possit non existere; existit enim contingenter.

## PROPOSITIO II.

*Deum existere, multis modis demonstrari potest.*

**A** Dea quæ dicenda sunt aliquæ hypotheses sunt præmittendæ. Suppono 1. Deum à nobis posse naturaliter cognosci: nam nec Athæus Deum negare potest, nec ejus existentiam probare possumus, si nullam, ne quidem rudem Divinitatis notitiam habemus: nec enim negatur, nec affirmatur id, cuius nulla penitus habetur idea.

Dupliciter autem potissimum potest. Deus cognosci, nempe *negativè*, removendo nempe ab illo quid quid in creaturis imperfectum deprehendimus: sic dicimus Deum esse infinitum, quo limites ab ejus perfectione removemus: dicimus item esse immutabilem, quo vicissitudinem ab eo secludimus: tum esse incorporeum, quo omnem materię concretionem ab eo relegamus. Cognoscitur etiam aliter, nempe *positivè* dum de Deo perfectionem affirmamus per creaturas nobis cognitam: ut cum noscimus Deum esse Ens, Substantiam, Intelligentem, Bonum, &c. Modus autem naturalis cognoscendi Deum facilior nobis est per negationem, quam per affirmationem: hinc melius noscimus quid non sit Deus, quam quid sit.

Sup:

Suppono 2. Dei existentiam demonstrabilem esse; non quidem à priori, seu per causam, ut ajunt essendi, quia Deus nullam habet, neque habere potest essendi causam; sed à posteriori: idque non tantum negativè, solvendo nempe Atheorum argumenta; verum etiam positiue, afferendo argumenta, quibus nemo sanè mentis dissentiri possit. Ita tenuere plerique ex antiquis Philosophis, & tenere debent omnes Catholici, cum Apostolus dicat, *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intelligi.* Et Sapient. 13. reprehenduntur, qui dē his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentis cognoverunt, qui esset artifex. Ut enim habet Regius psaltes, *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manus ejus annuntiat firmamentum;* idque ita perspicue, ut asserat S. Augustinus, *Cæli, & terra clamant mihi ut te amem, nec cessant dicere omnibus,* ut sint inexcusabiles; & eisdem notat: *bœ est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* His suppositis, ex pluribus existentiæ Dei demonstrationibus, selectiores in medium proferamus, quæ ad tres veluti classes revocantur.

### PRIMA DEMONSTRATIO METAPHYSICA S. Anselmi.

**D**ei nomine intelligimus Ens, quo nullum majus, aut perfectius cogitari potest: atqui existit ens, quo nullum majus, aut perfectius cogitari potest: ergo existit Deus. Minor probatur. Nam Ens, quo nihil potest cogitari majus, est existens, alioquin posset aliquid ipso majus cogitari, nempe ens existens: est enim certum & evidens melius esse existere, quā non existere.

Sed

Sed dices, fictiæ, ac chimæricæ cogitari ens, quo nullum majus, aut perfectius cogitari potest; adeoque non sequitur existere; quemadmodum neque sequitur existere chimaram, ex eo quod cogitetur existens. Sed contra: nam illud est fictium, & chimericum, quod involvit contradictionem, & ex quo sequitur esse simul, & non esse, & talis est conditio chimæræ: unde quantumvis cogitetur, non sequitur posse existere; ceterum Divinitas nullam involvit contradictionem: ex positione namque entis summè perfecti, & quo nihil melius potest cogitari, nihil sequitur nisi perfectio; adeoque non sequitur, nisi esse, & existere. Quod ab eodem S. Anselmo sic stabilitur. Nulla res est imperfecta ob defectū chimæræ: sed qualibet res est imperfecta ob defectū summè perfectionis: ergo summa perfectio non est chimæra: sed summa perfectio essentialiter includit existentiam; aliter enim quomodo summè perfectum erit, cui potissima perfectio, nempe existentia, deficit: ergo summa perfectio existit. En Deum.

### SECUNDA DEMONSTRATIO METAPHYSICA ca S. Augustini, Platoniorum, & Cartesii.

**H**ec demonstratio, ni fallor, in præcedentem redicere videtur, potestque in hanc formam redacta proponi. Quod clare, & distinctè intelligimus pertinere ad alicujus rei essentiam, id potest de ea reverè, & certò affirmari: atqui postquam actiori animo investigatum à nobis fuit, quid sit Deus, clare, & distinctè intelligimus pertinere ad ejus essentiam ut existat: ergo existentia reverè, & certò potest de Deo affirmari. Minor patet, nam per Deum nihil aliud concipiimus nisi Eus in omni genere perfectum: ergo

&

424 TRACT. XI. DE METAPHYSICA REALI:  
& quod habeat existentia perfectionem. Quemadmo-  
dum itaque non potest esse Triangulus sine tribus an-  
gulis, quia tres anguli sunt de essentia, & conceptu  
formali Trianguli; ita neque potest non existere ens in  
omni genere perfectum, quia de ejus essentia, & con-  
ceptu formalis est existentia.

Hanc Cartesii demonstrationem, calore illum im-  
pugnandi, plerique non parum contemnunt, fortasse  
non advertentes potius esse Sancti Augustini, quam  
Cartesii. Impetur autem à Gassendo & ab Illustris.  
Petro Daniele Huelio in *Censura Philosoph. Cartes.*  
*cap.4.* & aliis; ipsi opposentes: illud principium, vi-  
delicet *quod clare, & distinctè intelligimus pertine-  
re ad essentiam, & conceptum formalem alicujus rei,*  
*id posse de ea re cum veritate affirmari;* esse quidem  
verum, si loquamur de illa re prout à nobis concipi-  
tur, aut quatenus est in idea nostra; non verò de ipsa  
re prout est à parte rei, seu prout est extra intellectum,  
quod est Paralogismus manifestus: unde sic in forma  
responderi potest ad argumentū Cartesii: *Quod con-  
tinetur in idea alicujus rei, potest affirmari de ipsa in sta-  
tu ideali, concedo: in statu reali nego.*

Sed adversus hanc solutionem, & prædictæ ratio-  
nis impugnationem, sic pro Cartesio arguitur: nam  
valet semper consecutio ab statu ideali ad realem in  
iis, que ad essentiam rei pertinent, ut patet in omnium  
rerum essentiis: sed existentia est de formalis essentia  
entis summæ perfecti, & necessarii: ergo valet conse-  
cutio ab statu ideali ad realem: sive recte infertur  
ens summæ perfectum existere. Sed dices: licet sit de  
essentia Trianguli habere tres angulos, non sequitur  
Triangulum extra causas existere: ergo licet sit de es-  
sentia Entis summæ perfecti existentia, non sequitur  
quod

LIBER III. CAPUT I. 425  
quod existat. Sed nego consequentiam, & paritatem:  
ideo enim non sequitur existere triangulum habentem  
tres angulos, ex eo quod sit de essentia trianguli habe-  
re tres angulos, quia non convenit triangulo habere  
tres angulos, nisi ex hypothesi aliqua, nempe quod  
existat: at verò existentia Dei non convenit Deo, fa-  
cta aliqua hypothesi, sed absolute, quia nomine Dei  
nihil aliud intelligimus, quam Ens summè perfectum,  
adeoque absolute existens. Unde sic potest prædicta  
Cartesii ratio confirmari. Id de cuius essentia est habe-  
re aliquam perfectionē hypotheticē, nusquam potest non  
habere illā hypotheticē: ergo id de cuius essentia est exi-  
stere absolute, nusquam poterit non existere absolute.

Dicunt adhuc adversarii posse responderi, ideam  
illam, seu notionem Dei, aut entis summè perfecti, ac  
necessarii existentis, non esse evidenter rei possibilis, ut  
inde pos sit evidenter colligi, existentiam esse de essen-  
tia absoluta, & formalis illius. Sed contra, nam co-  
gnitio entis summè perfecti est clara, & distincta cognitio:  
ergo est cognitio rei possibilis, quod enim impossibile est,  
aut contradictionē involvit, ut triangulus sine  
angulis; aut mons sine valle, non nisi obscurè admo-  
dum, & confusè percipitur. Præterea idea entis summè  
perfecti, & necessarii existentiam in suo conceptu in-  
cludit; absurdum enim est concipere ens necessarium,  
quod non existat: sed nulla res impossibilis in sui co-  
gnitione existentiam complectitur: ergo idea entis  
summè perfecti, & necessarii non est fictitia, sed rei  
possibilis. Tandem ideam rei ficticiæ possimus in par-  
tes secare, aut illi aliquid adjicere: sed huic ideæ entis  
summè perfecti, nihil possimus detrahere, neque adjic-  
ere, quin idea ipsa destruatur: si quid enim detraha-  
tur, ut existentia, aut sapientia, jam non erit ens sum-  
me

mē perfectum : ergo, &c.

Ex dictis aperte colligitur , notionem illam entis summē perfecti , & necessarii non esse chimericam , sed rei possibilis : sed si ens necessarium sit possibile , ne-cessit̄ est ut fateamur illud existere : si enim non ex-istit est omnino impossibile : ergo ens summē per-fectum , & necessarium necessario existit : tenet ergo ratio prædicta.

### TERTIA DEMONSTRATIO PHYSICA

S.Thomae i.part.quaſt.2.art.3.

**D**ei nomine intelligimus ens absolute necessarium , seu necessariō existens : atqui datur tale ens necessarium : ergo, &c. Minor probatur , nam vel omnia entia sunt absolute contingentia , id est , vel omnia possunt esse , vel non esse ; vel datur aliquod ens , quod non possit non esse : inter hac enim non datur medium : si datur aliquod ens necessarium , ha-beo intentum ; scilicet ergo datur Deus : si quodlibet ens est contingens : ergo omne ens à primo ad ultimum potest esse , vel non esse : ergo potest nullum ens esse : possibile enim posito in actu , nihil sequitur ab-surdi ; ex quo sic conficitur argumentum : in hac hypothesi omnia entia essent possibilia simul , & impos-sibilia : possibilia , quia sic supponitur ; impossibilia , quia ea sunt impossibilia , quia neque per se necessariō existunt , neque ab alio possunt produci : sed tunc omnia entia neque existerent necessariō , ut supponitur , essent enim Deus ; nec possent ab alio produci , quia nihil esset , à quo omnia possent produci : ergo forent simul possibilia , & impossibilia , quod est contradic̄to-  
fatendum ergo est dari dari aliquod ens necessariō ex-  
stens,

stens , & hic est Deus.

Dices tamen unamquamque rem esse ens contin-gens , & non necessarium ; non vero totam collectio-nem creaturarum . Sed contra 1. ergo tota collectio creaturarum esset Deus ; neque enim aliud intelligi-mus per Deum nisi ens necessarium , minimèque con-tingens . Contra 2. Unumquodque ens est contingens : ergo & tota collectio est contingens : nihil enim est tota collectio , prater unumquodque ens simul cum aliis sumptum . Sed dicet Atheus , nos male arguere , nam à sensu distributo ad collectivum non valet con-sequentia . Verū distingue oportet inter prædicata , quæ sequuntur entitatem partium , tum & totius : & inter ea quæ sequuntur partialitatem , & totalitatem : verum quidem est illa attributa quæ sequuntur parti-alitatem , & totalitatem non esse eadem in toto , & par-tibus ; ea tamen quæ sequuntur entitatem , & essen-tiam , eadem sunt in partibus , & toto : sic non valet consequentia ; unusquisque ex centum lapidibus non est centum : ergo centum lapides non sunt centum ; benè vero valet : omnes prædicti lapides sunt corpo-rei : ergo totum ex ipsis coalescens est corporeum : quia nemp̄ ratio corporei confequitur ad essentiam : cum itaque ratio contingentis , & necessarii , non se-quatur rationem totalitatis , aut partialitatis , sed essen-tiam rerū recte arguitur à distributivo ad collectivum .

### QUARTA DEMONSTRATIO PHYSICA

S. Thomae loco citato.

**H**æc demonstratio sumitur ex ratione cause effi-cientis . In his enim rebus sensibiliibus inveni-tur ordo causarum efficientium , quarum una aliam , hæc-

hacque aliam producit : est autem penitus impossibile, ut aliquid sit causa efficientis sui ipsius : ad hoc enim oportebat ut esset prius se ipso, & existeret antequam existeret, quod est impossibile. Insuper impossibile est quod in causis efficientibus procedatur in infinitum: nam in serie ordinata causarum efficientium , primum est causa mediæ, & medium est causa ultimi , sive media plura sint, sive unum tantum : atqui remota causa removetur effectus : ergo si in causis efficientibus non fuerit primum, non erit medium ; & consequenter nec ultimum : sed si in causis efficientibus procederetur in infinitum, nulla esset prima causa efficientis : ergo neque esset effectus ultimus : nec causæ efficientes mediæ, quod est evidenter falsum : ergo necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum appellant.

## QUINTA DEMONSTRATIO MORALIS.

**H**Æc præsertim petitur ex egregio mundi adspicibilis ordine ; rerumque in eo contentarum, quæ nostris obversantur oculis , mira æconomia; nec non ex communi hominum conscientia, seu instinctu. Primo quidem ex ordine mundi, ejusque regimine : mundi enim ordinatio, & gubernatio , non nisi opus est summi intelligentis : quomodo enim tam mirabilis rerum ordo subsistere posset ? quomodo elementa sibi adversantia , ita in eundem finem sua discordia collinant, ut videlicet tantam miserrorum sibi problem componentia, in totius mundi sublunaris conservationem concurrant : debet igitur esse aliquod ens summè intelligens, quod cuncta dirigat, conservet , & gubernet. 2. Hoc idem convincitur ex communi ho-

mi-

minum conscientia, & instinctu : nemo enim est qui in angustiis, & calamitatibus positus non advocet Deum : tum nullus est populus, nullave civitas, nullus item homo, qui Deum non coluerit ; licet enim plerique variis appetitus illecebris obsecrati , superstitione rebus creatis cultum tribuerint ; in hoc tamen convenierunt, ut Deum aliquem esse judicarent , cui cultus, honor , ac timor deberetur : innegabile itaque est, etiam ex hoc capite, dari Deum. Alias demonstraciones omitto, vel quia non ita perspicue convincunt, vel quia ad prædictas tandem reducuntur.

## PROPOSITIO III.

*Divina attributa, seu perfectiones explicantur.*

**C**um Deus sit ens infinitus, & undequaque perfectione, quamplurima perfectiones ex ejus essentia profluere concipiuntur, qua attributa communiter appellantur : de his in præsenti breviter agemus : exatram enim de ipsis tractationem sibi vendicant Theologologi.

1. *Unicus est Deus.* Patet 1. Ex Fide , ait enim Deus ipse Deuteronomio.32. *Videte quod ego sum solus, & non est aliud Deus preter me.* 2. Probatur ratione. Si enim essent plures Dii , primo nulla esset major ratio cur potius tot forent , & non plures , imo & esse possent infiniti. 2. Si plures essent Dii , vel specie distinguenter , vel tantum numero. Si primum : ergo nullus esset Deus ; nullus siquidem esset omnino perfectus , quia nullus contineret perfectionem speciei sibi opposita ; si vero tantum numero distinguerentur : ergo & possent esse infiniti numero , ut antea dixi. 3. Quia si duo ex. gr. forent Dii , vel in agendo penderent ab invicem , vel non penderent , ita ut unus ope-

ra-

rati posset, altero etiam renitente, & invito. Si neuter operari posset independenter ab altero, neuter esset omnipotens; si verò posset operari, altero invito, aut renitente: ergo etiam tunc non esset omnipotens; cum vellet operationem alterius non esse, nec id præstare valeret: ergo non possunt esse plures Dii.

2. *Deus est simplicissimus.* Ratio est, quia simplicitas excludit compositionem: sed Deus excludit omnē compositionem: ergo est ens simplicissimum. Minor prob. Nam compositio vel est ex materia, & forma; vel ex subiecto, & accidente: vel ex essentia, & existentia; vel ex partibus integrantibus: mitam facio compositionem metaphysicam ex genere, & differentia; hæc enim nullam involvit imperfectionem; Deoque convenire diximus in Metaphysica intentionalis: Nullam autem ex prædictis compositionibus Deo convenire, probatur: nam 1. Non componitur Deus ex materia, & forma, quia independens est, & improducetus: omne autem compositum pendet à partibus ex quibus componitur. Item Deus est actus purus: ergo essentialiter excludit rationem materię, in cuius conceptu potentialitas includitur. 2. Non componitur ex subiecto, & accidente, quia mutaretur, aliquid nempe recipiens, quod est maxima imperfectio. 3. Non componitur ex essentia, & existentia, quia utraque in Deo identificatur, non tantum realiter, ut in creatis; sed etiam formaliter: est enim existentia de conceptu formalis Dei, utpote ens necessarium, seu essentialiter existens. Non denique componitur ex partibus integrantibus: hæc enim respectu totius se habent ut materia, quarum coalitio, & dispositio est forma; Deo autem repugnat, ut dixi, compositio ex materia, & forma: omnis ergo compositio Deo repugnat, & conse-

quen-

querter est ens simplicissimum.

3. *Deus verax est, ac infinitè bonus.* 1. Verax est, quia quemadmodum falli non potest ob ejus omniscientiam, ita nec fallere potest, aut mentiri: hoc enim maxima est imperfectio. 2. Deus est infinitè bonus; primò, ut ajunt, bonitate entis, quia nempe est undequaque perfectus, habetque cuncta, quæ ad esse divinum requiruntur. Secundò bonus est bonitate relativa, quia omnibus est beneficus, atque quemadmodum suum, ita & creaturarum est summum bonum: omnibus siquidem prodest, omniumque conservacioni incumbit; omnia enim ab ipso facta sunt, ab eoque conservantur: & non nisi ejus beneficio in natura perseverant: tot tandem sunt Dei erga nos beneficia, ut ejus infinitam beneficentiam quotidie testatam faciant.

4. *Deus aeternus est, & immortalis.* Aeternitas Dei, ut alibi diximus, definitur à Boëtio lib.3.consol. Phil.prosa 2. *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Hanc definitionem loco citato explicavimus. Nunc assero certissimum omnino esse Deum esse aeternum: ipse enim Deuteron.4 ait: *Vivo ego in eternum.* Clamantque paßim Sacrae Scripturae: idque ratione etiam patet. Deus enim est ens immutabile, ens necessarium, & perfectissimum, ac in omni genere perfectionis infinitum: ergo est essentialiter aeternus, & ejus vita essentialiter est indefectibilis: & consequenter est immortalis.

5. *Deus est immensus.* Immensum dicimus illud, quod nullos habet limites, nullisve circumscrribuntur locis: Deum itaque esse immensem, est evidens; quemadmodum enim esse aeternum, semperque existere consequitur ad ejus essentiam infinitam, & necessariam;

riam; ita & esse ubique, esseque in omnibus rebus, ex extra omnia, ita ut nullis posit ejus essentia terminis circumscribi. Ita autem Deus per suam immensitatem ubique existit, ut non per partes existat in locis; sed potius ita totus est, ut ita dicam, in loco, ut non sit totaliter in illo; non enim ejus essentia, & immensitas ab ullo loco, aut spatio potest exhaustiri. Quomodo verò Deus extra hunc mundum existat, diximus Tract. 2. cum de loco ageremus.

## PROPOSITIO IV.

*Deus summè intelligens est, & omniscius.*

**D**rum esse summè intelligentem, multis rationibus, etiam naturalibus, evidenter convincitur. 1. Deus est ens perfectissimum, in quo nullus defectus, nullave limitatio intelligi potest: sed Deus talis non esset, nisi esset summè intelligens, & omniscius: ergo, &c. 2. Quia Deus omnium opifex est, & quidem maximè industrius: ergo omnium creaturarum habet ideas, singulasque perfectissimè cognoscit. 3. Deus infinitus est in omni genere perfectionis: ergo & in genere intelligentis: ergo omnia intelligit, idque perfectissimo modo: cognoscit enim omnia uno simplicissimo actu, indistincte ab ipsa Essentia Divina; neque componit, aut dividit, cum cognoscit, quia in his cognoscendi modis adeo imperfectione, dependet scilicet unius cognitionis ab alia: Judicium enim in nobis sequitur ad apprehensionem; & discursus, ad judicia. Cognoscit itaque Deus quidquid cognoscibile est, quin quidquam ipsum latere possit. Et primò quidem, cum ipse Deus maximè intelligibilis sit, adeoque & maximè verus, Deus se met ipsum intelligit; & cum tantam habeat intelligentiæ vim, quantam ha-

bet

bet intelligibilitatem, utræque enim sunt infinite; certè Deus se met ipsum comprehendit, seu tam perfectè se ipsum cognoscit, quam potest cognosci. Cognoscit præterea omnia possibilia: tum & omnes connexiones necessarias, & veritates, quas vocant aternas, quarum prædicatum necessario inest subiecto. Cognoscit insuper omnia contingenter existentia pro quacumque differentia temporis, sive à Dei decreto immediate determinentur ut sint; sive etiam ab agente libero creato: omnia etiam conditionatè futura. Hinc triplex in Deo scientia consideratur, nempe necessariorum, contingentium, & futurorum sub conditione. Prima vocatur necessaria, seu simplicis intelligentiæ. Secunda libera, seu visionis. Tertia media. Multa autem hic disputari solent, quæ ad Theologiam pertinent.

## C A P U T II.

*De Deo in ordine ad Creaturas, seu ut prima causa rerum.*

**D**E ut prima rerum omnium causa effectrix, quatuor potissimum tribuuntur, nempe. Quod omnia possit, cunctaque creaverit; quod omnia conservet: quod cum causis ad agendum concurrat: tum tandem quod easdem ad agendum determinet. De singulis in hoc capite est agendum.



## PROPOSITIO V.

*Deus Omnipotens est, ac rerum omnium Creator,  
& Conservator.*

**D**rum Omnipotentem esse, nullus qui Deum agnoscat inficiari potest. Infita enim est cunctis hominibus talis notio, ut cum calamitatibus opprimuntur, aut in quovis discriminē imminentī positū sunt, manus in Cælum tollant, suaque vota ad Deum dirigant, ut ab eo liberentur, & quod optant ab eo consequantur, quem tacito consensu Omnipotentem agnoscunt. Præterea id eo planè convincitur, quod Deus sit infinite, & undequaque perfectus: ergo quemadmodum in genere intelligentis, ita perfectus est, ut intelligat quidquid est intelligibile: ita & in genere potentia effectricis, ita potens est, ut omnia possit, nihilque possibile sit, quod à Deo produci non possit: est igitur Omnipotens.

Deum autem esse rerum omnium Creatorem patet; nam quidquid præter Deum existit, vel existit à se, vel ab alio: non à se; nam ut ex dictis constat, esset ens necessarium, nihilque illi deesset, ex his quæ esse posset, cum à nemine esse limitatum haberet; si autem sit ab alio, de illo insuper quæreretur, an à se habeat quod existat; an vero ab altero donec tandem ad aliquam primam causam deveniatur, à qua cuncta procedant, quæ est Deus. Sed hæc ex dictis constant.

Tandem res creatas à Deo conservari, patet: Nam ex eo quod res aliqua ad hoc usque tempus duraverit, nullatenus sequitur tempore sequenti esse duratram: ergo ut existere perseveret, dari oportet potentiam aliquam, quæ illam veluti singulis momentis re-

pro-

producat, singulisque instantibus eidem existentiam tribuat, quod est rem in suo esse conservare: sed hoc à nulla creatura præstari potest: æqua enim vis requiritur ad aliiquid primò producendum, seu in primo instanti, ac ad eum producendum in secundo, tercio, &c. ergo tantum id à Deo præstari potest, qui solus rem ex nihilo potest creare: est igitur Deus rerum omnium conservator.

Objicies tamen 1. Artesacta sine Artifice permanent: ergo potiore jure opera naturalia potuerunt stare citra sui Authoris influxum. Si enim Artifex creatus id suo operi conferre potest, ut permaneat, multò magis id præstare poterit summus rerum opifex, cuius opera eo magis firma esse debent, quam quæ à creato artifice profiscuntur. Respond. Negans conseq. Est autem dispar ratio; nam artefacta ab opifice creato profecta ver. gr. Domus, ex his partibus coalescunt, quæ jam habent esse simpliciter antequam formam artificialē ab Artifice accipiant: unde mirum non est, si ubi in hanc formam coaluerint, in eo statu citra artificis actionem permaneant: verumtamen res omnes habent à Deo suum esse simpliciter, ab eoque essentialiter pendent, ita ut iugū Dei influxu, non solum quoad fieri, ut domus ab Artifice, verum etiam quantum ad esse, & conservari à suo Conditore dependent.

Objicies 2. Quædam sunt entia creata suapte natura incorruptibilia, ut Angelus, & Anima rationalis: ergo saltim hæc non egent iugū Dei influxu, ut conserventur. Respondeo, distinguens anteced. Prædictæ res sunt incorruptibles intrinsecè concedo: extrinsecè nego. Sunt quidem intrinsecè incorruptibles, aut indissolubiles, quia in se non habent corruptionis, aut

Ee 2

dif.

dissolutionis principium , cum sint indivisibiles , partibusque careant , in quorum separatione corruptio consilicium : sunt tamen extrinsecè corruptibles , seu verius annihilabiles , quia egerit iugis Dei influxu , quo subducto in nihilum abirent , cum à suo Auctore essentialiter pendeant.

## PROPOSITIO VI.

*Deus immediatè concurrit cum causis secundis ad omnes earum operations.*

I Ta censem communiter Theologi , & Philosophi . Probatur 1. Nam non tantū esse , & posse operari , sed etiā actu operari est perfectio quadam : sed omnis creata perfectio pendet à Deo , ut à causa prima : ergo non solum res creatas esse , & posse operari pendet à Deo ; verùm ipsa à Deo pendent prout operantur : ergo Dei concursu omnino indigent , ut operentur.

Probatur 2. Nam causa secunda , cum aliquid agit , aut efficit , non dat illi esse simpliciter , quasi illud ex non ente simpliciter producat : hoc enim esset creare , seu ex nihilo producere : sed tantum ex non ente secundum quid , dat illi esse secundum quid : quemadmodum Artifex non dat domui esse simpliciter , sed ex lapidibus , quae domum non erant , domum efficit , ut ex aliis dictis constat : ergo ut agens naturale aliquid efficiat , necesse est ut causa prima id tribuat effectui , quod causa secunda dare non potest , nimisrum esse simpliciter , aut communem entis rationem : ergo necesse est , ut cum operatione creature , seu cause secundæ concurrat .

Explicatur amplius in actionibus rerum corporearum , ex quibus proclive erit deducere simile quid in creaturis spiritualibus . Tribus itaque modis agere potest

test Deus circa corpus mobile . 1. Tribuendo illi esse simpliciter ; & hanc quidem actio , ut sic , est tantum creatio . 2. Tribuendo illi aliquem locum determinatum , & hujusmodi actio nihil aliud est , quam creatio in tali loco : ut enim alibi diximus , eadem actione Deus tribuit rei esse , & in tali loco esse ; si enim nullibi creat non creat : ad id autem unica Dei actio sufficit realiter , & physicè : si enim essent duas actiones realiter , distinctæ , certè posset una poni sine alia , atque adeo esset ens creatum , & nullibi existens . 3. Potest Deus agere circa corpus mobile , tribuendo illi plura loca continuò , & successivè ; quatenus nempè Deus non solum corpus illud semel , & primo instanti creat ; sed & secundo , & tertio , idque in diversis successivè locis .

His suppositis sic probatur nostra conclusio . Non aliter melius concipi potest Deum propriè , & immediate concurrere cum causa secunda corporea , quam si cum illa aliud corpus moveat : atqui Deus sic se gerit : ergo propriè , & immediate concurrit cum causa secunda corporea . Minor prob . Quia cum lapis ex.gr. non conservetur nisi à Deo , impossibile est ut eum creatura corporea moveat , quin eundem simul Deus moveat : impossibile enim est , ut creatura faciat eum esse successivè in pluribus per ordinem locis , quin Deus actione sua pariter faciat eum esse in eisdem locis , seu tribuat ei esse in illis locis continuò , & successivè , prout exigit movens corporeum : atqui hæc continuata creatio sic à Deo exercita ad exgentiam cause secundæ , est re vera concursus causa primæ cum secunda : ergo , &c. Hinc cum actiones omnes creature corporeæ nihil aliud sint quam motus locales , ut ex dictis in Physica satis pater , concludendum est , Deum im-

immediatè concurrere cum actionibus cunctis creatura corporeæ. Præterea cum actiones creaturarum spiritualium , ut in præcedentibus diximus , nihil aliud sint , quam motus intentionales , eodem modo erit de ipsis discurrendum.

Probatur 3. nostra conclusio. Nam Deo concedendum est ita perfectum dominium in creature , ut possit ipse disponere modo perfectissimo de actionibus creaturarum : atqui ad hoc omnino requiritur , ut possit tales actiones impeditre , non tantum per destrucciónem creaturarum ; verum etiam per simplicem negationem concursus ad earum actiones: ergo,&c.

Probatur 4. Nam agentia naturalia non minùs pendunt à Deo in quantum agentia , quam in quantum entia : sed in quantum entia dependent à Deo immediatè : ergo etiam in quantum agentia. Confirmatur tandem nostra conclusio ex Scriptura Sacra Isaie 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis domine.* Tum Apostolus 1. Corinth. 12. *Omnia operatur in omnibus.* Et Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt , & si ne ipso factum est nihil.* Omitto alia innumera loca hoc idem plane testantia.

Objicies 1. Si Deus concurret cum agentibus creatis , vel concurreret eadem actione , vel diversa : non eadē , cum diversa cause non possint eandem actionem profundere : nec diversa , cum diversarum actionem nequeat esse idem effectus , seu terminus : ergo , &c. Respondeo hoc argumentum omni prorsus videare in nostra sententia , in qua actio non est entitas aliqua ab agente , & termino entitatib[us] distincta , ut alibi diximus : ubi itaque causæ sunt distinctæ , sunt itidem actiones diversæ : cum igitur Deus , & causa secunda ad easdem effectibus productionem conspirant , licet

eadem moraliter censeatur actio propter unitatem effectus ; realiter tamen , & Physicè duæ sunt actiones distinctæ : cum enim actio nihil aliud sit prater influxum agentis in terminum , necessè est , multiplicem esse actionem , quoties multiplex est principium.

Objicies 2. Magis decet Deo dedisse rebus creatis vim , qua solæ suos producant effectus , quam è converso : ergo , &c. Antecedens probatur , nam minus decens est Deo , ejusque munificientiæ dare rebus creatis virtutem incompletam , quam ira completam , ut se solis operari possint. Respondeo negans utrumque antecedens : tantum enim absit ut illud sit Deo magis decens , quin potius indecens sit : tale enim est Dei in creature dominium , ut ista à Deo , non solum quoad esse ; verum & quoad operari dependeant , ut constat ex supradictis.

Objicies 3. Causa secunda , ut ignis ver. gr. habet vim agendi completam : ergo non indiget Dei concursu ut operetur. Respondeo causam secundam habere vim agendi completam ; cum dependentia tamen à causa prima : siveque requirit ex parte actus primi præparationem Divinæ Omnipotentie , ut cum ea concurrat ad suas operationes elicendas , effectusque producentos. Objici tandem solet Deum fore authorem peccati , si ad omnes actiones nostras immediate concurret ; verum h[oc] obiectio ex dicendis in sequenti propos. dissolvetur.

(\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*)

## PROPOSITIO VII.

*Licet Deus immediate concurrat cum causis secundis ad omnes earum effectus, non est causa peccati.*

**N**ON parum laborant Auctores in assignanda ratione, cur Deus licet immediate concurrat cum causis secundis ad omnes earum actiones, & effectus, non sit author peccati. Aliqui id ita explicant. Duo reperiuntur in peccato, nempè & materiale ipsius, & formale: materiale est aliquid positivum ipsius actus, ver. gr. odii: Formale vero est privatio rectitudinis debita; ille enim actus, cum rectus esse deberet, & juxta regulas rationis, est irrectus, & à lege rationis recedens. Deus igitur non est auctor peccati formaliter sumpti, quia non est causa illius privationis, in qua peccatum formaliter sumptum consistit; sed tantum causat materiale peccati, quod est quid positivum. Sed contra, nam sic non sufficienter explicatur, qua ratione non sit auctor peccati, ac homo; nā ideo homo est causa peccati, etiā formaliter sumpti, quia ponit entitatem positivam, ex qua consurgit formale peccati: atqui etiam Deus concurrat ad prædictam entitatem positivam: ergo etiam erit causa peccati formaliter accepti. Et confirmatur, nam non aliter homo ponit formale peccati, nisi quatenus ponit illud positivum, quod dicitur materiale peccati: actio si quidem positiva direcēt, non nisi ad positivum potest terminari: si itaque formale peccati sit aliquid privativum, non aliter creaturā illud posere potest, nisi quatenus ejus actio positiva ad materiale peccati terminatur: ergo si Deus immediate, & positive concurrat cum creatura ad materiale, eodem modo ponet for-

formale: ergo, &c. Similiter rejicitur id, quod alii dicunt, Deum esse causam peccati in ratione entis, ideoq̄e non esse causam peccati formaliter sumpti, sub qua ratione non est ens, sed privatio rectitudinis. Relictis igitur aliarum sententiarum impugnationibus.

Affero: Ideo Deum, licet immediatè concurrat cum creatura non esse auctorem peccati, quia concurrens tantum indifferenter, & ut causa universalis, quæ à causa secunda determinatur. Explicatur simul, & probatur. Actiones liberae, quæ communiter humanæ dicuntur, aliae internæ sunt, aliae externæ: & ad externas quidem concurrens Deus juxta ipsius voluntatis humanæ determinationem: præparatam enim habet suam Omnipotentiam ad concurrendum cum ipsa causa creata ad omnes effectus externos, ut sic illūsum maneat voluntatis liberum arbitrium, atque dominium in actiones externas. Quod vero attinet ad actiones internas, seu ipsius voluntatis actus, concursus Dei est etiam indifferens, quatenus nempè animam conservat, ipsiusque voluntatem cum ea indifferet, ut voluntas sic conservata possit se ipsam movere, vel amoris actu, vel odii, aut alio simili: & quia actus ille nihil est aliud, quam motus intentionalis; & hic motus intentionalis non est entitas aliqua ab entitate ipsius animæ entitatib⁹ distincta, plane infertur, Deum quatenus immediate conservat animam, concurrere etiam immediate ad entitatem ipsius actus: & quia concurrens tantum indifferenter, ut diximus, ideo motus pravus animæ ipsi non potest imputari; concurrens enim ut determinatus ab ipsa voluntate creata.

Hoc idem optimè à R. P. Maignano explicatur, sumpta analogia à motu locali corporum ad motum

intentionalem voluntatis humanæ. 1. Ita se habet bonum respectu voluntatis, ac locus connaturalis respetu corporum: & quemadmodum corpus in loco sibi connaturali quiescit, ita & voluntas in bono posse. Quod insuper motus est corpori, id similiter est voluntati prosecutio, aut fuga: quemadmodum enim corpus unum desierit locum, ac per medium currens alium locum adquirit; ita & unum deserit voluntas, ut aliud bonum adquirat, variaque media tamquam spatia, ad ipsum asequendum percurrit; ut in suo fine quiescat.

2. Id tamen est voluntati proprium, quod corporibus non est commune, quod nempe ipsa se determinet. Nam ubi corporum potentia integra est, & in actu primo proximo constituta, tum corpus necessario movetur, & primæ cause concursum exigit: non ita voluntas, hæc enim positis adhuc omnibus ad agendum prærequisitis, manet indifferens: hoc tamen excepto, si nempe bonum ex omni parte conveniens, aut sine ulla mali admixtione ei proponatur; tunc enim voluntas in id necessariò fertur, nec se ipsam determinat, sed rapitur ab ipsa bonitate obiecti. Vides hic magnum discrimen inter causam liberam, & necessariam: hæc enim cum est in actu primo completo, concursum Dei postulat ad agendum; causa vero libera, cum positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit adhuc non agere, adhuc prædictum concursum non exigit, nisi cum est ad agendum determinata: ergo determinatio ipsa voluntatis quodammodo divinum concursum antevertit.

3. Hæc autem voluntatis determinatio, cum, ut dixi, non sit entitas aliqua ab ipsa voluntate distincta, sed modus, aut motus ipsius intentionalis, propriè non fit:

fit: quemadmodum enim ambulatio non propriè fit, sed homo ambulans, ita similiter volitus propriè non fit, sed homo volens: & quemadmodum cum corpus diversis locis successivè applicatur, verè & propriè dicitur homo ambulare; & Deus ad ejus ambulacionem propriè concurrere, quatenus illum in illis locis successivis conservat; ita homo propriè vult, cum circa bomum fertur, & Deus propriè, & immediatè ad ejus volitionem concurrit, quatenus illum volentem conservat. Qualiter autem voluntas determinatur, & an à Deo præmoveatur, in sequentibus discutietur. Ex dictis interim planum fit; Deum non antevertere voluntarem in iis actibus, qui non sunt supra vires naturæ, sed ejus determinationem sequi potius, quam præire: cum enim voluntas dominium habeat in suos actus, non est alia causa, quæ eam determinet; ejus siquidem natura in eo polita est, ut se ipsam determinet, & eligat: unde homo concursu Dei eget indifferenti, suæ nempe naturæ accommodato, & quem voluntas ipsa huc, aut illuc inflectat; non vice versa, licet in Deo nulla sit necessitas concurrendi: ex quo apertè fit Deum ad actus malos, etiam materialiter sumptos, voluntatem non determinare; sed potius à voluntate se determinante, determinari, ut concurrat: sique nullatenus convinci posse esse auctorem peccati, licet immediatè cum homine peccante concurrat.

## PROPOSITIO VIII.

*Objectiones contra predicta solvuntur.*

**O**bijicias 1. Juxta nostram sententiam Deus concurrit ad entitatem actus, quam ab entitate animæ non distinguimus: ergo concurrit ad materiale peccati: sed ut supra diximus, si concurrit ad materia-

riale, concurrit etiam ad formale: ergo in idem inconveniens incidimus, ac sententia illa, quam supra hac ratione impugnavimus. Respond. Id ex nostra sententia minimè sequi, ideo enim in illa sententia à nobis impugnata id sequitur, quia ponit actum peccatum minus esse entitatem distinctam ab ipsa anima, quæ quidem entitas in illa sententia est materiale peccati: unde ex positione illius entitatis, sequitur necessariò ipsum formale, seu deformitas, ideoque impossibile est Deum concurrere ad materiale, quin etiam concurrat ad formale: est enim ejus concursus determinatus ad hanc numero actionem, quæ est mala; ceterum in nostra sententia, cum actus illi non sine entitatis distinctæ ab ipsa anima, nisi tantum modi, seu motus animæ, tantum ad eos concurrit conservando animam in eo motu intentionali, & vitali, quem ipsa ponit: sicque concursus ejus est omnino indifferens ad animæ motum, sive rectum, sive irrectum; sive bonum, sive malum.

Sed instabis: ergo juxta nostram sententiam actus pravus, & actus bonus habent eandem entitatem, adeoque realiter non differunt. Respond. distinguens anteced, habent eandem entitatem, & eodem modo se habentem, nego: & diverso modo se habentem concedo anteced, & etiam consequentiam, si loquamur de distinctione reali entitativa; sufficit enim quod distinguantur modaliter.

Objicies 2. Concursus Dei prout à nobis exponitur est contrarius Divinæ Omnipotentie: ergo non est admissibilis. Probatur anteced. Nam indecens est, Deum finere se determinari à creatura: ex hoc enim sequitur non posse Deum gubernare creaturam liberam, nec flectere cor regis ad quocumque vellit: quod est

est contra Scripturam Sacram. Respondeo negans anteced. ad cuius probationem distinguo anteced. Indecens est Deo finere se determinari à creatura ex mera necessitate agendi, concedo: ex libera ejusdem Dei magnificentia, nego. Hocque idem ait S. Thom. q. i. de Poten. art. 3. ad 5. his verbis: *Influentiam cause prime, per causas proximas determinari, & specificari.* Et 3. contra Gent. cap. 66, ait, Agentia esse quasi particularizantia, & determinantia actionem primi agentis: idem tenet alis in locis. Qualiter autem in hac hypothesi Deus creaturem gubernet, Theologi ostendunt.

Objicies 3. Ex nostra sententia sequi Deum non esse Autorem boni operis contra Sacram Scripturam: Deus enim concursum præbet indifferentem ad bonum, & ad malum: si igitur Deus non est auctor operis mali, neque operis boni. Respond. negans sequillam: licet enim Deus præbeat concursum indifferentem, hoc tamen cum ingenti præbet discrimine: ad bonum enim inclinat, illud suadet, atque ad illud præmiis oblatis allicit; malum vero prohibet, ab eoque retrahit minis, atque suppliciis: Unde auctor est boni operis; non vero mali. Alia ex dictis solvuntur.

### PROPOSITIO IX.

*Deus causas omnes movet, ac præmovet præmotione generali.*

**N**omine præmotionis generalis nihil aliud intelligimus, nisi impressionem quandam ab Auctore Naturæ profluentem, qua voluntas nostra in bonum universale nititur. Hanc præmotionem multis rationibus demonstrat S. Thomas, quas breviter proponeamus. 1. Quemadmodum ex eo quod Deus est pri-

mus

mum agens , & ultimus finis , rectè infertur nihil concludi nisi virtute primis agentis , seu primi principii ; ita ex eo quod est primum movens , nihil moveretur , nisi impulsu primi moventis .<sup>2</sup> Ita ordo effectuum ordinis causarum respondet , ut causa determinata , & particularis , effectum sub ratione itidem determinata producat , ut ignis ignem ; homo hominem , &c. ergo nullum ens sub ratione universalissima entis fieri potest , nisi à prima , & universalissima causa : ergo prima causa omnes moveret , ac præmoveat .<sup>3</sup> Omne agens in ultimum finem tendit , quæ quidem propensio est generalis præmotionis : sed talis propensio non nisi à prima causa procedit : à quo enim alio proficisci poterit : ergo , &c.

Hunc itaque generalem influxum primæ causæ aliter excipiunt causæ necessariae , aliter liberæ : ille enim non deficiunt in agendo , nisi præcesserit defectus in natura ; causæ vero liberæ , licet virtute illius præmotionis generalis in bonum universale nitantur ; multoties tamen impressionem illam alio deflectunt , & in alias fines detorquent ; & ab ultimo fine se se avertentes , deficiunt ; quam si non sua libertate detorquerent , semper recti essent voluntatis motus . Hoc quam optimè explicat S. Thomas 1. 2. quæß. 9. art. 6. ubi cum sibi objecisset , quod si voluntas hominis à Deo solo moveretur , numquam hic malum actum committeret . Respondet . Quod Deus movet voluntatem hominis , sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis , quod est bonum , & sine hac universalis motione non potest aliquid velle : sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc , vel illud , quod est verum bonum , vel apparens bonum : sed tamen interaum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid de-

ter-

terminate volendum , quod est bonum , sicut in his quos movet per gratiam . Ubi vides Sanctum loqui de præmotione generali ; non verò de illa , quam recen-tiores Thomistæ excogitaverunt , de qua statim .

## PROPOSITIO X.

*Physica Prædeterminatio , prout à Thomistis admittiatur , explicatur .*

I Mmutatio voluntatis ex duplice capite considerari potest , vel ex parte ipsius voluntatis , vel ex parte obiecti : unde duplex dari potest motio voluntatis ; una moralis , & obiectiva se tenens ex parte intellectus ; & hæc nihil reale , ac physicum ponit in voluntate ; sed extrinsecus tantum manifestat ei obiecti bonitatem , quo eam allicit , & incitat ; alia se tenet ex parte ipsius voluntatis , hecque motio illam intrinsecus immutat : applicat enim illam ad volendum illud obiectum , quod sua bonitate , & convenientia eam allicit : unde hæc spectat ad genus causa efficientis ; ideoque physica , & realis , etiamque effectiva , & applicativa appellatur . Hinc patet ingens iter utramque motionem obiectivam , & physicam esse discrimen : illa enim ad genus causæ finalis solet reduci ; ideoque quia finis non agit actione propria , sed metaphorica , alliciendo nempè voluntatem ad sui amorem , idcirco motio obiectiva prædicta metaphorice tantum mouere censenda est . Physica verò , cum ad genus causa efficientis revo-cetur , propria est , & realis motio . Præterea hæc certò , & infallibiliter inducit effectum ad quem movet ; altera verò sua vi , suaque natura non est efficax , & infallibilis : in hoc enim statim , nullum est obiectum creatum , quantumvis bonum , imo nec ipse Deus prout à nobis per fidem obscurè cognoscitur , quod efficaciter , &

in-

infallibiliter voluntatem ad sui amorem determinet. Motio denique physica , cum sit applicativa voluntatis , ejus consensum , & determinationem antevertit , & causando prævenit, ideoque jure physica prædeterminatione , aut præmotio nuncupatur.

Afferunt insuper Thomista hanc prædeterminationem , cum solum sit applicatio actus primi ad actum secundum , quatenus facit , ut voluntas , qua operari potest , actu operetur , non se tenere ex parte actus primi , seu ex parte potentia ; sed se tenere ex parte actus secundi : hæc autem applicatio est prior ipso actu secundo prioritate naturæ à quo ; prior , inquam , non simpliciter , sed tantum secundum quid : eodem modo quo , proportione servata , operatio causæ secundæ est prior respectu effectus : sicut enim hæc operatio solum secundum quid antecedit effectu , sic & prædeterminatione physica solum secundum quid antecedit operationem causæ secundæ .

Afferunt item , cum physica prædeterminatione ad aliquid non posse simul stare , simulque componi negationem , & oppositum operationis prædeterminatione ; ver. gr. cum prædeterminatione ad amorem non potest simul poni non amor , aut odium: ratio autem est , quia non minorem habet connexionem prædeterminatione ad amorem cum ipso amore , quam habet calefactione cum calore : ergo sicut repugnat cum calefactione simul poni negationem caloris , ita cum prædeterminatione ad amorem repugnat simul poni , seu ut ajunt *in sensu composito* , poni non amorem , aut odium. Hinc infierunt Thomistæ , quod cum physica prædeterminatione se teneat ex parte actus secundi , quantumvis cum prædeterminatione ad amorem non posset stare , aut poni non amor , aut odium ; ex his tamen non sequi amo-

rem

rem , ad quem est physica prædeterminatio , non esse liberum : tam liber est enim amor , posita prædeterminatione ad illum , quam est liber ipse amor , posita actione productiva illius : ita enim , posita prædeterminatione ad amorem sequitur infallibiliter amor , ac sequitur ipse amor , posita ipsius actione productiva : & sicut posita actione productiva amoris , adhuc verum est dicere amorem esse verè , & propriè liberum ; ita similiter posita prædeterminatione , dici debet amorem prædeterminatum esse liberum .

Advertunt denique , hæc duo semper esse distinguenda , nempe requiri ad complendam potentiam in ratione potentia ; & requiri ad complendam potentiam in ratione principii actualis : unde Præmotio physica , licet requiratur ad complendam potentiam in ratione principii actualis ; non tamen requiritur ad complendam potentiam in ratione potentia ; quia sicut ad constituendam causam in ratione operantis requiritur actio ; qua tamen non requiritur ad eam entitativè constituendam in ratione potentia operaticis ; ita ad constituendam potentiam in ratione principii actualis requiritur prædeterminatione ; non tamen est necessaria ad constituendam potentiam in ratione potentia . Hec est sententia Thomistatum paucis verbis expressa .

### PROPOSITIO XI.

*Rejicitur Prædeterminatio Physica.*

**P**hysica Prædeterminatio triplici potissimum capite impugnatur . 1. Quod sit prorsus inutilis . 2. Quod libertatem nostram destruere videatur . 3. Quod cum Dei sanctitate , & justitia minimè cohereat . Singula breviter proponam .

*Physica prædeterminatio inutilis est.* Nam duplicit  
Comp. Phil. Tom. V. Ff tan-

tantum ratione à Thomistis neotericis adstruitur, nempe ut cause prime dominum, & secundum subordinatio persistat. Tum ut voluntas, quæ ex se omnino indifferens est, ad unum potius, quam ad alterum se se determinet: sed Physica prædeterminatio ad utrumque est omnino inutilis: ergo, &c. Minor prob. Et primò quidem, cum sit de ratione causæ liberae, ut se ipsam determinet, scie ad agendum applicet, frustra alia determinatio, seu notio prævia requiritur. Sed de hoc postea. Item subordinatio causæ liberae, & subiectio integrè salvatur, eo quod vim agendi à causa prima accipiat: tum quod præmotione generali, & simultaneo concurso, à nobis suprà explicato, ad singulos actus indiget: ergo prædeterminatio illa physica, qua juxta Thoinitiae Deus voluntatem applicat ad singulos actus, est prorsùs inutilis. Confirmatur, nam subordinatio causæ in ejusdem essentiali dependentia à prima causa consistit: sed ad hanc dependentiam minimè requirit physica prædeterminatio: sufficit enim quod causa prima cause secundæ esse, & vim agendi jugiter elargiatur: ac titulo cause universalis cum ea concurrat: ergo, &c.

Hinc S. Thomas non semel primam causam cum primo mobili confert, quod existimat omnium motuum causam esse: sed primum mobile non omnes corporum motus determinat: ergo nec Deus prima causa titulo omnes voluntatis motus determinat. Quod aperte explicat quæst. 3. de Malo art. 2. his verbis: *Cum Deus sit principium motionis omnium, quedam sic moventur ab ipso, quod etiam se ipsa moveant: sicut quæ habent liberum arbitrium; quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendam motionem, qua moventur à Deo, sequuntur bona actione-*

*actiones, quæ totaliter reducuntur ad Deum, sicut in causam. Si autem deficiant à debito ordine, sequetur actio inordinata, qua est actio peccati. Ubi patet Sanctum Doctorem, ut causa secundæ subjiciantur primæ, generalem dumtaxat motionem exigere, qua nempe causa secunda pendet à prima, tum ut sit, tum etiam ut operetur.*

*Physica prædeterminatio nostram tollit libertatem.* Probatur 1. Agens liberum est illud, quod positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere: sed posita Physica prædeterminatione, qua dicitur esse unum ex prærequisitis necessariis ad agendum, voluntas non est amplius in eo statu, ut possit agere, & non agere: ergo voluntas non est amplius libera. Minor prob. quia posita prædeterminatione ad assensum, jam nequit voluntas ponere dissensum.

Probatur 2. Illud quod independenter à nobis, & à nostra electione ponitur, & connexionem invincibilem habet cum assensu, tollit libertatem ad dissensum: sed sic habet physica prædeterminatio, ut afferunt Thomistæ: ergo tollit libertatem ad dissensum: dicendum ergo est voluntatem se ipsam determinare, non ab alio, ut recte ait S. Thomas 1. Sent. quæst. 1. art. 1. disq. 39. *Ipsa, inquit, potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinante exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.*

Respondet communiter Adversarii ad rationem libertatis non requiri facultatem agendi, aut non agendi in sensu composito actionis, aut non actionis; sed in sensu diviso: Physicam autem prædeterminationem non tollere facultatem agendi, aut non agendi in sensu diviso; sed solum eam admire in sensu composito:

non secus ac qui sedet, non potest stare in sensu compo-  
sito sessionis, quia nequit simul stare, & sedere; manet tamen ei potentia absoluta ad standum in sensu  
diviso à sessione. Unde huic, & similibus propositionibus respondent: præmotus ad consensum non potest  
jam ponere dissensum in sensu composto concedo: in  
sensu diviso, nego. In idem recidit alia distinctio, que  
adduci solet, nempe voluntatem prædeterminatam ad  
unum, habere cum prædeterminatione simultatem po-  
tentiaæ ad oppositum; non verò potentiam simultatis,  
seu conjungendi, ac componendi, ex. gr. dissensum,  
cum prædeterminatione ad consensum.

Sed contra 1. Nam Physica prædeterminationem semel  
habita, est à voluntate inauferibilis; nec est in manu  
voluntatis eam habere, aut habitam à se rejicare; cum  
que ex alia parte connexionem invincibilem habeat  
cum actu prædeterminato, non solum in sensu com-  
posito, verum & in sensu diviso, impossibilem reddit  
voluntati actum oppositum: ergo tollit facultatem  
agendi, aut non agendi, non solum in sensu compo-  
sito, verum & in sensu diviso: quemadmodum qui ca-  
tenis constrictus est, & certo loco affixus, dici non  
potest ad currendum liber, eo scilicet, quod vincula  
ab extrinseca causa ita passus est, ut ea à se abjicere ne-  
queat, & connexa sint ea vincula cum carentia cur-  
sus: idem ergo censendum est de Physica prædetermi-  
natione. Sed dicent, prædeterminationem tollere quidem  
indifferentiam non activam: erat enim prius vol-  
untas velut in equilibrio; & prædeterminatione illam in  
unam partem inclinat; quod quidem ab ipso actu vo-  
luntatis eriam efficitur: unde quemadmodum hic nul-  
latenus libertati officit, ita nec prædeterminatione. Sed  
contra, quia ut libertas illæsa servetur, oportet ut in-  
dif.

differentia illa tollatur ex propria determinatione, &  
electione voluntatis: si enim tollatur ab aliquo extrin-  
seco, ac prævio ad ipsam electionem voluntatis, sim-  
ul cum sic ablata indifferentia tollitur libertas. Hinc  
alias Thomistarum solutiones impugnabis.

*Physica prædeterminatione difficile conciliari potest  
cum iustitia, & Sanctitate Dei.* Ratio est 1. Quia si Deus prædeterminaret voluntatem ad peccatum, esset  
auctor peccati: nam non alia ratione homo est auctor,  
& reus sui peccati, nisi quia se ad actum pravum libe-  
rè determinat: sed per illam prædeterminationem ho-  
mo determinaretur à Deo ad peccatum: ergo Deus  
esset Auctor, & causa peccati, quod non est dicen-  
dum. 2. Quia si Deus suaderet aut præciperet pecca-  
tum esset auctor peccati: ergo etiam erit auctor pec-  
cati si voluntatem hominis ad illud prædeterminet.  
Probatur consequentia: nam Petrus non minus est au-  
tor homicidii, si sumpta manu Pauli, illam applicat  
ad homicidium, quamvis Paulus impulsum Petri po-  
stea sequeretur, quam si Paulum hortaretur ad illud  
homicidium perpetrandum: ergo etiam Deus non mi-  
nus esset auctor peccati, applicando sua prædetermi-  
natione voluntatem ad peccatum, quam ad illud hortando,  
ac ipsum suadendo. Dicit forte ali-  
quis Deum licet applicet voluntatem ad ho-  
micide non esse causam peccati, quia ita applicat,  
ut relinquat libertatem. Sed contra: nam si Deus hor-  
taretur ad homicide esset auctor homicide, licet  
ejus hortatio relinquat libertatem: ergo licet relin-  
queret libertatem prædeterminando ad homicide,  
esset homicidii auctor.

Communiter tamen respondent Thomistæ Deum  
determinare tantum ad materiale peccati; non autem  
ad

ad formale, seu ad ejus pravitatem, seu malitiam formalem. Sed contra 1. Nam cum aliquis hominem impellit, aut determinat ad id quod est inseparabile ab alio, ad id quoque à quo inseparabile est, impellere, & determinare censetur: sed quod dicitur formale peccati est sàpè necessariò connexum, & inseparabile à materiali peccati, ut cernere est in odio Dei: ergo si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, etiam ad formale ipsius prædeterminaret. Et confirmatur: nam qui inducit hominem ad furtum, vel homicidium, non ad aliud impellit, nisi ad ipsum materiale peccati: id enim est, quod querit, id quod appetit, nihil curans de formali malitia illius: hoc tamen non tollit, quod implicitè etiam velit, ac consulat peccati deformitatem, ejusque formalem malitiam, à qua materiale peccati est inseparabile: ergo simile quid convincetur in Deo, si ad materiale peccati prædeterminaret. Alias impugnationes omitto, quæ passim ab Auctoribus afferuntur.

## PROPOSITIO XII.

*T*homistarum obiectiones solvuntur.

**T**hmis quamplurima congerunt argumenta pro Physica prædeterminatione firmanda, quæ in rem recondita non modicum difficultatis ingerere haud mirandum est. Præcipua tantum proponemus, quæ quemadmodum alia, quæ objici possunt, ex dictis dissolvemus.

Objiciunt 1. Deus est prima causa: ergo creaturæ dependent à Deo, non solum quoad esse, verùm etiam quoad operari: sed talis dependentia salvari nequit sine physica prædeterminatione: ergo, &c. Minor prob. si talis dependentia salvari posset sine physica prædeterminatione, maximè quia salvari posset solo concursu

Dei

Dei simultaneo: sed hic non sufficit: ergo, &c. Minor prob. nam ubi datur subordinatio, & dependentia secundum aliquam rationem, ibi dari debet secundum eandem rationem ordo aliquis prioris, & posterioris: ergo ubi datur subordinatio in ratione causæ operantis, debet dari ordo prioris, & posterioris inter causas, in ratione actu operantium: sed hic ordo in ratione prioris, & posterioris causatum, ut actu operantium, non aliunde potest desumi, nisi ex ordine prioris, & posterioris, qui sit inter ipsas causalitates: ergo causalitas causæ primæ debet esse prior causalitate causæ, secundum sicut nō sufficit concursus simultaneus. Nec valet dicere concursum simultaneum Dei esse priorem prioritatem dignitatis, & universalitatis. Nam quoties reperitur subordinatio in aliqua ratione, toties debet reperiri prioritas, & posterioritas in eadē ratione: sed inter Deum & creaturas reperitur subordinatio, non solum in dignitate, & perfectione; sed etiam in causalitate, & operatione: ergo in concursu Dei debet esse prioritas causalitatis, & naturæ: & consequenter talis concursus debet esse prævius.

Respondeo negans primam min. Ad ejus probacionem respondeo dependentiam causæ secundum à prima optimè salvari, tum quia causa secunda non agit, nisi in virtute à Deo accepta, qui primum agens dicitur, eo quod omne aliud agens virtutem agenti ab eo participat. Tum etiam quia Deus ita ad omnes causæ secundæ actiones immediate concurrit, ut istæ non essent, nisi Deus concurreret.

Sed instabis. Concursus simultaneus à nobis indifferens est, & à nobis determinatur: ergo ipsum agere voluntatis à nobis incipit: & consequenter nos prima agentia sumus, potius quam Deus. Hic instan-

stantiē cū distinctione respondemus. Alia est enim ratio actionū supernaturaliū alia naturaliū. In actibus enim supernaturalibus, Deus ita in voluntatem operatur, ut eam præveniat auxiliis divinæ gratiæ, ita ut voluntas magis dicenda sit concurrere cum Deo, ipsius gratiæ cooperari, quam Deus cum voluntate facit enim ut operaretur; non quidē physicè eam prædeterminando, sed moraliter. In actionibus verò liberis, & naturalibus, Deus ita concurrit simultaneè, ut veluti expectet voluntatis determinationem, absque ulla præveniente motione, adhuc morali, & quodammodo voluntatis determinationem subsequatur. Dixi quodammodo: quia Deus voluntatis determinationem prævenit, quatenus tenet omnes concursus indifferenter paratos ad operationes voluntatis: si enim Deus concurrere nollet, non operemur: adeoque ipsum agere voluntatis, etiam primiū est à Deo, maximè in nostra sententia, in qua actio non est entitas aliqua realiter à voluntate distincta; sed quidam ejus motus, qui etiam à Deo exentiū productur, quatenus in illo instanti entitatem animæ, eo motu se moventis producit.

Objicies 2. à principio indifferenti, ut indifferenti non potest exire actus determinatus, nisi priùs ab alio determinetur: sed voluntas est ex se principium indifferens: ergo ab ipsa nequit oriri actus determinatus, ni Deus eam prædeterminet. Et confirmatur: nam id quod est in potentia non potest reduci ad actum, nisi per id quod est actu: sed voluntas est in potentia ad actum: ergo debet reduci ad actum per aliquid, quod sit in actu: sed non per se ipsam: aliter requireretur, ut esset in actu ante quā reducatur ad actum, quod est implicitorum: ergo ut reducatur ad actum necesse est prædeterminari à Deo. Respondeo ad argumentum di-

distinguens majorem: ab indifferenti indifferentia passiva, non potest oriri aliquid determinatum, concedo: ab indifferenti indifferenta activa, nego. Voluntas autem est indifferens indifferenta activa; atque adeò non opus habet determinari ab alio, sed à se ipsa potest determinari: habet enim voluntas tale dominium in suos actus, ut semper sit virtualiter in actu. Hæcque doctrina est S. Thomæ 1.2. quest. 9. art. 4. dicente: *Ipsa (id est, voluntas) movet se ipsam in quantum per hoc quod vult finem, reducit se ipsam, ad volendum ea, que sunt ad finem.* Fatemur quidem motionem divinam necessariam esse ad primum voluntatis motum, quo fertur in bonum, quem motionem generalem appellavimus: prædictus autem primus voluntatis motus sponte fit, non coacte, sed tamen liber non est, cum sit indeliberas: hæc tamen motio ita se habet in ordine ad actus subsequentes, ut nullam neque necessitatem, neque infallibilitatem inducat. Hinc patet etiam responsio ad confirmationem: nam voluntas in actu primo vim habet se determinandi; & sufficit esse tunc in actu virtuali, ut se determinet, & reducat in actu formalem, ut suprà dixi.

Objicunt 3. Causa, quæ ultimum finem respicit, ordinare debet, & prædeterminare ceteras causas in eundem finem: unde omnia quæ agunt causæ creatæ, vel naturaliter, vel voluntariè, quasi propria sponte ad id tandem perveniunt ad quod divinitus ordinantur. Unde Sacra Scriptura, & Sancti Patres frequenter docent, Deum potentissimè inclinare, & flectere voluntates nostras quocumque voluerit: item Deum magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas: sed hoc non videtur stare posse solo concursu simultaneo: ergo ultra requiritur, Deum nostras

voluntates ad actus suos prædeterminare. Respond. ex his nihil aliud concludi, nisi Deum omnia creata in finem ordinare determinata, ac scientissima ratione, idque per impressionem illam generalem, de qua suprà egimus. Neque opus est prædeterminatione illa physica ad singulos actus voluntatis, ut Deus voluntates hominum flectat, quocumque velit: hoc enim præstat moraliter tantum, suadendo, alliciendo, ac piis cogitationes, & affectus inspirando: tot enim modis obsidere potest nostras voluntates, torque armis oppugnare, ut certissime ultrò se dedant, integra semper, & illæ manente libertate. Similiter alia, quæ objici possunt disloventur. Cetera quæ in hac re verè inextricabilis desiderari possunt, ad Theologos potius, quam ad Philosophos spectant.

Cumque hunc tractatum, integrumque Compendium Philosophicum absolverim, id tantum superest, ut me omnino, totumque opus Sanctæ Romanae Ecclesiæ, Doctortumque hominum censuræ subjiciam: & quod Deo Op. Max. juvante, auspiciatum, & ad finem usque perductum fuit, tandem in ejusdem majorem gloriam cedat. Utinam ad ipsum optatissimum finem ultimum ita corda nostra dirigantur, ut tandem post hujus mortalis vitæ decursum, ineffabili ejusdem præsencia, & intuitione perfruatur. Interim in hujus sæculi exilio, ad Deum ex corde cum Boëtio dicere liceat.

*Da Pater augustinam menti conseruare sedem.  
Da fontem lustrare boni: da luce reperta,  
In te conspicuas animi desigere visus:  
Disice terrenæ nebulas, & pondera molis,  
Atque tuo splendore mica, tu namque serenum:  
Tu requies tranquilla piis: te cernere FINIS.*

## INDEX

RERUM NOTABILIUM,  
ordine Alphabetico digestus.

## A

**A** CIDUM fermentativum est causa chyloeos. fol. 166. ACTUS non sunt entitates ab omni substantia entitati-vè distinctæ, sed dumtaxat Animæ motus. fol. 344. ACTUS liber est essentialiter talis. 368. IMPERATUS quomodo liber. 372.

ACTER fermentum ad sanguinis fermentationem confert. fol. 173.

ÆCTATES in homine, quot, & quæ. fol. 288.

ALIMENTUM, quid, & quotuplex. fol. 158. Quale esse oportet. ibid. Ejus præparaciones. 163. In chylum mutatio. 164. Ultima ad nutritionem dispositio. 179.

ANGELI, quid. fol. 384. Forum existentia stabilitur. 385. Natura, & constitutio. 387. Initio mundi in Cælo sydere creati. 388. Eorum numerus, & ordo. 390. Suam habent extensionem. 393. Quomodo sint in loco. 394. Qualiter moveant, ac motum cohibeant. 396. Quomodo loquuntur. 399. Qualiter polsint apparere, & audiri. 402.

ANIMAË quidditas, & essentia. fol. 2. Quotuplex. 5. De Brutorum anima sentientia. 8. An sint Autonomata. 10. Non sunt entitates absoluta ab omni materia distincta. 20. Sunt divisibiles, & extensem. 24. Quid physicè sint. 23. In capite præcipue resident. 32. Corruptibles. 33. Non cognoscitiva. ibid.

ANIMA rationalis est una in quolibet homine. fol. 375. Vera ejus forma. 376. Est in toto corpore, sed præcipue in capite. 377. In statu separationis cognoscit, ac loquitur. 380. Qualiter in utroque statu moveat, & moveatur. 381. Separata à corpore non est violenta. 382. Quo tempore fetui infundatur. 283. Vide verbo Fetus. In statu unionis non semper cogitat. 325. Quid sit. 327. Est incorporea, & spiritualis. 335. Omnes sunt ejusdem speciei. 338. Non producitur per traducem, sed à Deo creatur.

# INDEX

tur. 339. Ejus potentia nec inter se, nec ab Anima realter differunt. 341. Ejus actus, quid. 344. Non habet species impressa. 348. Nec expressa ab intellectione distinguita. 350. Qualiter ex uno cogitudo ad aliud ratiocinatur. 353. Quoties cognoscit, sensus internus sentit. 355. Qualiter ratiocinium in longum producat. 358. In ipsa nulli habitus merè facilitantes. 360.

*Animantium generatio*, quid. fol. 247. & seq. Eorum interitus. 288.

*Apoplexia* in quo stet. fol. 299.

*Arteriarum structura*. fol. 114. Aspera, ejusque constructio. 91. Venosa, & Aorta. 113.

*Auditus* organum, & ad ipsum spectantia. fol. 203. & seq.

## B

*Bilis* quid, ejusque compositio. fol. 137. Quotuplex. 138.

*Brutorum animæ* an merè machinæ, & Automata. fol. 10.

Diversæ sententiae. 8. Non cognoscunt. 33. & seq. Non sunt entitas aboluta ab omni materia distincta. 20. & seq.

Quomodo Bruta motus vitales efficiant. 29. Eorum corpora quibus componantur. 35. & seq.

## C

*Calidum* innatum, quid. fol. 180.

*Capitis, & cranii ossa*. fol. 44. Ejus dolor. 297.

*Catalepsis*, quid. fol. 299.

*Cavitates* magnæ in corpore, tres. fol. 82.

*Cerebrum*, ejusque partes. fol. 83.

*Chylus*, ejusque constitutio. fol. 150. Ejus mutatio in venis lacteis. 168. Fermentatio. 171.

*Chylification* exponitur. fol. 164. Ejus causa. 165.

*Conceptionis progressus*. fol. 153.

*Concursus* Dei cum causis secundis. fol. 436.

*Conclusio*, quid. fol. 302.

*Cordis* structura mirabilis. fol. 108. Ejus Auriculæ. 110.

Ventriculi. 111. Vasa. 112. Motus. 121.

*Corpus* animale, ejusque partes in communi. fol. 35. In particulari. 37.

*Corruptio*, seu interitus animalium per senium. fol. 288.

*Cutis*, & cuticula. fol. 106.

# R E R U M .

## D

*Demones* quid naturaliter cognoscere valeant. fol. 396. Qualiter possunt apparere, audiri, &c. 402. Aliquam habent Reipublice formam. 405. Qualiter mira efficiant. 407. Ad dentur incubi, & succubi. 408. Quid circa Sagas, Virunculos, Lemures. 409. Obsident Energumenos. 414. Contra ipsos nulla res sensibilis habet vim naturalem directe. 415. Benè verò in direcione. 416.

*Deus* metaphysicè constitutus per Ens essentialiter existens. fol. 419. Ejus existentia multipliciter demonstratur. 421. Ejus attributa, & perfectiones. 429. Unicus est. ibid. Immensus. 431. Summè intelligens. 432. Omnipotens. 434. Concta conserva. ibid. Immediatè concurrit cum causis secundis. 436. Easque præmovet præmotione generali. 446. Non verò illa, quæ à Thomistis, admittitur. 449.

*Delirium* in quo stet. fol. 302.

*Diaphragma* constructio, & situs. fol. 87.

*Diastole, & Systole*, qualiter fiant. fol. 123.

*Dolor* in quo consistat. fol. 199.

## E

*Elementum* solitariè sumptum nutritre nequit. fol. 159.

*Energumeni*, & ad ipsos spectantia. fol. 412.

*Epilepsia* unde oriatur. fol. 301.

*Experimenta* de percolatione. fol. 101.

## F

*Facultas* in Animalibus, quid, & quotuplex. fol. 156.

*Famis*, & ea quæ ad ipsam pertinent. fol. 160.

*Febris* in quo consistat. fol. 303. & seq. Ejus præcipua causa.

308. Species. 310. Ephemera, & Synochus simplex. 311.

*Putridæ*. 312. Intermittentes. 314. Hectica. 316. Maligna. 317.

*Fetus* in utero prima formatio, & progressus. fol. 279. Quo tempore animetur. 283. In humano fetu unica est Animalia. 286.

## G

*Generatio* Animantium, quid. fol. 247. Diversæ sententiae.

249. Äquivoca qualiter contingant. 253. Viviparorum explicatur. 272. Serpentum, ac Piscium. 271.

*Genitura* in animalibus quid. 247. In maribus qualis sit.

# INDEX

272. In foeminis. 275. Barum diversitas. 278.  
*Glandulae*, earumque officia. fol. 100. *Renales*. 105. *Pinealis* qualiter constituta. 85.  
*Gustus* organum, & ad ipsum spectantia. fol. 100.

## H

*Habitus* merè facilitantes in Anima, nulli. fol. 360.  
*Hepar*, ejusque constitutio, & flos. fol. 102.  
*Humidum* radicale, quid. fol. 180.  
*Humor*, quid. fol. 134. *Humores* in particulari. 137.  
*Hydrops* exponitur. fol. 304.

## I

*Iterus*, à quo proveniat. fol. 302.  
*Incubus*, &<sup>r</sup> *Succubi* dæmones an sint. fol. 408.  
*Insomnia* in quo stet. fol. 240. *Varia* circa ipsa. 245.  
*Intellectus* obiectum est omne intellegibile. fol. 347. Intellegere est verè agere. 351. Ab uno cognito qualiter ad aliud ratiocinemur. 353. & seq.  
*Intestinorum* numerus, & dispositio. fol. 97.

## L

*Lac*, quid : & ex quibus coalefacit. fol. 152.  
*Lacertæ* partes seculæ cur moveantur. fol. 185.  
*Lethargus*, quid. fol. 299.  
*Lien*, sive *Splen* fol. 104.  
*Libertas* explicatur, fol. 364. Quotuplex sit. 367. Adequate intrinseca est actui libero. 368. Qualis sit in actibus imperatis. 372.  
*Lemures*, quid. fol. 409.  
*Lingue* structura. fol. 86.

## M

*Macchina*, qua unica insufflatione magnum pondus sublevatur. fol. 63.  
*Mammnarum* constructio. fol. 87.  
*Manuum* ossa. fol. 49.  
*Mediastrinum*, quid. fol. 89.  
*Melancholicus* humor, & ad ipsum spectantia. fol. 142.  
*Memoria*, quid, & ad eam spectantia. fol. 236.  
*Mesenterium*. fol. 99.  
*Metaphysica*, quid, & quotuplex. fol. 319.  
*Miepum* defectus in quo stet. fol. 223.

*Mors*

# RERUM.

*Morbi* natura, & species. fol. 292. & seq.  
*Muscu'orum* structura. fol. 53. Actiones. 55. & seq. Eorum contractio unde proveniat. 56. & seq. Ingens potentia. 64. Numerus, & diversitas. 70. Musculi in particulari. 71.

## N

*Nervus*, quid. fol. 76. Usus, & numerus. 77. In particulari rescencentur. 78. & seq.  
*Nutritio*, & ad ipsum spectantia. fol. 177. & seq.

## O

*Obiecta* externa agunt in sensu motu locali. 188. Qualiter eorum motiones ad sensum commune transferantur. 189. Depinguntur inversè in Retina. 217. Cur obiectum non appareat multiplicatum. 219. & 224.  
*Oculi* fabrica, & cuncta ad eum spectantia. fol. 208. & seq.  
*Odoratus* organum in quo fet. fol. 201.  
*OESophagus*, quid. fol. 97.  
*Omentum*, quid, ejusque dispositio. fol. 100.  
*Omissio* pura voluntati possibilis. fol. 372.  
*Organæ* sensoria ex quibus coalefcant. fol. 184.  
*Officium* constitutio, & affectiones. fol. 41. Numerus. 44. & seq. Quæ in Crano. 44. Quæ in Trunco. 46.  
*Ovum* ex quibus, & qualiter gignitur. fol. 261. & seq. Differentia. 264. Qualiter in eo formetur Pullus. 264. & seq. Ejus partes. 260.  
*Ovipara*, &<sup>r</sup> *Vivipara* quæ. fol. 259. & 271.

## P

*Pancreas*, ejusque dispositio. fol. 105. *Succus Pancreaticus*. fol. 139.  
*Paralysis*, quid, & quotuplex. fol. 298.  
*Partes* corporis Animalis. fol. 35. & seq.  
*Pedum* ossa. fol. 49.  
*Pericardium*, ejusque constitutio. fol. 89.  
*Peritoneum*, ejusque situs. fol. 99.  
*Phantasma*, quid. fol. 231. Phantasmatum tractos. 233.  
Ordo. 234. Speculatio. 235.  
*Pinguedo*, quid. fol. 100.  
*Pituita*, & ad eam spectantia. fol. 141. & 153.  
*Plante* vivunt. fol. 6.  
*Pleura*, ejusque positio. fol. 88. Pleuritis, ejusque symptoma.

# INDEX


mata. 302.  
*Predeterminatio generalis datur; non que à Thomistis assertur.* 447.  
*Presbyterarum defectus in quo stet.* fol. 223.  
*Pulli in ovo formatio, & progressus.* fol. 264. *Causa materialis, & efficiens ejus.* 268.  
*Pulmonum structura, & dispositio.* fol. 90. *Motus.* 93.  
R  
*Reminiscientia, & ad eam spectantia.* fol. 236.  
*Renes, eorumque dispositio.* fol. 104.  
*Respiratio.* fol. 93. *Principius ejus usus.* 174.  
S  
*Salivs, & que ad ipsam spectant.* fol. 140.  
*Sanguis, ejusque constitutio.* fol. 154. *Fermentatio.* 171. & seq. *Motus.* 121. *Circulatio.* 125. *Quantum singulis pulsationibus in Aortam ejiciatur.* 129. *Ex Arteriis in Venas qualiter elutriatur.* 131. *Qualiter generetur.* 177.  
*Semen, quid.* fol. 247.  
*Sensus, & Sensorium,* quid, & quotuplex. fol. 182. *Commune stabilitur.* 225. *Non in Glandula pineali, sed in Cerebro specialiter dicto residet.* 228. *Sensuum distinctio, & numerus.* 197. *Sensationes quomodo fiant.* 184. & seq.  
*Septum transversum.* fol. 87.  
*Situs, & que ad eam spectant.* fol. 162.  
*Somnus, & que ad eum spectant.* fol. 239. & 242.  
*Species sensibiles.* fol. 183. *Quæ ab Aristotelicis admittuntur, negantur.* 192. *Impresæ intellectuales in Anima non reperiuntur.* 348. *Neque expressæ ab ipsa intellectione distinetæ.* 350.  
*Spætra quid esse possint.* fol. 410.  
*Spiritus in corpore, quid.* fol. 134. *In tres species dividuntur.* 145. *Animales ubi giguantur.* 187.  
*Spiritus essentia assignatur.* fol. 320. *Est entitativè indivisibilis, sed impenetrabiliter extensus.* 323. *Semper cogitat, excepta Anima rationali in statu unionis.* 325. *Qualiter ad cognoscendum determinetur.* 352.  
*Splen, ejusque constitutio.* fol. 104.  
*Sudor, ejusque phænomena.* fol. 146.

SAC

# R E R U M.

*Suceus nutritius.* 150. *Pancreaticus.* 139.  
*Symptoma, ejusque species.* 296.  
*Systole, & Diastole qualiter fiant.* 123. & seq.  
V  
*Tactus, ejusque affectiones.* 196. & seq.  
*Thorax, & in eo contenta.* 87. *Ejus contractio, & dilatatio.* 93.  
*Transpiratio, & ad eam spectantia.* 146. & 176.  
V  
*Vasa humores accipientia, & deponentia.* 132.  
*Venarum structura.* 117. *Vena Porta.* 120. *Cava.* 112. &  
118. Arterialis.  
*Ventriculus, ejusque partes.* 97.  
*Vertigo, in quo confusat.* 300.  
*Vesica, ejusque dispositio.* 99.  
*Vigilia, & ad ipsam spectantia.* 238.  
*Viso, in qua oculi parte fiat.* 214. *Alia circa ipsam.* 222.  
*Visus organum describitur.* 207.  
*Voluntas, ejusque obiectum.* 363. *Libertas.* 364. & seq.  
*Determinatur per ipsam actionem.* 367. *Aliqua ad ipsam spectantia.* 371. *Potest purè omittere.* 372. *Voluntarium.* 366.  
*Urina, & que ad ipsam pertinent.* 146.

# F I N I S.



*Comp.Phil.Tom.V.*

Gg

МУЗЕЙ

*Notes*. — 1. *Diphyle des doryctes* (Linn.) 1758. *D. pectinatus* Linn. 1758. *Panacanthus* 1758.

the promoters solicited, & especially the  
members of the church. A few hours later  
the meeting was adjourned.

